



71
11 C
12

39.A.5.B.8

Colonna 8. Tav. 3. num. 12.

TRACTATUS

DE GRADIBUS COGNATIONUM

In Partes tres diſtributus:

In quo Theoricè, & Practicè univerſalis materia Numerationis Graduum tum de jure Canonico, tum de jure Civili, cum ſpeciali claritate explicatur.

AUCTORE

D. MATTHÆO - JANUARIO SIBILIA

Neapolitano, S. Theol. ac V. J. interprete.

Opus abſolutiſſimum, & tam publicè in ſcholis profitentibus, quàm in utroque foro verſantibus apprimè neceſſarium.

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E. ROMA

Ad SS. Patrem, ac D. N.

INNOCENTIUM XII.

ROMANUM PONTIFICEM.

PARS PRIMA.

Pertinet ad conu^tus^ S. Bon^re^ de Urbe 1704

NEAPOLI,

Ex Typographia Joſeph Roſelli. M. DC. XCVIII.

Superiorum facultate.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SANCTISS. D. N.

INNOCENTIO XII.

PONTIFICI MAXIMO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

QUicquid veram, ſolidamque Sapientiam redolet Tibi ſiſtendum eſt, Tibi jure optimo devovendum, BEATISSIMÆ PATER, qui Sapientia vivis, Sapientiæ amorem ſpiras, ad Sapientiam curis volas, & votis, ipſam doces, ipſam foves, ipſam ad miraculum uſque tueris. Quapropter Sanctitatis Tuæ pedibus provolutus, Tuo præſtantiſſimo Nomini Opellam hanc de *Gradibus Cognationum* inſcribo. Si materiam ſpectes, nil, niſi Magnitudine tua dignum. Si ingenium, nil, fateor, probandum. An miraris fortè, BEATISSIMÆ PATER, me obſcurum hominem tam audacter curas Tuas, rerumque altiſſimarum ſtudia interpellare? Diù, fateor, & ipſe anceps pependi, an tantæ Majeſtatis faſtigium adirem. Sed dubietatem omnem diremit, vicitque verecundiam eximia, qua polles Clementia: ipſa enim moderante, aureum penè dixerim Sæculum ſortitus Chriſtianus Orbis, alternis judiciis ambigit, Te Hominem ſalutet, an Numen,

Principem, an Patrem: Omnium quippè ſomnos Tua vigilantia, omnium otium tuus labor, omnium tranquillitatem Tua induſtria, omnium denique vacationem Tua occupatio defendit. Nemo eſt, qui Te non tàm ſupra ſe, quàm pro ſe eſſe ignoret. Nemo, qui ſe Tibi magis, quàm Te ſibi datum arbitretur; omnibus enim præes omnium cauſa duntaxat, rerum Adminiſter potius, quàm Arbiter. Hæc memoravi, non equidem, ut obſcuro, rudique calamo Panegyrim inſtituerem virtutum Tuarum, quarum præconium ſoli Cœleſtium Spirituum Academiæ reſervatur; ſed ut audaciæ meæ cauſam agerem. Itaque in certiſſimam ſpem adducor, ut ad informem hanc Opellam Tuos benignos oculos vel ſemel convertas, idque materiæ nobilitati largiaris, quod extorquere non valet ſtyli, artiſque imbecillitas: *Indulgentiam enim*, inquit S. Cyprianus *meretur humilitas, quæ quo poteſt acceſſu ſublimitatis veſtræ manibus ſe porrigit attrectandam*: *non gloriam mendicans*, *ſed gratiam*. Interim ut Univerſus Te adoret terrarum Orbis enixè Deum precor Omnipotentem: qui poſt diuturnum, fauſtumque ulterioris vitæ curſum, verèdignam Tuis meritis mercedem in æterna felicitate retribuat.

S. T.

Humillimus Servus
Matthæus - *Januarius Sibilia.*

HUMANISSIME LECTOR.

NE mireris inter tot volumina legalia, ferè innumera, meum quoque mediocre licèt, in lucem prodire. Mirabar equidèm ego quo pacto ſubſiſterent tot, tantorumque Auctorum excuſationes coactos illos Amicorum, non inboneſta petulantia ſuos liberos, ſic dicam libros, typis mandare. Verùm nunc ſicut ego, ſic tua bonitas credat experto: Imò veritati addas; tanta illorum celeritas fuit, ut ne abſolutum quidem è manibus rapuere; Operis ergo bujus duplex imperfectio duplici eget Patrono; meo labore, ut quàmprimum ſecundum Tomum perficiat: Tua pietate, ut quicquid in eo, ſive mea inſcitia, ſive Typographorum incuria diſplicet, corrigas. Vale

ILLU-

ILLUSTRISS. E REVER. SIG.

IL Dott. D. Matteo Gennaro Sibilia ſupplicando fà intendere à V. S. Illuſtriſs. come deſidera fare ſtampare un ſuo trattato intitolato *De Gradibus Cognationum*, per il che ſupplica V.S. Illuſtriſs. à commettere la reviſione di quello, e l'haverà à gratia, ut Deus.

Dominus Canonicus Cymiliarcha, D. Aloyſius Capycius Galeota videat, & in ſcriptis referat. Die 20. Januarij 1697.

JO: A. SILIQUINUS VIC. GEN.

Can. D. Januarius de Auria Deput.

PErlegi primam partem Tractatus *De Gradibus Cognationum* Auctore U.J.D. D. Januario Sibilia, opus quidem omnibus numeris abſolutum; ac materiam utiliſſimam dilucidè non minus, ac ſubtiliter maximo cum Reipublicæ litterariæ commodo complectens. Quare meo voto, cum nihil contineat, quod Orthodoxæ Fidei, aut bonis moribus non congruat, typis tradatur hoc tam proficuum, ac dignum ſtudium, annuente Eminentiſſimo. Die 12. Decembris 1698.

Aloyſ. Capyc. Galeota Canon. Card. & Cimiliarca Metropol. Eccl. Neap. libr. Cenſor Ordinarius.

Attenta relatione Dom. Canonici Reviſoris, quod poteſt imprimi, imprimatur. Die 16. Decemb. 1698.

JO: A. SILIQUINUS VIC. GEN.

Can. D. Januarius de Auria Dep.

ECCELLENTISS. SIG.

IL Dott. D. Matteo Gennaro Sibilia ſupplicando fà intendere à V. E. come deſidera dare alle ſtampe un ſuo Trattato intitolato *De Gradibus cognationum*. Per il che ſupplica V. Ecc. à commettere la reviſione di quello, e l'averà à gratia ut Deus.

M. V. I. D. Ludovicus Paternò videat, & in ſcriptis referat.

SORIA R. GASCON R. ANDREASSI R.

Spect. Reg. Carrillo non interfuit.

Spect. Reg. Andreas impeditus.

EXCELLENTISS. DOMINE.

ADmodum Rever. D. Matthæi Januarii Sibilia partem primam Tractatus *De Gradibus Cognationum* Excellentiæ Tuæ ſedulò perlegi; Teſtorque nihil in eo contineri, quod Regali juriſdictioni, aut bonis moribus adverſetur; Quinimò elaboratum ſanè opus, ingenii, ac doctrinæ præſtantia conſpicuum, & eruditiſſimo Authore dignum puto. Ut proindè typis tradi poſſe cenſeo, ſi ità Excellentiæ Veſtræ videbitur. Neapoli die 15. menſis Decembris 1698.

Excell. Veſtræ Humillimus Servus

Ludovicus Paternò.

Viſa ſupradicta relatione imprimatur, & in publicatione ſervetur Regia Pragmatica.

GASCON R. ANDREASSI R. GUERRERO R. MERCADO R.

Proviſum per S. E. Neap. 18. Decembris 1698.

Spect. Reg. Andreas non interfuit. *Maſtellonus.*

SERIES

CAPITVM, §§. DISPVTATIONVM, AC QQ. quæ in Prima Parte hujus Tractatus continentur.

DE utilitate, atque neceſſitatate ſcientiæ numerationis graduum, & cognationum. fol. 4.

Cap. 1. *De caſibus jure Canonico requirentibus ſcientiam cognationum, & graduum. fol.5.*

§. 1. *De perſonis, quæ ratione cognationis matrimonium cõtrahere prohibentur. fol.5.*

Diſp. 1. *De impedimento conſanguinitatis. fol. 6.*

Quær. 1. quo jure, & uſque ad quẽ gradum prohibetur contractio matrimonij inter cõſanguineos in linea recta. fol.6.

Q. 2. quomodo dignoſcitur an prohibitio matrimonij illud irritũ reddat de jure naturæ. fol. 12.

Q. 3. uſque ad quem gradum prohibetur contractio matrimonij in linea tranſverſali, & quo jure. fol. 15.

Q. 4. an omnes gradus conſanguinitatis prohibiti Levit. 18. impediant, & dirimant jure naturali matrimonium, & conſequenter etiam hodie obligent. fol. 16.

Q. 5. an ſaltem aliqui ex gradibus conſanguinitatis expreſſi in Levit. obligent de jure naturæ. fol. 24.

Q. 6. an Eccleſia poteſtatem habeat augendi, vel minuendi prohibitiones in gradibus conſanguinitatis. fol. 30.

Diſp. 2. De impedimẽto affinitatis. fol. 36.

Quær. 1. An affinitas ſive ex copula licita, ſive illicita ſit vinculum naturale. f. 37.

Q. 2. an aliquis gradus affinitatis in linea recta, vel tranſverſa ſit ita jure naturæ interdictus, ut attento eodem ure matrimonium irritet. f. 42.

Q. 3 uſque ad quem gradum affinitatis extendatur prohibitio copula conjugalis jure Eccleſiaſtico? fol. 47.

Q. 4 an impedimentum affinitatis ſit perpetuum. fot. 49

Diſp. 3. De impedimento publicæ honeſtatis. fol. 50.

Quær. 1. quo jure publica honeſtas matrimonium dirimat fol. 50.

Q. 2. inter quos oritur tale impe-

dimen.

*dimentum publicæ honeſtatis. fol.*51.
*Q.3. ex quibus ſponſalibus oritur hoc impedimentum. f.*52.
*Q.4. an factis ſponſalibus conditionatis cum Berta, pendente conditione poſſint fieri ſponſalia pura cum illius ſorore. fol.*57.
*Q.5. ex matrimonio rato non conſummato naſcitur ne impedimentum publicæ honeſtatis, an verò impedimentum affinitatis. fol.*73.
*Q.6. an ex matrimonio rato invalido naſcatur impedimētum publicæ honeſtatis f.*75.
Q.7. uſque ad quem gradum extenditur prohibitio cōtractionis matrimonij ratione publicæ honeſtatis. fol. 82.
*Diſp.4. De impedimento cognationis ſpiritualis. fol.*84.
*Quær.1. inter quas perſonas hæc cognatio ſpiritualis contrahitur. fol.*87.
*Q.2. an baptizans, confirmans, & Patrini contrahant cognationem ſpiritualem tantùm cū parentibus legitimis, & naturalibus baptizati, vel confirmati, an verò etiam cum illegitimis. fol.*89.
Q.3. an quando baptiſmus domi verè collatus, iteratur ſolemniter in Eccleſia, ex tali iteratione oriatur cognatio ſpiritualis? fol. 89.
Q.4. an Laicus in neceſſitate baptizans contrahat cognationem ſpiritualem. f. 91.
*Q.5. an infidelis, vel hæreticus ſit capax cognationis ſpiritualis activè, & paſſivè. f.*91.
*Q.6. an non confirmatus ſuſcipiens in confirmatione contrahat cognationem ſpiritualem f.*94.
Q.7. quando patrini contrahunt cognationem ſpiritualem. f. 95.
Diſp 5. De impedimento cognationis legalis. fol. 99.
*Quær.1. an omnes tres enumeratæ ſpecies cognationis legalis impediant, & dirimant matrimonium, & uſque ad quem gradum fol.*100.
*Q.2. an cognatio legalis ſuperveniens matrimonio iam contracto, vel ſponſalibus, ſit aliquod impedimentum. f.*103.
*Q.3. quamdiù durat impedimentum cognationis legalis. f.*104.
§.2. *De diſpenſationibus matrimonialibus. f.*106.
*Diſp.1. De poteſtate diſpenſandi in impedimento cognationis. f.*107.
Quær.1. an Summus Pontifex habeat poteſtatem diſpenſandi in impedimentis divino, & naturali jure matrimonium dirimētibus. fol. 107.
*Q.2. an ſummus Pontifex valeat diſpenſare in impedimentis jure humano dirimentibus f.*111.
Q.3. an Pontifex poſſit diſpenſare

in

in radice matrimonii irritè cõtracti, efficiendo diſpenſationẽ retrotrahi, & ita legitimare prolem ante habitam, quoad ſpiritualia, & temporalia. fol. 111.

Q.4. an Pontifex valeat in radice matrimonij diſpenſare quando conjuges, qui matrimonium irritum cõtraxerunt ſunt mortui. fol. 132.

Q.5. an Epiſcopus, vel Legatus Pontificis valeat in aliquo caſu particulari diſpenſare in impedimentis jure humano dirimentibus. f. 136.

Q.6. An Epiſcopus poſſit alteri delegare facultatem diſpẽſandi in impedimentis occultis matrimonium dirimentibus, in caſibus, in quibus ipſe ratione imminẽtis neceſſitatis, vel alias, diſpenſare poteſt. fol. 141.

Q.7. an Vicarius generalis Epiſcopi valeat diſpenſare in impedimentis matrimonij, in eo caſu, in quo Epiſcopus diſpenſare poteſt. fol. 142.

Q.8. an Epiſcopus valeat diſpenſare in impedimento dirimente, quod ſupervenit matrimonio in ordine ad privationem petitionis debiti, & ita diſpenſare in affinitate, & cognatione ſpirituali, quæ matrimonio ſuperveniunt. fol. 143.

Q.9. an Epiſcopus poſſit diſpenſare in impedimento dirimente, quando eſt obtenta diſpenſatio in illo, ſed ſubreptitiè. f. 146.

Q.10. in dubio an res egeat diſpẽſatione, poteſt ne Epiſcopus declarare diſpenſationem non deſiderari, vel ad cautelam diſpẽſare. fol. 148.

Q.11. ſi inter DD. variæ adſint opiniones, quibuſdam aſſerentibus id eſſe impedimẽtum, alijs verò negantibus; poteſt ne Epiſcopus in tali caſu diſpenſare. fol. 150.

Q.12. an Epiſcopus diſpenſare valeat in impedimentis non dirimentibus. fol. 151.

Diſp.2. De juſtis cauſis diſpenſandi in impedimentis matrimonium dirimentibus. fol. 151.

Q.1. quænam ſunt cauſæ de ſtylo Romanæ Curiæ pro diſpenſationibus matrimonialibus obtinẽdis, quando copula non præceſſit. fol. 152.

Q.2. quænam ſunt cauſæ de ſtylo Romanæ Curiæ pro diſpenſationibus matrimonialibus, quando copula præceſſit, vel ſine copula adeſt infamia: 161.

Q.3. quid faciendum, quando matrimonium ſcienter eſt contractum in gradibus prohibitis. fol. 165.

Q.4. quid faciendum, quando matrimonium fuit ignoranter contractũ in gradibus prohibitis. f. 168.

Q.5. quæ pœnitentia eſt injungenda ab Exequutore, quãdo Oratores peccarunt cõmittendo inceſtum. An poſſit illam commutare. Et quomodo eſt formandũ decretum diſpenſationis. f.173.

Diſp.3. De validitate literarum cognoſcenda per Exequutorem. fol.179.

Q.1. quando reſcriptum dicitur ſubreptitiè, vel obreptitiè obtentum. fol. 180.

Q.2. an cauſa expreſſa in ſupplicatione omni tempore debeat eſſe vera. fol. 182.

Q.3. quid faciendum ſi ultra impedimẽtum in ipſa gratia narratum, oratores alio occulto impedimẽto detinentur. f. 188.

Q.4. an peti poſſit diſpenſatio ſuper aliquo impedimento, tacito altero in poſterum diſpenſando. fol.189.

Q.5. an ſit exprimendum, affinitatem duplici titulo eſſe cauſatam. fol.190.

Q.6. an error gradus vitiet diſpenſationem. f.191.

Q.7. an diſpenſatio inter conſanguineos, vel affines ſit ſubreptitia, quando non eſt facta mẽtio de copula habita inter eos. fol. 193.

Q.8. an quando erratur in cognatione, puta pro tertio conſanguinitatis, ponitur tertius affinitatis gradus, ſit valida diſpenſatio. fol. 195.

Q.9. an ſit valida diſpenſatio, quando erratur in nomine, vel patria Oratoris. f.196.

Q.10. cuius Diœceſis eſt facienda expreſſio, quando oratores ſunt diverſarum diœceſum. f.197.

Q.11. an qui obtinuit diſpenſationem ad contrahendum cum affine, vel conſanguinea, ſed illa non fuit uſus ſi poſtea vult cum alia conſanguinea, vel affine contrahere, tenetur in ſecunda diſpenſatione mẽtionem facere primæ diſpenſationis. f.198.

Q.12. an ſi impetrans diſpenſationem illi renunciet, poſſit deindè mutata voluntate illa uti. f.199.

Q.13. quid faciendum, quando literæ, ſeu bullæ diſpenſationis ſunt deperditæ. f.200.

Q.14. *quomodo eſt conſulendum oratoribus, quando in litteris, vel in ſupplicatione fuit erratum, vel non fuit expreſſum verum. fol.202.*

Exempla reſcripti Reformatorij. f.210.

Diſp.4. de gradibus, in quibus Põtifex diſpenſare valet, eorumque expreſſione in Romana Curia. fol.213.

Q.2. *quomodo eſt facienda expreſſio graduum in Romana Curia. f.216.*

Q.3. *an quando aliqui inæqualiter*

ter

ter diſtant, non ſolùm gradus remotior ſed etiam propinquior eſt exprimendus. f. 219.

Q.4. quomodo ſunt numerandi, & explicandi gradus affinitatis, et publicæ honeſtatis. f. 221.

Diſp. 5. De commiſſione diſpenſationum, atque illarum duratione tam ex perſona Delegati, quàm delegantis. f. 222.

Q.1. an talis commiſſio fieri valeat Abbatibus, & alijs Prælatis habentibus juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, ac proprium diſtrictum. f. 222.

Q.2. an commiſſio diſpenſationum matrimonialiũ fieri valeat Vicario Capitulari. f. 223.

Q.3. an diſpenſatio commiſſa Vicario Epiſcopi, ſi idem met Vicarius ſede prædicta interim vacante fuerit electus Vicarius capitularis, poſſit dictas diſpẽſationes exequi. Et quãdo poſſit Judicis mutatio impetrari. fol. 225.

Q.4. an mortuo, vel ab officio remoto Vicario generali, cui literæ commiſſæ erant, valeat ſucceſſor in ipſo vicariatus officio literas expedire, & exequi ſine nova commiſſione; an verò requiratur noua commiſſio f. 228.

Q.5. an commiſſio facta Officiali, vel Vicario Epiſcopi, valeat per Epiſcopum expediri, remoto, aut mortuo Officiali, vel Vicario fol. 232.

Q.6. an Vicarius Epiſcopi confirmati, & non conſecrati, vel aliqua eccleſiaſtica cenſura innodati, valeat cauſam ſibi Apoſtolica authoritate delegatam exequi. fol. 234.

Q.7. an expiret juriſdictio delegati ſi ſemel pronunciauit reſcriptum eſſe ſubreptitiũ. f. 234.

Q.8. an commiſſio diſpenſandi in impedimentis matrimonii expiret morte, vel ceſſione officii delegantis re integra contingẽtibus. fol. 235.

Diſp. 6. De verificatione cauſarũ, & clauſularum per Delegatum facienda. f. 238.

Q.1. quid eſt verificandum à Delegato, quando diſpenſatio conceditur ob anguſtiam loci. f. 242.

Q.2. quid eſt verificandum à Delegato, quando diſpenſatio eſt conceſſa propter incompetentiã dotis fol. 244.

Q.3. quomodo ſe gerere debeat exequutor, quando petitur diſpenſatio ratione incompetentiæ dotis, & orator intendit cum dicta dote mulierem illam ducere, illiuſque dotem competenter augere ſecũdum qualitatem dictæ mulieris f. 247.

Q.4. quid verificandum, quando diſpenſatio petitur propter lites ſuper ſucceſſione bonorũ. f. 249.

Q.5. quid verificandum quando diſpenſatio datur propter do-

tem litibus involutam.fol.250.
Q.6. quid verificandum quando diſpenſatio datur propter lites ſuper rebus magni momenti. fol.250.
Q.7. quid verificandum quando diſpenſatio datur propter inimicitias. fol.250.
Q.8. quid verificandum quando diſpenſatio datur pro Oratrice excedente 24. annum.fol.251.
Q.9. quid verificandum quando diſpenſatio datur ob excellentiam meritorum.fol.251.
Q.10. quid verificandum quando diſpenſatio datur ex certis rationabilibus cauſis .fol.252.
Q.11. an quando Oratores in ſupplicatione mentionem fecerunt ſe eſſe nobiles, vel de nobili genere procreatos, aut principales oppidi, vel illuſtres, debent id coram exequutore probare. fol. 252.
Q.12. quid verificandum quando diſpenſatio fuit conceſſa in forma pauperum. fol. 253.
Q.13. quomodo intelligitur aliquos diſtare in duplici quarto gradu, vel in ſecundo, & tertio, aut quadruplici quarto, &c. fol.254.
Q.14. quomodo eſt formandum decretum diſpenſationis ab exequutore delegato. fol.261.
Q.15. quomodo eſt regulanda exequutio diſpenſationis pro foro conſcientiæ. fol.263.
Diſp.8. de expenſis faciendis pro diſpenſatione obtinẽda.fol.267.
Q.1. cuius expenſis eſt impetranda diſpenſatio. fol.267.
Q.2. an quando diſpenſatio conceditur in forma pauperum, etiã dictæ expenſæ ſunt faciendæ. fol.268.
Q.3. an ab exequutore delegato aliquid accipi poſſit pro exequenda diſpenſatione. fol.271.
§. 3. De crimine inceſtus fol. 273.
Diſp.1. de inceſtu quo ad forum conſcientiæ. fol.273.
Q.1. in qua linea, & uſque ad quem gradum committitur inceſtus. fol.274.
Q.2. an copula ſodomitica habita cum adoleſcente conſanguineo ſit inceſtuoſa, & in confeſſione, ut talis ſit explicanda fol.270.
Q.3. an cum propria uxore poſſit committi peccatum incæſtus fol.278.
Q.4. an omnes inceſtus ſint eiuſdem ſpeciei. fol.279.
Q.5. ſi probabile eſt omnes inceſtus eſſe eiuſdem ſpeciei, & quod pœnitens in confeſſione non tenetur explicare qualitatem coniunctionis, nec gradum, quare in quibuſdam partibus reſervatur inceſtus in primo, & ſecundo gradu conſanguinitatis, vel affinitatis tantum. fol.280.
Q.6. quanam peccata inceſtus cõ-

pre-

prebenduntur ſub reſervatione Neapolitana fol.283.

Diſp.2. de inceſtu, quoad forum externum. fol.286.

Q.1. quænam eſt pœna inceſtus de iure civili. fol.287.

Q.2. quænam ſunt pœnæ inceſtus de iure canonico. fol.291.

§.4. De perſonis quæ revelare non tenentur virtute monitorij. fol.296.

§.5. de perſonis, quæ licitè cum excommunicato vitando converſari valent. fol.297.

§.6. de teſtibus deponentibus de affinitate, vel conſanguinitate. fol.299.

§.7. de deſcendentibus ab hebreis, vel hæreticis inordine ad beneficia, vel officia. fol.300.

§.8. de obligatione denunciandi hæreticos. fol.303.

§.9. de conſanguineis, qui in oratorijs privatis miſſam audire valent. fol.305.

§.10. de ſucceſſione in jure patronatus gentilitio, ſeù familiari. fol.307.

Q.1. ſi fundator tale jus patronatus reſervavit pro ſe, & hæredibus, vel pro ſe, & ſuis hæredibus, an tranſire valeat ad hæredes extraneos: fol.308.

Q.2. ſi à fũdatore beneficii fuit ordinatum, quod ad hæredes ſanguinis tantum, & non ad hæredes extraneos tranſeat juſpatronatus, an hæres ſanguinis poſſit venire, quamvis non ſit hæres univerſalis. fol.308.

Q.3. an jus patronatus familiæ reſervatum extinguatur extinta familia. fol.312.

Q.4. an juſpatronatus reſervatum illis de parentela tantum poſſit per fundatorem donari aliis, qui non ſunt de parentela. fol.314.

Q.5. quomodo ſucceditur in jurepatronatus in capita, an in ſtirpem. fol.316.

Q.6. quando juſpatronatus eſt reſervatum illis qu ſunt de ſua linea, an omnes de agnatione præſentare valeant. fol.321.

Cap.2. de caſibus jure civili requirentibus ſcientiam cognationum, & graduum. fol.321.

§.1. de perſonis, quæ ad tutelam legitimam venire valent. fol. 322.

§.2. de ſucceſſione ab inteſtato de iure communi. fol.324.

Diſp.1. de ſucceſſione deſcendentium. fol.325.

Q.1. quomodo filii legitimi, & naturales ſuccedant aſcendentibus. fol.325.

Q.2. an, & quomodo filij naturales tantum ſuccedant aſcendentibus. fol.328.

Q.3. an, & quomodo filii ſpurii ſuccedere valeant aſcendentibus. fol.332.

Q.4.

Q.4. *quare dum deſcendentes ſuccedunt aſcendentibus non militat regula, quod proximior in gradu excludit remotiorem, ſicut talis regula militat, quando aſcendentes ſuccedunt deſcẽdentibus. fol.355.*

Q.5. *quando lex, vel ſtatutum dicit, quod ad ſucceſſionem defuncti venire debet proximior ipſius defuncti ex ea parte, & linea unde bona venerunt, intelligitur ne unde bona immediate venerunt defuncto, an verò unde bona mediatè, & remotè venerunt. fol.357.*

Q.6. *quomodo regulabatur ſucceſſio de jure Codicis, quando ſimul cum aſcendentibus concurrebant collaterales, & quomodo regulatur hodie jure noviſſimo authenticorum. f.359.*

Q.7. *an fratres uno tantùm latere coniuncti poſſint cum aliquo ex aſcendentibus admitti ad ſucceſſionem. f.360.*

Q. 8. *an nepotes ex fratribus utrinque coniunctis poſſint cũ aſcendentibus ad ſucceſſionem venire. f.360.*

Q.9. *an frater vtrinque coniunctus excludat Auum, vel Auiã, an verò ſimul cum illis concurrat ſicut ſimul cum patre, & matre concurrit. f.361.*

Q.10. *quomodo pater naturalis, legitimus, adulterinus, &c. ſuccedat ſuis deſcendẽtibus. f.362.*

Diſp.3. *De ſucceſſione collateraliũ. f.363.*

Q.1. *an omnes fratres, & ſorores defuncti admittantur ad illius ſucceſſionem, & cum quibus cõcurrere valent ad inteſtati ſucceſſionem. f. 363.*

Q.2. *an nepotes concurrentes ad ſucceſſionem patrui veniant in capita, an in ſtirpem. f.366.*

Q.3. *an filij repudiantis portionem hæreditatis poſſint ad illã venire. f. 368.*

Q. 4. *an ſicut fratres utrinque cõiuncti excludũt fratres uno latere iunctos à ſucceſſione defũcti fratris, ita Patruus duplici latere iunctus excludat à ſucceſſione defuncti nepotis alium patruum uno latere cõiunctum. fol.369.*

Q. 5. *quando quis ab inteſtato decedit non relictis liberis, nec parentibus, nec fratribus, nec eorũ filiis, quinam admittitur ad illius ſucceſſionem. f.370.*

§. 3. *De ſucceſſione in emphyteuſi. f.371.*

§.4. *De perſonis, quæ ad feudalem ſucceſſionẽ venire poſſunt. f.372.*

Q.1. *uſque ad quem gradum agnati venire valent ad feudi ſucceſſionem. f.372.*

Q.2. *an neptis ex primogenito excludat filium maſculum ſecundogeniti. f. 377.*

Q.3. an feudatarius poſſit ſine cõſenſu domini alienare feudum. fol. 378.

§.5. De iure prælationis, & retractus competente agnatis. f. 379.

Q.1. an agnato proximiori competat ius prælationis adverſus extraneum emptorem, non ſolũ in feudo ex pacto, & providentia, ſed etiam in feudo hæreditario. f. 382.

Q.2. an in rebus allodialibus alienatis competat agnato ius prælationis. f. 384.

Q.3. an in venditione ſub haſta, & in venditione neceſſaria, quę fit à iudice pro exequutione rei iudicatæ, competat agnato prælatio. fol. 386.

Q.4. an Clerico conſanguineo competat ius retrahendi ratione ſanguinis. f. 388.

§.6. De ſucceſſione in fideicommiſſis factis fauore deſcendentium, agnatorum, vel familiæ. f. 390.

Q.1. quomodo eſt regulanda ſucceſſio in fideicommiſſis. f. 391.

Q.2. an in fideicõmiſſo facto agnationi, & familiæ ſit admittendus qui teſtatori eſt proximior, an verò, qui magis attinet agnato defuncto. f. 391.

Q.3. an in ſucceſſione fideicõmiſſi, in quo vocantur agnati, & cognati iure primogenituræ, & maioratus, gradus vincat lineam, videlicet admittatur, qui eſt defuncto proximior, licet ſit de linea tertijgeniti, excluſo illo, qui eſt de linea ſecundogeniti. fol. 395.

§.7. De coniunctis, qui ad bonorum poſſeſſionem admitti poſſunt. f. 405.

§.8. De coniunctis citandis in cauſa foriudicationis, ac de coniunctis comprehenſis in banno. fol. 405.

§.9. De pace, & tregua facienda à coniunctis. f. 407.

§.10. De compromiſſis faciendis inter coniunctos. f. 409.

§.11. De accuſationibus inſtituendis. fol. 412.

§.12. De perſonis, quæ pro alio agere valẽt ſine mãdato. f. 416.

Q.1. uſque ad quem gradum coniunctus admitti valet pro coniuncto. f. 416.

Q.2. an in omnibus cauſis coniunctus poſſit admitti pro cõiũcto. fol. 418.

Q.3. an omnis coniunctus valeat pro coniuncto agere. f. 420.

§.13. De coniunctis ad teſtimoniũ admittendis. f. 421.

Q.1. uſque ad quem gradum repelluntur teſtes coniuncti in cauſis tam ciuilibus, quàm criminalibus. fol. 422.

Q.2. an pater in certis caſibus ſit teſtis idoneus pro filio. fol. 423.

Q.3. an frater poſſit eſſe teſtis pro fratre. fol. 424.

Q. 4. an affines etiam repellantur à teſtimonio. fol. 425.
Q. 5. an vltra conſanguineos, & affines repellantur etiam à teſtimonio ferendo familiares, & domeſtici. f. 426.
Q. 6. an conſanguinei, & affines poſſint cogi ad teſtificandum in cauſa hæreſis. fol. 428.
§. 14. De ſuſpectione Iudicis ratione coniunctionis. fol. 429.
Q. 1. uſque ad quem gradum recuſari valet Iudex ratione conſanguinitatis? fol. 430.
Q. 2. uſque ad quem gradum recuſari valet Iudex ratione affinitatis. fol. 432.
Q. 3. an diſſoluta affinitate per mortem uxoris ceſſet ſuſpicio. fol. 432.
Q. 4. uſque ad quem gradum recuſari valet Iudex ratione inimicitiæ. f. 334.
§. 15. De coniunctis qui interuenire debent in inſtrumentis minorum, vel mulierum. f. 346.
§. 16. De perſonis, quę fiſcum excludunt à bonis damnatorum, ſeu proſcriptorum. fol. 437.
§. 17. De effectibus conſanguinitatis, & parentelæ. fol. 438.

FINIS.

TRA-

TRACTATVS

De Gradibus Cognationum pro utroque Foro valdè utilis, & neceſſarius.

AUTHORE

REVER. D. MATTHÆO-JANUARIO SIBILIA Neapolitano,

S.T.D., & V. I. Publico Interprete.

FRequentiſſima hęc, & in omni foro uſu veniens Materia, licèt à multis Doctoribus,& Jurium Interpretibus, tra-
ata, præſertim ab Oliverio
extore, Matthæo Verrucci,
anne Brunello, Alexandro
arrerio, Stephano Coſta, Joan-
Andręa, Prosdocimò de Co-
itibus,Joanne Cyntholtz,Hie-
nymo Mangiariæ, Gregorio
hannuſio,& ab aliis Canoniſtis,
Summiſtis,quos vidi,& omnes
rca Lecturam Arboris Conſan-
uinitatis, & Affinitatis conati
at facilem tradere modum, ta-
en ut dicit Prosdocimus de
omitibus: *in Arbore Affinitatis,
Conſãguinitatis multi Doctores
aria Commentaria ſcripſerunt, & quidam declarantes, ſeù potius offuſcantes ignotum per ignotius, vel notum per ignotũ explicarunt.* Undè adhuc res obſcuritate aliqua tenetur: hujus enim Arboris rami, brachiorum more porrecti in tanto numero obſcuritatem, & opacitatem generant, quæ ab intelligentiæ lumine non ita de facili ſuperari valet.

Rogatus ſæpiùs fui à ſtudioſis Juvenibus (quorum juſtis,ac virtuoſis nihil denegare ſoleo petitionibus) ut brevi quodam Compendio, & clarè materiam hanc pertractarem. Quod & ſi mihi difficile eſſe putarem, tamen illis pro virili ſatisfacere conatus fui; totam Materiam Cognationum explanando, breviter leges interpretando, & quæ antinomia redolent, concordando.

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E. ROMA

Sed quia amicorum multitudo, qui hujus mei laboris fuerũt conſcii, me ſæpius hortari, ac rogare cœperunt, ut à me ſcripta typis excudendum traderem, & exemplo Lucilij Senecæ ſcribentis, dicebant: *mitte, & nobis iſta, quæ tam efficacia expertus es.* Cui Seneca benignè his verbis reſcripſit Epiſt. 6. *Ego cupio in te omnia transfundere, & in hoc gaudeo aliquid diſcere, ut doceam: nec me ulla res delectavit, licèt eximia ſit, & ſalutaris, quam mihi uni ſciturus ſum. Si cum hac exceptione detur ſapientia, ut illam incluſam teneam, nec enunciem, rejiciam. Nullius boni ſine ſocio jucunda poſſeſſio eſt.*

Hiſce hortationibus commotus malui omnium notam ſubire illis obtemperando, quàm eorũ benevolentiam amittere; quamvis non me lateat quàm grave onus ſuſcipiant, qui ſcripta ſua omnibus legenda proponunt: ex quo C. Lucilius dicere ſolebat, ea quæ ſcriberet, neque ab indoctis, neque à doctis legi velle: quod alteri nihil intelligerent, alteri verò plus fortaſſe, quàm ipſe de ſe; & *Cic. lib. 1. de nat. Deor.* dicit, difficile eſſe in dicendo omnibus ſatisfacere, ejus verba ſunt. *Magnum onus eſt atq; munus ſuſcipere, ac profiteri, ſe ſe omnibus ſilentibus unum maximis de rebus magno in conventu hominum audiendum. Adeſt enim ferè nemo, quin acutius, atq; acrius vitia in dicente, quam recta videat. Ita quicquid eſt in quo offenditur, id etiam illa quæ laudanda ſunt obruit: & quoties dicimus, toties de nobis judicatur. Nec quicquam eſt tam inſigne, nec tam ad diuturnitatem memoriæ ſtabile quàm id in quo deliqueris.* Ergo à lividorũ, atque criticorum calumniis immunis non ero. Sed omnes rogo, ut ſi quid boni, atq; ſubſtantiale contra à me ſcripta habent, in medium proferant, quia aliorum emendationes non graviter fero, non enim tanti me facio, ut errare non valeã, immo malo à perito emendari, quã ab idiota laudari.

Dicent fortè aliqui, me non eleganter ſcripſiſſe. Claritatem amavi, Tironũ gratia ſcripſi, grãmaticã non affecto, ſicut nec affectarunt majora luminaria noſtræ legalis ſcientiæ. Dicent alii me multoties aliorum dicta ad litteram tranſcripſiſſe. Poteram grãmaticam mutare, & alienos labores, ut proprios proponere, ut multi faciunt, at nolui furtum committere, ideò etiam authores citavi. Dicent, & alii me non eruditos, atq; exteros citaſſe authores. Quos habui perlegi, illoſque tantum citavi: verum in noſtra legali ſcientia non à quo di-

dicitur, ſed quid dicitur præcipuè **ſpectandum**, cum omnes de **uno** fonte hauriant. Accuſent **alii me** non eruditè ſcripſiſſe. Fa**teor meam** imbecillitatem, feci **quod** potui, non enim Deus **omnibus** hominibus æqualia de**dit talenta**: Pro me tantum hac **noſtra** ætate videtur locutus *Senec. Epiſt.* 2. dum dicit: *Lectio multorum authorum, & omnis generis voluminum habet aliquod vagum, & inſtabile: diſtrahit enim animum librorum multitudo: multaq; deguſtare faſtidientis ſtomachi eſt, quæ ubi varia ſunt inquinant, non alunt: nihil ſciunt qui omnia curſim, & properantes tranſmittunt: nuſquam eſt qui ubique eſt.* Ideò meam cognoſcendo imbecillitatem, conſilium ejusdem *Seneca loc. cit.* ſum amplexus, dum dixit: *Certis ingeniis immorari, & innutriri oportet ſi velis aliquod trahere, quod in animo fideliter ſedeat*; ità etiam certis ſcientiis immorari, & innutriri oportet. Fateor tamen me in legali ſcientia nihil eſſe, ut aliquod tamen eſſem laboravi, atq; laboro; nullus mihi per otium dies exiſtit: partem noctium ſtudiis vindico, & in hoc gaudeo aliquod diſcere, ut doceam.

Ut igitur dinumeratio graduum tàm de Jure Canonico, quàm Civili omnibus notior fiat, & labores illorum, qui ea indigent, leventur, Arboris ramos diviſim à trunco poſui cum ſuis explanationibus; undè, ut reor, Tractatus iſte publicæ utilitati commodum eſt allaturus; nam quilibèt etiam ſine Magiſtro ex ſola oculorum inſpectione conſequi poteſt certam, ac determinatam diſtantiam, vel propinquitatem perſonarum in qualibet linea, & alia multa pro utroq; foro neceſſaria, nam ut inquit Seneca Epiſt. 6. *Homines amplius oculis, quàm auribus credunt*, ad quod alludens Horatius in arte Poetica cecinit:

Segnius irritant animos demiſſa per aurem,
Quàm, quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus.

Nihil igitur in hoc tractatu, quantum quidem in me erit, deſiderari patiar, quod, ut feliciter eveniat ad Dei Omnipotentis adjutorium recurro, & ſpem omnẽ ad maximam Summæ Trinitatis providentiam refero, & cum Davide humiliter cano: Pſalm. 30. *Domine non confundar, quoniam invocavi nomen tuum*, qua invocatione præmiſſa tractatum in tres partes diviſum aggredior.

Undè ſit

PARS PRIMA

De Utilitate, atque neceſsitate Scientiæ numerationis graduum, & Cognationum.

UT libentius Juris ſtudioſi ad lectionem hujus materiæ perducantur, ab ejus utilitate, & neceſſitate incœpi; *Cunctis enim utilitas perſuadet, Ariſtotel. lib. 1. Rethoricor. cap. 8.* facit *text. in l. 1. ff. de orig. Juris*. Et quod Juris Conſultis non ſolùm utilis, verùm & neceſſaria ſit ſcientia Cognationum, & numerationis graduum expreſsè habetur in *l. 10. ff. de gradibus affinitatis*, cujus verba ſunt: *Juris Conſultus cognatorum gradus, & affinium noſſe debet*. Verbum enim *Debet*, neceſſitatem, vel ſaltem decentiam ſignificare ſolet, *Dec. in cap. cauſam quæ, nu. 17. de offic. Delegati, Bart. in l. creditores 3. num. 3. C. de Pignoribus*. Innumeri enim caſus mediante hac ſcientia regulantur, ideò accuratiſſimi eſſe debemus in acquiſitione præſentis ſcientiæ tàm præclaræ, tàm utilis, tàm neceſſariæ: turpè ſiquidem eſt Juriconſulto jus, in quo verſatur ignorare, ut dicit *text. in l. 2. §. ſervius autem Sulpitius, ff. de orig. Jur.* Et quia de particularibus jam determinatis judicium fertur, ut dicit *Ariſtotel. loc. cit. cap. 1.* ibi: *Illud autem omnium maximum eſt, quod legislatoris judicium non de ſingulis, nec de præſentibus, ſed de univerſalibus, & de futuris: Senator verò, & Judex de præſentibus jam determinatiſque judicant*; ideò, ut quilibet valeat judicium ferre, an præſens materia utilis, & neceſſaria ſit, volui ſigillatim enumerare caſus, in quibus decidendis, vel de Jure Canonico, vel de Jure Civili utilis, & neceſſaria eſt ſcientia Cognationũ, & numerationis graduum, quod inutile certè non eſt, nec à præſenti materia alienum, nec omninò tædioſum. Ut igitur cum methodo aliqua procedam, in prima parte hujus tractatus enumerabo caſus, in quibus decidendis de Jure Canonico neceſſaria eſt ſcientia Cognationum, & graduum. Deindè caſus, in quibus de Jure Civili talis ſcientia deſideratur. In ſecunda parte Cognationes omnes explanabo. Et tandem in tertia parte claras regulas pro graduum numeratione tradam. Sit igitur

CAPUT I.

e. caſibus Jure Canonico requirentibus ſcientiam Cognationum, & graduum.

Plures in Jure Canonico, & in foro Eccleſiaſtico danr caſus pro quibus regulandis, decidendis eſt neceſsaria hæc entia; multoties enim ex illius orantia, vel quia non advertur, an caſus ſit regulandus per entiam Cognationum, & graum ſolent graves patrari eres cum magno ſcandalo: Et idem, ſemper ac caſus aliquis decidendus habito reſpectu parentelam, & conſanguiniem, quia parentela, & conguinitas ſub ſenſu non cadit, et clarè probari per gradus, ncipi debet à ſtipite, *Brognin. valcanus p. 5. deciſ. 22. num. 3. & ſeqq., Brixian. in Repertor. deciſ. Cavalcani, verb. Gradus entelæ:* ad quod multoties advertitur, ideò, ut in futu dicti errores vitentur ſub æſenti Capitulo omnes ferè aſus collegi, & per Paragraphos diſpoſui, de ſingulis diſcurrendo, prout præſens materia patitur.

§. PRIMUS.

De perſonis, quæ ratione cognationis Matrimonium contrahere prohibentur.

Primo, Jure Canonico, neceſſaria eſt ſcientia numerationis graduum, & Cognationum pro Matrimoniali contractu: Matrimonium enim à Deo primo inſtitutum in ſtatu innocentiæ ad ſobolem tantùm ſuſcipiendam, & poſt peccatum ad ſobolem ſuſcipiendam, & ad fornicationem vitandam, *35. q. 2. Can. 2. §. his ita.* non poteſt indifferenter cum qualibet perſona contrahi, ſed Jure naturali, Divino, vel humano prohibetur copula conjugalis inter perſonas conſanguinitate, vel affinitate conjunctas in certis tamen gradibus, ut *35. q. 2. & 3. Can. Ad Sedem Apoſtolicam. 35. q. 5. cap. un. de conſanguinitate, & affinitate in Clementinis.* Prohibetur etiam copula conjugalis ratione publicæ honeſtatis, quæ ex ſponſalibus oritur inter ſponſum, & conſanguineos ſponſæ, & è contrà: & tandem inter conjunctos cognatione ſpirituali, & cognatione civili, etiam talis prohibitio reperitur, ut ex dicendis conſtabit. Ideò tenemur cognoſcere

ſcere inter quos talis prohibitio reperitur, ne quod ſanctè inſtitutum eſt, ad animæ perditionem vertatur. Undè ſit.

DISPUTATIO I.

De Impedimento Conſanguinitatis.

De conſanguinitate, & aliis Cognationibus ſermo erit infra in ſecunda parte hujus noſtri Tractatus. In præſenti autem de conſanguinitate pertractatur prout impedimentum matrimonij eſt, & gradus continet. Undè

QUÆRES I.

Quo Jure, & uſque ad quem gradum prohibeatur contractio matrimonii inter conſanguineos in linea recta.

INter conſanguineos, ſeù carnali cognatione conjunctos, *Vvitcleff*, vel ut alii ſcribunt *Vvickleff*, diaboli organum, hoſtis Eccleſiæ, confuſio vulgi, Hæreticorum idòlum, hypocritarum ſpeculum, ſchiſmatis inventor, odii ſeminator, mendacii fabricator, ut illum vocat *Vvalſinghamus Anglus in Rix.11.* & *Henricus Spondanus in annalibus Eccleſiaſtic.tom.1.anno 1384. pag.624. num. 13.* nullum agnoſcit impedimentum in quocumque gradu, ut refert *Alex. Carrer. de ſponſalibus, & matrim.lib.2.cap.5.* Undè more Perſarum, & aliarum nationum, de quibus *Covarr. de ſponſal. par.2. cap.6.§.10.num.4.*, *Sanchez lib.7.de impedim.matrim. diſp.51.n.6.* inceſtas nuptias cum matribus, filiabus, & ſororibus admiſit: nō enim *Vvitcleff*, ejuſq; ſequaces abhorruerunt illicitam, & nefariam conjunctionem, quam etiam quædam bruta Animalia perhorreſcunt, & mirum in modum averſantur, ut refert *Ariſt. lib.9. de Hiſtor. animal.cap. 47.* his verbis: *Cameli matres nunquam ſuperveniunt ſuas, ſed etiam ſiquis cogat, ipſi non patiuntur. Jam cum aliquando Admiſſarius non haberetur, Curator pullum matri opertæ admiſit, qui dum coiret, delapſo operimento agnovit matrem, & quamvis coitum abſolverit, memor tamen commiſſi ſceleris, paulo poſt Camelarium illum morſu defixo interemit. Ferunt enim Regi Scytharum fuiſſe equam egregiam, ex qua mares generoſi omnes gignerentur, quorum unum,*

qui

ui præſtantior haberetur ; cum ut
è Matre procrearet , placeret,
dmiſſum omninò recuſaſſe , oper-
m deindè latuiſſe Matrem , ut
prudens ſupervemiret : verùm
i à concubitu faciem Matris de-
ctam agnoverat , fugam prope-
ſſe , atque ſeipſum actum præci-
rem interemiſſe . Verumtamen
t,quod dicta exempla non pro-
nt tales conjunctiones eſse il-
itàs jure naturali primario :
ia ut in cōſimili materia dicit
raſius lib. 6. miſcellan. cap. 25.
4. hoc quod raro contingit, eſt
oddam ſtupendum miraculū ,
od nec legem conſtituere de-
: , nec ad humanarum actio-
n exemplum trahi.
Nos tamen , cum Catholicis
imus , quod inter conſangui-
s in linea recta.s.inter aſcen-
tes , & deſcendentes reperi-
prohibitio conjugalis copulę
: naturę ſecundario , quod ſo-
appellari jus gentium pri-
vum, de gradu tamen eſt quæ-
. Indubitatum tamen eſse
et apud omnes matrimonium
primo gradu conſanguinitatis
ę rectę, eſse ipſo jure natura-
itum, ut dicit *Covarr. loc.cit.*
a eſt, quia omnes gentes benè
uctæ, ſolò naturæ lumine nu-
s inter hos nefandas exiſti-
t, & *Ariſt. lib.2. politicor. cap.*
prehendit uxorum comunio-

nem , quia ſequeretur filios parentibus jungendos. Undè Perſæ ea connubia permittentes , tanquam Barbari notantur à Tertulliano, Divo Auguſtino, & aliis, ut refert *Sanchez lib. 7. de impedim matrim. diſp. 51. n. 7.* Proptereà de Pompejo legitur , quod à Cornelia uxore pudica diſsuaſus eſt , ne Perſas adiret ; eorum libidinem deteſtata , qui more ferarum matribus , & ſororibus promiſcuè utebatur , ut expreſſit Lucanus lib. 8. inquiens.

At non Cornelia letum
Infando ſub Rege timet , num barbara nobis
Eſt ignota Venus , que ritu cæca ferarum
Polluit innumeris leges , & fœdera tedæ
Conjugibus , thalamiq; patent ſecreta nefandi
Inter mille nurus ? epulis veſana , meroque
Regia , non ullos exceptos legibus horret
Concubitus : tot fœmineis complexibus unum
Non laxat nox tota marem , jacuere ſorores
In regum thalamis , ſacrataque pignora matres.
Damnat apud gentes ſceleris non ſponte peracti
Oedipodionias infelix fabula Thebas.

Par-

Parthorum Dominus quoties ſic
ſanguine mixto
Naſcitur Arſacides? cui fas imple-
re parentem,
Quid rear eſſe nefas? proles tam
clara Metelli
Stabit barbarico conjux milleſima
lecto.

Deteſtanda eſt ergo fœda conjunctio cum patre, vel matre; quia ut dicit *D.Ambroſ. Epiſt.66. ad Paternum*, Connubium patris cum filia pugnat cum lege naturæ in ſingulorum cordibus ſcripta, dicit enim: *Ne pater filiam ſuam accipiat uxorem, interdictum eſt naturæ jure, interdictum eſt lege, quæ eſt in cordibus ſingulorum, interdictum eſt inviolabili præſcriptione pietatis, titulo neceſsitudinis.*

Nec in oppoſitum, facit aliquas nationes tale jus non ſervaſse, ut ex traditis per *Covarr. loc. cit.* ergò tale jus naturale non eſt. Nam furtum jure naturali iniquum reputatur, & tamen apud Germanos iniquum non reputabatur, ſicut nec apud Ægyptios, & Lacedæmonios, ut tradunt *DD.* à *Covarr.* relati: Sufficit igitur quod jus naturale ſervetur generaliter ab aliis hominibus licet ex errore aliquæ gentes tale jus in particulari non ſervent, nam poteſt in aliquo homine dictamen naturalis legis extingui, & ſopiri, abſq; eo quod in eo extinguatur lex naturæ. Hinc Adam, ut ſignificaret parentes à conjugio liberorum excludi, dixit *Geneſi 2. Propter hoc relinquet homo patrē, & matrem, & adhærebit uxori ſuę;* quæ verba in alio ſenſu intelligi non poſsunt, ut dicit *Abb. in cap. debitum de bigam.* quia ſi intelligerentur ad litteram, ſequeretur, quod homo teneretur relinquere dilectionem, & cohabitationem patris, & matris propter uxorem, quod eſt contra jus naturale, *Pignatell. to.7. conſult.22.num.2.*

An autem prohibitio conjugalis copulæ jure naturæ ſe extendat ultra primum gradum lineę rectę, quęſtio eſt inter *DD.*

Prima, opinio eſt *Gloſ in cap. litteras. De reſtitut. ſpoliat. & in Can. Progeniem. cum ſimilibus 35. q. 2. & 3.* aſserentis, jure naturali perpetuam eſse prohibitionem conjugalis copulę inter aſcendentes, & deſcendentes, ideſt quouſque de cōſanguinitate poteſt memoria haberi. Quā ſententiā amplectuntur *Stephan. Coſta de cōſanguinit. & affinit. n.31. & ſeqq. Oliver. Textor. in tit. de Gradib. Cognat. q.34. n.24. & ſeq.* ubi hanc eſse communem opinionem de Jure Canonico, & Civili aſserit, & *Sanchez l. c. cit. diſp.51.*

. 51. q. 2. num. 12. refert 50.
:iter ex Canoniſtis, Sum-
tis, & Theologis, qui talem
inent opinionem.

Nec caſus iſte fictitius, & im-
ibilis reputari debet: nam *Co-*
loc. cit. n. 4. refert *D. Aug. lib.*
le Civit. Dei cap. 8. de longa
e veterum hominum dicen-
Quis itaq; dubitaverit, per unius
inis ætatẽ tàm multiplicari po-
genus humanum, ut eſſet undè
tituerentur nõ una, ſed plurimæ
tates. Quod ex hoc conjici fa-
nè poteſt, quia ex uno Abrahã
ulto ampliùs quadringẽtis an.
umeroſitas Hebrææ gentis tã.
ocreata eſt, ut in exitu ejuſdẽ
i ex Aegypto ſexcenta millia
nũ fuiſſe referãtur bellicæ ju-
utis; ut omittamus gentem
æorum non pertinentem ad
um Iſrael, quam genuit fra-
us Eſau nepos Abrahæ, &
gentes natas ex ſemine Abra-
non per Saram conjugem pro-
as. Hæc Auguſt. cui in com-
ariis addit Ludovic. Vives:
memoria Patrum, vicus penè
m domorum in Hiſpania, cu-
nnes incolæ erant à ſene quo-
qui adhuc vivebat, progeni-
ùt propinquitatis nomen jam
, quo à minimis natu voca-
lingua enim noſtra ſupra
um non aſcendit. Hactenus
.

Probant igitur hanc opinionem primò, quia natura reſpuit matrimonium inter parentes, & liberos ratione reverentiæ debitæ parentibus à liberis; ſed major ſubjectio, & reverentia debetur aſcendentibus remotioribus, ergò inter aſcendentes, & deſcendentes jure naturæ repugnat ſocialis æqualitas matrimonii. Secundò, quia in gradibus remotioribus, licèt ſit minor propinquitas ſanguinis, & ſic minor indecentia conjugii appareat, quàm inter parentes, & liberos; eſt tamen major inæqualitas ætatis; ergo major indecentia. Tertiò, quia omnes aſcendentes jure naturali habent rationem principii, & ſuperioris reſpectu deſcendentium, qua ratione Chriſtus Dominus, ac Servator noſter *Matth. 1.* appellatur filius Abrahæ, & David, à quibus remotiſſimè deſcendit: Sed jure naturæ repugnat inferiorem fieri æqualem, ac ſocium ſuperiori in aliquo actu naturali, ergo jure naturali repugnat inter illos contractio matrimonii, ex quo æqualitas conſtitueretur; qua ratione etiam Jure Civili ſtatutum eſt prohibitionem hanc nullis finibus contineri, ſed in infinitum protrahi, *Inſtit. de nupt. §. ergò non omnes. l. nuptiæ. l. & nihil. ff. de ritu nuptiar.*

Nec in contrarium facit *text. in cap. non debet. de Conſanguinit. & Affinit.* ubi ad quartum tantum gradum reſtringitur conſanguinitas. Quia dicunt, quod *text.* non intelligitur de conſanguinitate in linea recta, ſed tantùm in linea transverſali; & hoc ad vitandam correctionem legum, quæ nonniſi expreſsè facienda eſt. Undè, qui hanc ſententiam ſequntur, tenent, quod ſi Adam hodiè reſurgeret, matrimonium contrahere non poſſet, quia omnes ab ipſo recta linea deſcendunt.

Secunda opinio aſſerit matrimonium in linea recta conſanguinitatis non prohiberi jure naturæ in infinitum, ſed certis finibus talis prohibitio continetur; quia conſanguinitatis ratio, ſivè participatio ejuſdem ſanguinis per ſucceſſivas generationes debilitatur, ergo in infinitum protendi non poteſt. Undè *Ledeſma*, & alii pauci relati à *Sanchez lib. 7. de Impedim. matrim. diſp. 51. q. ult. n 15.* tenent, durare hoc impedimentum, quamdiù amicitia, & communicatio proprietatum individualium inter aſcendentes, & deſcendentes durat, non tamen determinant quādiù durat talis amicitia, ſed tantùm aſſerunt non protendi in innitum.

Tertia opinio eſt *Covarr. de Sponſal. part. 2. cap. 6. §. 6. in fine*, ubi dicit prohibitionem hanc non excedere vigeſimum gradū, ergo ſecundùm ipſum vigeſimus gradus comprehenditur.

Quarta opinio eſt *Ludov. Lopez*, aſſerentis prohibitionem uſque ad ſeptimum gradum extendi; verùm ultra quartum gradum poteſt Pontifex diſpenſare, adeòque videtur aſſerere, quod uſq; ad quartum gradum prohibitio eſt de jure naturæ; quia in quarto gradu Pontifex diſpenſare non poteſt, à quarto verò uſq; ad ſeptimū eſt de jure Pontificio.

Quinta opinio docet, prohibitionem protendi uſque ad quartum gradum, ità *Goffred. in ſumm. tit. de conſaguin. & affinit. §. ſciendum 4.*, *Bonac. de Impedim. matrim. q. 3. punct. 5. § 1. n. 10. & alii*; attamen aſſerunt nō omnes quatuor gradus eſſe prohibitos jure naturæ, ſed aliquos jure naturæ, & aliquos jure Canonico, & ità dum *in cap. non debet. de conſaguin. & affinit.* ſtatuitur prohibitionem copulæ conjugalis non excedere quartum gradum, illum intelligunt tàm de linea aſcendenti, & deſcendenti, quàm de collaterali, quia *text.* ſinè ulla diſtinctione loquitur, & ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus.

Sexta

Sexta ſententia tenet, probabile eſſe, ſed non certum, hujuſmodi nuptias irritari jure naturæ uſque ad quartum gradum: *Palacios 4.diſt.40.diſp.un.col.22.fol. 925.* ſimiliter *Enriquez lib.12. de Matrim.c.9. n.3.* dicit, *in ſecundo gradu eſſe irritũ matrimoniũ jure naturæ, & probabile etiam videri in quarto gradu, ſed non ultra*, & *c.1.n.2.* ait, *forſan jure naturæ irritari in ſecundo, & tertio gradu.*

Septima ſententia docet, prohibitionem juris naturalis in linea recta protrahi uſque ad ſecundum gradum, ut inter parentes, & filios, avos, & nepotes, nec ulteriùs progredi, ità *Sot. Angles, & Valent.* relati à *Sanchez lib.7.de Impedim.matrim.diſp.51. q.ult.nu.18.* & comprobari poteſt ex *Can. Pitaciũ.30.q.3.* ubi *Gl.* dicit, quod inter aſcendentes, & deſcendentes primus, & ſecundus gradus reperitur Divina lege prohibitus, quod enim Divina lege prohibetur, etiam jure naturæ prohibitum eſt.

Octava tandem ſententia tenet, quod in ſolo primo gradu aſcendentium, & deſcendentium eſt interdictum, & irritum matrimonium jure naturæ: quia avùs, & cęteri aſcendentes non ſunt principium nepotum per ſe, ſed per accidens, cum poſſit eſſe filius ſine avo, ut fuerunt filii Adami, quibus nullus fuit avus, adeoque reverentia debita avo à nepotibus, non eſt neceſſariò, ac per ſi debita, ſed per accidens, ergo non poteſt præſtare impedimentum jure naturæ dirimens matrimonium, ſicut præſtat reverentia debita patri. Hanc ſententiam ſuſtinent multi, quos citat, & ſequitur *Sanchez loc. cit. n.19. Bonac. de impedim.matrim. q.3.punct.5.§.1.n.8.* & meus *Illuſtriſſ.Præceptor Frãciſcus Verde, vir integritate vitæ, & doctrina ſingularis lib.1.inſtitut. Civil. tit. de Nupt.n.307.& ſeqq.*

Quamvis ſecundùm hanc ultimam opinionem tantùm primus gradus lineæ rectæ ſit jure naturæ prohibitus, tamen, ut dicit *Sanchez loc.cit. n.20.& ſeqq.* in aliis gradibus ultra primum non prohibetur matrimonium jure naturali irritante, ſed eſt aliquo modo contra jus naturæ in illis contrahere, quando deficit aliqua juſta cauſa, quia contrahere in illis gradibus, aliquam indecentiam naturalem importat, niſi aliqua juſta cauſa cohoneſtetur; ſeù, ut loquitur meus Præceptor, eſſet illicitum, ſed non invalidum jure naturæ matrimonium contractum in quocumque gradu lineæ rectæ, primo gradu excepto, quando deficit aliqua juſta cauſa.

Ex quo inferunt, quod ſi infideles matrimonium contraherent cum ſuis aſcendentibus, demptis patre, & matre, ſi deindè convertantur ad fidem, non ſunt ſeparandi: dummodò matrimonium illud non ſit contractum contra leges ſuas, aut conſuetudines matrimonia irritantes; quia ſufficit, quod ſecundùm legem naturalem, & ſecundùm proprias leges (ſi naturali legi repugnantes non ſint) matrimonium contrahant; non enim tenentur ſervare leges Canonicas, dum extra gremium Eccleſiæ ſunt. *cap. gaudemus. de divortiis.*

Inferunt etiam, poſſe fideles contrahere matrimonium in linea recta aſcendentium, & deſcendentium ultra quartum gradum, quia jure naturæ ſolus primus gradus interdicitur, & jure Eccleſiaſtico prohibitio non excedit quartum gradum, *cap. non debet. de conſanguin. & affinit.*

Hæc tamen conjunctio inter patrem, & filium, licèt prohibita ſit jure naturæ, non tamen eſt ita intrinſecè mala, ut eſt mendacium, & ideò *Sanchez lib. 7. diſp. 51. n. 9.* dicit, quod poteſt Deus diſpenſare, ut Matrimonium contrahatur inter patrem, & filiam, quia nullus gradus tollit omninò finem Matrimonii, licèt aliquo modo impediat: *Et num. 10.* dicit, quod in aliquo caſu extremæ indigentiæ etiam citrà ſpecialem Dei diſpenſationem, poſſent dictæ perſonæ matrimonium contrahere, puta, ſi ſoli filius, & mater, aut pater, & filia in mundo exiſterent. Hac ratione *Divus Chryſoſt. Divus Ambroſius, & alii Sancti Patres*, filias Loth carnaliter cognitas à Patre excuſant à culpa: nam illæ arbitrabantur nullum virum ſupereſſe, qui generationi deſervire poſſet. Ità etiam tenet *Bonac. loc. cit. num. 12. in reſponſ. ad argum.*

QUÆRES II.

Quomodo dignoſcitur an prohibitio matrimonii illum irritum reddat de jure naturæ.

Regulam tradit *Sanch. loc. cit. num. 3.* dicendo quod non eo ipſo, ac matrimonium jure naturæ interdicitur in aliquo gradu, ſtatim eſt irritum illomet jure: nam matrimonium contra priorum ſponſalium fidem, aut adverſus ſimplex caſtitatis votū initum, adverſatur juri naturali dictanti fidem Deo per votum, & homini per ſponſalia datam, implendam eſſe, cum ex promiſſione naturalis obligatio naſcatur, & ta-

& tamen in nullo ex his caſibus matrimonium eſt irritum, licèt ſit illicitè contractum: Non enim ſemper actus factus contra legem prohibentem eſt nullus, ſed aliquando tenet, licèt illicitè ſit factus, ut patet in illo, qui non obſtante prohibitione Eccleſiæ contrahit matrimonium tempore Adventus, vel Quadrageſimæ. Si verò lex irritaret actum, vel prohiberet uſum illius, tunc actus factus contra legem prohibentem, eſſet nullus, ut patet in matrimonio contracto cum affine, vel conſaguineo contra prohibitionem Eccleſiæ irritantem, & vetantem uſum dicti matrimonii: aliud enim eſt prohibere, aliud irritare: nam multa prohibentur, quæ aliàs valida ſunt: & ideò communiter dicitur, quod multa facta tenent, quæ fieri prohibentur, facit *text. in l. Patre furioſo. ff. de ijs, qui ſunt ſui, vel alien. jur. cap. un. §. fin. de Voto, & voti redempt. in 6. Gl. & Dinus in regul. Quæ contra jus fiunt. de regul. jur. in 6. Bonacin. de legib. diſp. 1. qu. 1. punct. 7. §. 5. num. 1. 2. & 8.*

Vt tamen cognoſcere valeas, quando matrimonium dicatur prohibitum jure naturæ inter aliquas perſonas prohibitione irritante.

Advertas, quod illa dicuntur præcepta naturalia, quæ ſolo naturali lumine ſinè aliquo diſcurſu, aut ſaltèm facillimo diſcurſu cognoſcuntur, & apud omnes Nationes benè inſtitutas, ſunt eadem, & habent eandem rectitudinem: Undè prohibitio naturalis eſt deducenda ex eo, quod actus rationi naturali apud omnes nationes ipſo lumine naturali dictante repugnat, nam, ut dicit *Bonac. loc. cit. punct. 2. num. 7.* lex naturalis eſt ipſa convenientia, & diſconvenientia rei cum recta ratione, & ideò diſcõvenientia, quam habet mendacium, vel adulterium cum ipſa ratione, eſt ipſa lex naturalis, quà prohibetur mendacium, vel adulterium: ſicut convenientia, quam habet conſervatio famæ proximi cum recta ratione eſt lex naturalis dictans, ſervandam eſſe famam.

Hæc autem prohibitio, vel poteſt eſſe de re ita intrinſecè mala, ut nulla ratione, & in nullo eventu cohoneſtari poſſit, ut eſt mentiri, fornicari, &c. Vel poteſt eſſe de re mala, & apud omnes ita habita, ſed ratione extremæ indigentiæ excuſari valet, & in tali caſu actus non comprehenditur ſub prohibitione, ut eſt contrectatio rei alienæ, nam apud omnes res mala eſt, & naturali ratione prohibetur, tamen in caſu

ſu extremæ indigentiæ poteſt quis aliena accipere, nec furtum dicitur.

In matrimonio autem non poteſt dari naturalis prohibitio tãquam de re intrinſecè mala, quia matrimonium fuit à Deo inſtitutum in ſtatu Innocentiæ, & quicquid Deus inſtituit, atque fecit, eſt valdè bonum, *Geneſ. 1. num. 31.* & ideò nullus gradus eſt, in quo conjugium ita ſit intrinſecè malum, in quo Deus Auctor naturæ diſpenſare nequeat, ***Pignatell. tom. 7. conſult. 22. in princip.*** Sed poteſt dari prohibitio naturalis ex triplici capite. Primò, quia aliqua conjugalis conjunctio adverſatur juri naturali ex aliqua ſola extrinſeca circumſtãtia, ſeù eſt contra aliquod jus naturæ, & tunc conjunctio non dicitur nulla jure naturæ, ſed dicitur illicita; ut patet quando matrimonium contrahitur contra ſimplex votum caſtitatis, vel contra priora ſponſalia, ut ſupra dictum eſt. Secundò, poteſt dari prohibitio naturalis ex eo, quia aliqua conjugalis conjunctio repugnat naturali rationi, & apud omnes nationes benè inſtitutas ſolo lumine naturali dictante, ut mala habetur; & tunc dicitur irrita jure naturæ: cum hoc tamen ſtat, quod in caſu extremæ indigentiæ talis conjunctio non intelligatur prohibita, nec habetur ut mala. Tertiò, poteſt dari naturalis prohibitio, ex eo quia conjugalis conjunctio repugnat naturæ, & intrinſeco fini ipſius matrimonii, qui eſt Procreatio ſobolis, & remedium concupiſcentiæ, & tunc ſemper irrita, & nulla eſt talis conjunctio, ***Sanch. lib. 7. diſp. 51. num. 3. & ſeqq.***

Ex quo infero, quod matrimonium contractum inter conſanguineos in primo gradu lineæ rectæ, non poteſt dici irritum: quia non repugnat, nec adverſatur fini matrimonii, nullus enim gradus tollit omninò finem matrimonii: cùm ex qualibet conjunctione poſſint naſci, & educari liberi, ſed aliquo modo impedit finem matrimonii. Dicitur tamen nullum, quia apud omnes benè inſtitutas nationes mala reputatur talis conjunctio ex ſolo lumine naturæ. Quo ſenſu, an matrimonium in reliquis gradibus lineæ rectæ poſſit dici nullum jure naturæ, vel tantùm tale dicatur ex ſola prohibitione Eccleſiæ, non eſt meum determinare, ſed conſulas recenſitas opiniones.

Ut certum tamen teneo, quod ultra ſecundum gradum lineæ rectæ matrimonium non eſt irritum jure naturæ, quia ſi eſſet irritum tali jure, fuiſſet etiam à

Deo

Deo data prohibitio Levitici 18. ubi tantùm de primo, & ſecundo gradu prohibitio habetur. An aut prædicti gradus Levitici impediant, & dirimant jure naturali Divino, an tantùm jure Divino, dicemus infrà.

QUÆRES III.

Uſque ad quem gradum prohibetur contractio Matrimonii in linea tranſverſali, & quo jure?

TRipliciter poteſt conſanguinitas matrimonium impedire: Primò, ex præſcripto legis naturæ: Secundò, legis Divinæ: Et tertiò, ex præcepto Eccleſiæ. Undè videndum, uſque ad quem gradum, & quo jure prohibita ſit contractio matrimonii in linea collaterali.

Olim propter hominum raritatem nulla fuit prohibitio in linea collaterali; undè tempore Adæ, frater neceſſariò habuit contrahere cum ſorore, conſanguineus cum conſanguinea, quod etiam fuit in nepotibus Noè poſt diluvium, ut patet *ex cauſ. 35. q. 1. §. his ita reſpondetur. & Can. cum igitur genus humanum.* Tempore Abrahæ nec erat prohibitio inter patruum, & neptem, &. ideò potuit cum Saraì contrahere, quia, ut ſcribit *Divus Hyeronim. in lib. quæſt. Hebræ. in Geneſ. Aran filius Thare, frater Abraham, & Nacor duas filias genuit Melcham, & Saraì, è quibus Melcham accepit uxorem Nacor, & Saraì Abraham, Ant. Gubert. Coſtani in tract. de matrim. tit. de his, qui nupt. contrahe. poſſ. num. 154. Alex. Carrer. de ſponſalib. & matrim. lib. 2. cap. 5.*

Tempore verò Moyſis fuit habita Divina prohibitio nō ſolùm in primo gradu lineæ tranſverſalis, ſed etiam in ſecundo gradu inæquali. De primò gradu conſtat *Levit. 18. num. 9.* ibi: *Turpitudinem ſororis tuæ ex patre, ſivè ex matre, quæ domi, vel foris genita eſt, non revelabis;* & *num. 11.* ibi: *Turpitudinem filiæ uxoris patris tui, quem peperit patri tuo, & eſt ſoror tua, non revelabis.* De ſecundo gradu inæquali conſtat *ibid. num. 12.* ibi: *Turpitudinem ſororis patris tui non diſcooperies, quia caro eſt patris tui. Turpitudinem ſororis matris tuæ non revelabis, eo quod caro ſit matris tuæ. Turpitudinem patrui tui non revelabis, &c.*

Tertiò, Jure Canonico in diverſis Conciliis fuit prohibitio extenſa uſque ad ſeptimū gradū conſanguinitatis in linea colla-

terali, *Can. de Affinit. Can. nullum in utroq; ſexu. Can. progeniē ſuam, Can. de conſaguinitate ſua, & Can. nulli ex propinquitate 35. q. 2. & 3.* Sed quia talis prohibitio non poterat abſq; gravi diſpendio generalitèr obſervari, ideò fuit noviſſimo jure *in Concil. Lateran. ſub Innoc. III.* reſtricta prohibitio copulæ conjugalis ad quartum conſanguinitatis gradum in linea collaterali. *cap. penul. & fin. de conſanguin. & affinit.*

QUÆRES IV.

An omnes gradus Conſanguinitatis prohibiti Levit. 18. impediant, & dirimant jure naturali matrimonium, & conſequenter etiam hodie obligent?

PRæmitto, quod non ſolùm in Levitico prohibetur matrimonium in certis gradibus lineæ rectæ, & tranſverſalis conſanguinitatis, ſed etiam in genere affinitatis. In linea recta Deus prohibuit matrimonium cum conjunctis primo, & ſecundo gradu cõſanguinitatis, ſcilicet inter patrē, & filiam, matrem, & filium, & inter avum, & neptem, aviam, & nepotem, ut patet *in d. cap. 18. n. 6. & ſeqq. & num. 10.*

In linea tranſverſali prohibuit contractionem matrimonii non ſolùm in primo gradu, ut inter fratres, & ſorores, ſivè ex uno, ſivè ex utroque parente, *d. cap. 18. n. 9. & 11. & cap. 20. n. 15.* Sed etiam prohibuit copulam conjugalem in ſecundo gradu inæquali, puta inter nepotem, & amitam, vel materteram.

Non tamen eſt audiendus *Sanchez lib. 7. de impedim. matrimon. diſp. 52. n. 1. aſſerens, quod ut benè advertunt Sotus, Victoria, Ledeſma, & alii, non erat vetitum conjugium cum patruo, vel avunculo.* Non inquam eſt audiendus, nam error eſt manifeſtus, cum ibi patruus expreſsè ſit comprehenſus in prohibitione, *d. cap. 18.* ibi: *Turpitudinem patrui tui non revelabis:* & *cap. 20. n. 19.* ibi: *Turpitudinem matertera, & amita tua non diſcooperies;* & *num 20. qui cojerit cum uxore patrui, vel avunculi ſui, & revelaverit ignominiam cognationis ſua, &c.* Si ergo ratione affinitatis quis debet ab uxore avunculi, vel patrui abſtinere, à fortiori ratione cognationis debet ſe abſtinere à patruo, vel avunculo. Hæc autem prohibitio nō intelligitur tantùm patruo, vel avunculo vivente, quia adulterium jam erat prohibitum, ergo alio jure eſt iſta prohibitio cum uxore patrui, vel avunculi.

In

In genere affinitatis reperitur Divina prohibitio in primo, & ſecundo gradu lineæ aſcendentium, & deſcendentium, ſicut etiam in primo gradu, & in ſecundo gradu inæquali lineę collateralis. De primo gradu affinitatis lineæ aſcendentium patet, *Levit.18.n.8.* ibi: *Turpitudinem uxoris patris tui non diſcooperies*; & *num. 15.* ibi: *Turpitudinem nurus tuæ non revelabis, quia uxor filii tui eſt*, & *n.15.* ibi: *Turpitudinem uxoris tuæ, & filiæ ejus non revelabis: filiam filii ejus, & filiam filiæ illius, non ſumes, ut reveles ignominiam ejus, quia caro illius ſunt, & talis coitus inceſtus eſt*; & *Levit.20. num.11.* habetur: *Qui dormierit cum noverca ſua, & revelaverit ignominiam patris ſui, morte moriantur ambo*; & *nu. 12. Si quis dormierit cum nuru ſua, uterque moriatur*, & *num.14. Qui ſupra uxorem filiam, duxerit matrem ejus, ſcelus operatus eſt*. Quæ auctoritates ſpecialem cōtinent prohibitionem ultra adulterium.

De primo gradu affinitatis in linea collaterali patet *d.cap. Levitici 18.n.16.* ibi: *Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis*: dem habetur *cap. 20. n.21. & in ap.18. n.18.* habetur: *Sororem xoris tuæ in pellicatum illius non ccipies, &c.* Prohibitio pro ſecundo gradu inæquali affinitatis habetur *d.cap.18.n.14.* ibi: *Turpitudinem patrui tui nō revelabis, nec accedes ad uxorem ejus, quæ tibi affinitate conjungitur.*

His præmiſſis, quod in dubiū venit eſt, An omnes dicti gradus Levitici ſint jure naturali interdicti, ac per conſequens etiam nunc in lege Evangelica obligent?

Concors eſt *DD.* ſententia, gradus illos non obligare in lege Evangelica, ex eo quia in lege veteri ſunt interdicti: immò eſſet hæreticum aſſerere, ideò illos gradus eſſe nunc interdictos, quia in Levitico prohibiti ſunt, nam de fide eſt legem veterem ceſſaſſe adventu Chriſti *cap. translato. de conſtitut.* & advertunt *Victor. & Sot. relati à Sanchez loc.cit. diſp.52.n.3. Bonac. de imped. matrim. q. 3. punct.5. §.1. n. 10. in fine, & puncto 12. n.7. in reſponſ.ad argumentum, Covar. de ſponſal.p.2.cap.6.§.10.num.1.* ubi alios refert.

Similiter nec poteſt dici prohibitiones illas ex mero jure Divino nunc obligare. Non ſolùm quia nullus eſt locus in novo teſtamento, in quo dictæ prohibitiones contineantur: ſed etiā quia in lege Evangelica nullum datur præceptum meri juris Divini poſitivi, præter fidei, & Sacramentorum præcepta; alia

C enim

enim Divina præcepta, quæ hodie dantur, ſunt ſimul juris naturalis, in quo lex Evangelica diſtinguitur à veteri lege, quia in veteri lege multa alia præcipiebantur, quæ juris naturalis non erant, *Covarr.loc.cit.* Pro cujus clariori intelligentia.

Advertas, quod lex Divina, quæ vim habet, quatenùs à Deo proficiſcitur, vel eſt Divina naturalis, vel Divina poſitiva. Divina naturalis eſt illa, qua præcipitur idem, quod lege naturali præceptum erat, ſicut ſunt de facto præcepta Decalogi. Lex Divina poſitiva eſt illa, qua præcipitur aliquid, quod non eſt lege naturali ſancitum, ſed tantùm ex Divino præcepto obligat, ut in lege Evangelii eſt præceptum præmittendæ confeſſionis ante ſuſceptionem Euchariſtiæ, quando quis habet conſcientiam peccati mortalis; quod præceptum dicitur Divinum poſitivum, quia jure naturæ non reperitur præceptum de præmittendâ confeſſione antè ſumptionem Euchariſtię, ſed id tantùm jure Divino præcipitur, *Bonac. de legib.diſp.*1.*q.*1.*punct.*2.*num.*4.

Remanet modò videndum, num prohibitio contenta in Levitico ſit moralis, ſeù ſit juris naturalis Divini, ut ſunt præcepta Decalogi, quæ etiam Hebræis fuerunt data: an verò ſit prohibitio merè juris Divini peculialiter Hebræis facta?

Graviſſima eſt hæc quæſtio, circa quam duæ reperiuntur ſententiæ. Prima aſſerit gradus Levitici obligare in lege nova, quia illa prohibitio non fuit merè juris Divini, ſed fuit juris naturalis Divini, ità *Divus Thom. D.Bonavent.Riccar. Durand.* & alii relati à *Sanchez lib.*7. *de impedim.matrim.diſp.*52.*num.*5.

Probant hanc opinionem. Primò, quia dum Deus prohibitiones illas tradidit, manifeſtè videtur, declaraſſe, prohibitionem illorum graduum non pertinere ad præcepta judicialia, aut ceremonialia illius legis Hebræorũ, quæ morte Chriſti peritura erãt, ſed pertinere ad præcepta moralia juris naturalis, quæ ad omnes homines, & ad univerſa tempora pertinent; ergo prohibitiones illæ adhuc in Evangelica lege vigent, ſicut præcepta moralia Hebræis tradita. Probatur antecedens, quia gentes ſoli juri naturali ſubjectæ, arguuntur à Deo ſceleris, & abominationis, ex eo quia in gradibus, de quibus in Levitico prohibitio habetur, cõtraxerũt; ſed ſi prohibitiones illæ non pertinerent ad præcepta moralia juris naturalis, non potuiſſent argui ſceleris, & abomina-

nationis; ergo manifeſtè Deus declaravit prohibitionem illorũ graduum pertinere ad præcepta moralia juris naturalis. Probatur major, quia poſtquam Deus illas prohibitiones tradidit, ſubdit: *Nè polluamini in omnibus his, quibus contaminatæ ſunt univerſæ gentes, quas ego ejiciam antè conſpectum veſtrum, & quibus polluta eſt terra: cujus ego ſcelera viſitabo, ut evomat habitatores ſuos. Cuſtodite legitima mea, & judicia, & non faciatis ex omnibus abominationibus iſtis, tàm indigena, quàm colonus, qui peregrinatur apud vos. Omnes enim execrationes iſtas fecerunt accolæ terræ, qui fuerunt antè vos, & polluerunt eam.* ergo, &c.

Secundò probant, quia ratio quare Deus in dictis gradibus prohibuit copulam conjugalem, eſt nè reveletur turpitudo perſonarum dictis gradibus attinentium; ſed talis ratio eſt moralis pertinens ad decentiam matrimonii; ergo tales prohibitiones ſunt morales, ſeù juris naturalis Divini; ergo ſemper obligant ſicut, & reliqua præcepta moralia.

Tertiò, quia præcepta *Levit. 18.* non ſunt cęremonialia; ut conſtat: non ſunt judicialia, quia alia tunc judicãtur, quãdo reddunt unicuique, quod ſuum eſt, ac paces conciliant: Sed ita nõ ſe habent dicta præcepta *Levitici*; ergo remanet, illa eſſe præcepta moralia, quę etiam in lege Evangelica obligant.

Quartò, probatur, quia *Divus Auguſtinus lib. 3. quæſt. in Levit. q. 53. aliàs 65.* videtur prohibitionẽ illam Leviticam ad Decalogum reducere, tanquam in eo præconceptam.

Quintò probatur ex *cap. de infidelibus. de conſanguinit. & affinit.* ubi Innocentius Tertius definit: *Infideles, qui ſecundum veteris legis inſtituta matrimonium contraxerunt, non eſſè ſeparandos poſt converſionem ad fidem*; ergo ſi contrà illius legis determinationes contraxerunt, ſunt ſeparandi, ſumpto argumento à contrario ſenſu, de cujus efficacia videas *Everard. in loc. à contrario ſenſu.*

Sextò, quia in *cap litteras de reſtitut. ſpoliator.* Innocentius Tertius dicit, in gradibus Divina lege prohibitis, Papam diſpenſare nõ poſſe, & quod mulier, quæ ſua auctoritate divertit à viro ex eo quia dicit, ſe quarto cõſanguinitatis gradu cũ illo conjuncta, non eſt viro reſtituenda, quando conſanguinitas eſt in gradibus Divina lege prohibitis, & de hoc probationes offeruntur incontinenti.

Imò ſi Judex reſtitutionem præciperet, mulier non teneretur in hoc contra Deum Judici obedire, ſed potiùs excõmunicationẽ humiliter ſuſtinere; ergo ſupponit *text.* illos gradus Divinæ legis modo obligare, non quia illius legis Hebrææ ſunt, cum jam lex illa Moſayca ceſſavit; nec quia legis humanæ ſunt, quia malè diceret *text. præſertim Divina lege:* ergo obligant, quia ſunt de jure naturali Divino.

Septimò, idem Innocentius Tertius *in cap. fin. de divort.* approbat matrimonia infideliũ, qui contraxerunt cum uxoribus fratrum defunctorũ, ſi tamen illi deceſſerunt ſine prole, ut ſemen defuncti fratris juxtà legem Moyſis ſuſcitetur; ergo Pontifex cenſet infideles arctari illis gradibus veteris legis, quia ſi ita non eſſet, non indigerent matrimonia illa nova approbatione, ſed valida eſſent, ſivè cum liberis, ſivè ſinè liberis frater obiiſſet.

Octavò, Zacharias Pontifex ſcribens Theodoro Epiſcopo affert *text. Levitic.* ad probandum non eſſe licitum ſpiritualem cognatam ducere, quia ſi Dominus ibi prohibuit matrimonium cum conſanguinea carnali, à fortiori interdictum erit cum cognata ſpirituali, ut patet ex *Can. Pitacium 30. q. 3.* ſed ſi prohibitio Levitici modo vim non haberet inepta eſſet talis argumentatio; ergo dicendum, quod modo etiam illa prohibitio vim habet.

Nonò, ut habetur in *Can. quadam lex. 35 q. 3.* Divus Gregorius reprehendens legem Romanam permittentem fratres, & ſorores, & filios duorum fratrum matrimonio copulari, ſic ait: *Sed experimento didicimus ex tali conjugio ſobolem non poſſe ſuccreſcere:* Ergo ſentit, quod tale conjugium eſt contra finem matrimonii; ergo talis prohibitio eſt de lege naturæ; undè in *Can. cum igitur. 35. q. 1. legitur*: *Et ſi perverſis legibus permittantur fraterna conjugia: melior tamen conſuetudo ipſam malit exhorrere licentiam*: ergo prohibitio illa Levitica fuit etiã naturalis Divina, & non purè Divina.

Confirmari poteſt *ex cap. penult. de præſumpt.* ibi: *Quis præterea de facili crederet, quod vir præditus ſcientia litterarum, propriæ ſalutis oblitus ad eam paſſionis ignominiam ſe converteret, ut cum propria nepte abominabilem perpatraret inceſtum: cum etiam ſecundùm ſententias Ethnicorum, naturale fœdus inter tales perſonas nihil permittat, ſævi criminis ſuſpicari*: Et in *cap. penult. de cohabitatione Clericorum, & mulier.* interdicitur Clericis cohabitatio

tio

tio cum fœminis; additur tamen exceptio, ibi: *Niſi fortè de illis perſonis exiſtant, in quibus naturale fœdus nihil permittat ſævi criminis ſuſpicari:* ergo copula cum ſorore, amita, &c. cum quibus Clerici poſſunt cohabitare ex *Concilio Toletano 4. cap. 41.* naturali ratione repugnat; ergo non ex ſola Divina prohibitione.

Secunda ſententia tenet non omnes illos gradus conſanguinitatis, vel affinitatis *Levit. 18.* eſſe prohibitos de jure naturali irritanti matrimonium, & ideò omnes illos gradus non obligare in lege Evangelica. Erant enim dicta præcepta ſimpliciter judicialia, quia ad Juſtitiam, & Reipublicæ ſtabiliendam pacem tendebant: erant etiam ſecundùm quid moralia, in quantum decentiam aliquam naturalem præſeferebat abſtinere ab illis matrimoniis. Hanc ſententiam amplectitur *Sanchez lib. 7. de impedim. matrim. diſp. 52. num. 6.* ubi inter alios hujus ſententiæ patronos refert *Valentiam 4. p. diſp. 10. qu. 5. punct. 3. de imped. Cognat. §. in aliis autem gradib.* aſſerentem: *Omnes Orthodoxos jam in hoc convenire, & nullo modo eſſe tolerandum contrarium errorem, quem olim Catholici Authores ſenſere;* undè in *Trident. ſeſſ. 24. de matrim. Can. 3.* Hæreticum eſſe definitur aſſerere, non poſſe Pontificem diſpenſare in nonnullis gradibus ex prohibitis in Levitico; ergo ex Tridentino nō omnes illi gradus ſunt de jure naturæ prohibiti, aliàs non eſſet Hæreticum aſſerere non poſſe Pontificem in aliquot ex illis diſpenſare.

Probat hanc ſententiam *Sanchez;* Primò, quia *Levit. 18.* interdicitur matrimonium nepotis cū Amita, vel Matertera, & non interdicitur matrimonium nepotis cum patruo, vel avunculo, & tamen omnes iſti ſunt in ſecundo gradu lineæ tranverſæ inæqualis; ergo ſignum eſt, illam prohibitionem non eſſe juris naturæ, ſed pertinere ad cæremoniam peculiarem illius gentis Hebrææ.

Hæc ratio nullam vim habet, quia in Levitico expreſsè prohibetur conjunctio neptis cum Patruo, ut patet *Levit. 18. num. 14.* ibi: *Turpitudinem patrui tui non revelabis,* & nos ſupra diximus.

Secundò probat, quia in Levitico prohibetur conjugium cum uxore fratris defuncti, & non cum ſorore uxoris defunctæ, ut patet *Levit. 18. num. 18.* ibi: *Sororem uxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, nec revelabis turpitudinem ejus adhuc illa vivente:* Et tamen eſt idem gradus affinitatis; ergo ſignum eſt, quod non

omnia

omnia illa præcepta de gradibus ſunt juris naturalis, aliàs omnia matrimonia intra eundem gradum inita, eſſent prohibita. Confirmatur ex *Covarr. de ſponſalib. par.2. cap.6.* §. *10. num.2.* ubi dicit, quod in Levitico prohibitum eſt, ne quis ſororem uxoris in cõjugem accipiat (intelligas illa vivente) & tamen Iacob (qui fuit ante legem Levitici) duas ſorores accepit ſibi cuginas, ſcilicet Liam, & Rachel, *Geneſ. 29.* ergo ſi jure naturali id non liceret, utique Jacob non feciſſet.

Probat ulteriùs *Covarr.* ex eo quia in Levitico prohibetur frater relictam fratris ſibi matrimonio copulare; & tamen eadem lege Moſayca licitum fuit fratri relictam fratris decedentis abſque prole, uxorem accipere. Si autem lege naturali non liceret relictam fratris uxorem accipere, nullo pacto licuiſſet cum ea matrimonium cõtrahere, etiã fratre abſque prole defuncto. Undè *Bonac. de impedim. matrim. q.3. punct.5.* §. *1. num. 10. in fin. & punct.12. num. 7. in reſponſ. ad argum.* dicit; *quod illæ prohibitiones Levitici hodie non ſervantur, quia lex illa ceſſavit per novam legem in morte Chriſti*; ut in expoſitione in Epiſtolam ad Galatas tradit etiam *Divus Auguſt. in præfat. tom.4.* Ergo illæ prohibitiones non ſunt naturales, & ideò in *Trident. ſeſſ. 24. Can. 3. de Sacram. matrim.* legitur: *Si quis dixerit, eos tantùm conſanguinitatis, & affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, poſſe impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, nec poſſe Eccleſiam in nonnullis illorum diſpenſare, aut conſtituere, ut plures impediant, & dirimant: Anathema ſit.* Quæ enim juris naturalis ſunt, ab Eccleſia tolli non poſſunt, ut dicemus.

Ad rationes oppoſitæ ſententiæ reſpondent Patroni hujus ſecundæ ſententiæ, dicẽdo, quod matrimonia in illis gradibus Levitici ſunt jure naturæ aliquo modo prohibita, quando ſcilicet deficit cauſa aliqua cohoneſtans, & ſic venjale eſſet in illis contrahere, etiam ſi deficiat cauſa cohoneſtans, dummodò non adſit aliqua lex humana vetans contractionem in illis gradibus, quia tunc eſſet mortale in illis contrahere. Undè hæc matrimonia non ſunt natura ſua mala, ita ut nulla ratione licita ſint, nec ſunt indifferentia, ita ut paſſim liceãt, ſed ſunt media inter penitùs mala, & indifferentia, in quantùm nuda ſumpta culpam continent, ſecùs ubi aliqua juſta ratione cohoneſtantur; ita tenet *Veracrux part.2. ſpeculi, artic.27. in*

ſo-

ſolut. ad object. contra 1. *concluſ. Bellarmin. lib.* 1. *de matrim. cap.* 27. *col.* 2. §. *hoc igitur tertio modo.*

Et licèt Deus appellet abominationes, & ſcelera gentium matrimonia in iis gradibus inita, quod videtur culpam lætalem graviſſimam importare. Tamen ut dicit *Bellarm. loc. cit.* multa alia gentium peccata enumeravit Dominus in illis locis, ut Idolatriam, Adulteria, Sodomias, Beſtialitates, &c. Nec ſcriptura dicit, ſingula peccata eſſe abominationes, & ſcelera, ſed aliqua ex ibi enumeratis. Undè patet reſponſio ad primam, & ſecundam rationem.

Ad tertiam dicunt, quod præcepta Levitici prohibentia certos gradus in matrimoniis, erant ſecundùm quid moralia, in quantùm aliquam decentiam naturalem præſeferebat, abſtinere ab illis matrimoniis. Pertinebant tamen ad cæremoniam peculiarem illius gentis Hebrææ.

Ad quartam dicunt, mentem *Divi Auguſt. loc. cit.* fuiſſe probare, præcepta illa Levitici non eſſe intelligenda de uxore fratris, patris, aut patrui viventium, ſed mortuorum, quia ſi de illis viventibus intelligerentur, eſſent præcepta ſupervacanea, nam omnia adulteria jam in Decalogo prohibita erant, ita *Bellarmin. loc. cit. in ſolut. ad* 6.

Ad quintam rationem dicunt, argumentum illud deductum à contrario ſenſu nihil valere, quia Pontifex *in dict. cap. de infidelib.* tantùm dicit, matrimonia infidelium juxtà veteris legis ſtatutum inita, eſſe valida, dummodò non ſint in gradu lege naturali irritanti prohibito, quia de hoc tantùm fuit requiſitus; nõ verò dicit, quod ſecundam illam legem ſunt contrahenda matrimonia; undè non licet argumentum a contrario ſenſu inferre.

Ad ſextam dicunt, quod dum *Text.* dicit, *Papam non poſſe diſpenſare in gradibus illis, præſertim, Divina lege prohibitis;* intelligitur non debere, nec expedire Papam in illis diſpenſare, præſertim ſi gradus Divina lege prohibiti ſint, quia licet lex illa ceſſarit, in reverentiam tamen Divinæ legis, quæ aliquando viguit, major ratio habenda eſt de illis gradibus, quàm de aliis. Et quod *Text.* ita intelligendus ſit, patet ex ſubſequentibus verbis *Text.* ibi: *Non conſueviſſe Pontificem in illis diſpenſare:* Ergo poteſt in illis diſpenſare, ſicut fuit definitum in *Trident. ſeſſ.* 24. *Can.* 3.

Ad ſeptimam dicunt, *in dicto cap. fin. de Divort.* Pontificem approbare matrimonia tempore infidelitatis contracta cum

uxo-

uxoribus fratrum defunctorum ſinè liberis ad ſuſcitandum ſemen fratris defuncti, non ratione legis antiquæ Moſaycæ, quæ jam ceſſarat, ſed ratione conſuetudinis, quæ inter illos aliter irritabat ea matrimonia. Diſpenſat itaque Pontifex, ut converſi ad fidem maneant in illis matrimoniis, maximè ſi illa contraxerunt ad ſuſcitandum ſemen fratris defuncti; ita *Sanchez*. Sed *Covarr. loc. cit. num. 3.* dicit, *ea matrimonia fuiſſe contracta poſt converſionem ad fidem, ac proindè fuiſſe irrita; à Pontifice tamen non diſſolvuntur, ſed in illis diſpenſat propter fragilitatem illorum, qui noviter fidem Chriſti ſuſceperunt.* Sed hæc reſponſio eſt contra litteram *Text.* nam ibi ſubditur: *Ne tales ſibi de cætero poſtquā ad fidē venerunt, copulent prohibentes.* Ergo loquitur de matrimonio cōtracto ab infidelibus tempore infidelitatis.

Ad octavam dicunt, quod in *Can. Pitacium*, non affertur teſtimonium illud veteris legis, quaſi nunc obliget, ſed ex illo Pontifex ſumit argumentum, quod ſi Deus prohibebat matrimonium cum cognata carnali, eo quod id dedecebat, æquum etiam eſt, ſi ob indecentiam ab Eccleſia prohibetur matrimonium cum cognata ſpirituali.

Ad ultimum argumentum dicunt, omnes illos Textus probare, eſſe aliquam turpitudinem juri naturæ adverſam contrahere in illis gradibus abſque aliqua cauſa cohoneſtante, non tamen eſt tanta turpitudo, ut dicta matrimonia ſint nulla jure naturæ.

Pro majori tamen dilucidatione præſentis difficultatis

QUÆRES V.

An ſaltem aliqui ex Gradibus Conſanguinitatis expreſſi in Levitico, obligent de jure Naturæ?

AFfirmant omnes tàm primæ, quàm ſecundæ ſententiæ Auctores, de quibus in præcedenti quæſito; & patet ex *Trid. ſeſſ. 24. can. 3.* ubi dicitur, *Eccleſiam poſſe in nonnullis illorum diſpenſare*; ergo dantur aliqui gradus, in quibus Eccleſia diſpēſare non poteſt; ergo illi jure naturæ obligant. Undè communiter, ut certum aſſeritur, quod prohibitio in primo gradu lineæ rectæ, quæ in Levitico continetur, obligat de jure naturæ; de aliis verò gradibus lineæ rectæ, eſt quæſtio, ut ex dictis conſtat.

Controverſia tamen eſt, An in linea tranſverſa conſanguinitatis dentur aliqui gradus, qui ſint jure naturæ prohibiti.

Tres ſunt in hac controverſia ſen-

ſententiæ. Prima eſt *Palúdan. in 4. diſt. 40. qu. un. art. 3. num. 22.* aſſerentis, quod in linea inæquali Paterna tranſverſa prohibetur jure naturæ matrimonium in infinitum, undè aſſerit, quod non poteſt mulier matrimonium contrahere cum fratre patris, fratre avi, proavi, abavi, & ſic in infinitū, quia dictæ perſonæ loco parentū ſunt, & eis naturalis reverentia eſt debita, ſicut debetur reliquis aſcendentibus in infinitum.

Verùm licèt inter aſcendentes, & deſcendentes probabile ſit, quod naturalis prohibitio reperiatur in infinitum, attamen inter iſtos collaterales non eſt admittenda eadē prohibitio in infinitū: quia reverentia debetur aſcendētibus tamquā ſuperioribus, & primis principiis, ſecundùm quā rationē collateralibus nō eſt debita, & ſic longè diverſa eſt ratio reverentiæ debitæ aſcēdentibus, ac collateralibus; adeoque talis ſententia tanquam ſingularis, & contraria Eccleſiaſticæ conſuetudini, paſſim in his gradibus diſpenſandi, non eſt admittenda.

Secunda ſententia aſſerit, in linea tranſverſa conſanguinitatis nullum matrimonium eſſe interdictum, & irritum jure naturæ, & ita validum eſt matrimonium inter fratres, & ſorores. Pro hac ſententia multi referuntur *DD. à Sanchez lib. 7. de impedim. matrim. diſp. 52. num. 10.* Probant.

Primò, quia Abraham vir ſanctiſſimus duxit Saram, de qua ipſe *Geneſ. 20.* ait: *Verè ſoror mea eſt, filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in uxorem*: Ergo fuit vera ſoror, cum qua contraxit, ergo jure naturæ matrimonium fratris cum ſorore non eſt irritum.

Secundò, quia *2. Reg. 13.* cum Thamar filia David a fratre ſuo Amon opprimeretur, dixit: *Noli frater mi, noli opprimere me, noli facere ſtultitiam hanc, quin priùs loquere ad Regem, & non negabit me tibi*: Ergo connubium inter fratres, & ſorores non erat inuſitatum, nec exiſtimatum nefas.

Tertiò, quia inter Aſſyrios olim lege lata licuit matrimonium inter fratrem, & ſororem, teſte *Luciano lib. de Sacrific.* & Romanis lege peculiari id licuit, *Can. quædam lex. 35. qu. 3.* Ergo lumen naturale non dictat tale matrimonium eſſe prohibitum.

Quartò, quia in initio Mundi, fratres ducebant ſorores, nec conſtat de Divina diſpenſatione; immò ſi eſſet tale matrimonium contra jus naturæ Deus non diſpenſaſſet, ne ſtatim in ipſo Mundi exordio jus naturæ infringeretur, ſed plures maſculos, & fœminas creaſſet, ne cogerentur

pellat. l.juxta 201.*& l.liberorum appellatio*.220.§.*fin*.ibi:*Præter hæc omnia, natura, quoque nos docet, parentes pios, qui liberorum procreandorum animo, & voto uxores ducunt, filiorum appellatione omnes qui ex nobis deſcendunt, contineri. Neque enim dulciore nomine poſſumus nepotes noſtros, quàm filii appellare, ff.de verb.ſignif.*

Ad ſecundum dicit, quod ex tali exemplo non poteſt ſumi argumentum, quia Thamar, vel putabat tale matrimonium licitum eſſe: vel id dixit, quia minùs malum erat tale matrimonium, quam vi ſtuprari, & minùs malum permitti poteſt ad vitandum majus, *Can.ſi quid verius* 33.*q*.2.

Vel dicimus, quod Thamar nō erat filia David, & ideò poterat ſecundùm legem cum Amon, qui David filius erat, connubiū contrahere, ſiquidem *Nicolaus de Lyra in lib. Regum* 11. ſuper illa verba:*Loquere ad Regem, & non negabit me tibi*, ſic arguit: *Hoc videtur eſſe contra legem Levit. XX. ubi prohibetur matrimonium fratris cum ſorore, ſivè ſit de patre tantùm, ſivè de matre, & multò fortiùs de utroque. Ad quod reſpondet Rabbi Salomon, quod David cœpit matrem Thamar in bello, & circumciſis unguibus, & peractis aliis, quæ ad hoc requiruntur, ut habetur Deut.XXI.accepit eam uxorem, verumtamen tunc erat impregnata de viro, quem priùs habuerat, habens in utero iſtam Thamar, & ideò non erat filia naturalis ipſius David, propter quod filius ejus poterat eam habere uxorem ſecundùm legem.* Hæc Nicolaus de Lyra.

Ad tertium dicit, illas gentes tanquàm barbaras notari, ut etiā nos ſupra diximus, & Cymon Athenienſis, qui ſororem germanam in matrimonio habuit, fuit ob eam cauſam in exiliū miſſus, ut atteſtatur *Andocides in oratione adverſus Alcibiadem*; quamvis Aemilius probus in libello de vita quorundā Imperatorū dicat non fuiſſe turpe Cymoni Athenienſi ſororē germanā in matrimonio habuiſſe, cū Cives Athenienſes eodem uterentur inſtituto. *Covarr. p.2. de ſponſal. cap.6. §.10.n.5.* Videas quæ ſupra diximus in primo quæſito.

Ad quartum dicit, quod tunc temporis non fuit opus diſpenſatione Divina, ſed quia non erant alii, quàm fratres, ex neceſſitate conſervationis generis humani, matrimonium cum illis erat celebrandum, *Can.cum igitur* 35. *quæſt*.1.

Ad ultimum dicit, verùm eſſe non ità ſtrictè prohiberi matrimonium jure naturæ inter fratres, & ſorores, ac inter parentes,

tes, & liberos, cum hoc tamen optimè ſtare poteſt, quod utrunque ſit jure naturæ prohibitum.

Ex his infertur, quod in aliis gradibus Levitici, qui jure naturæ non irritant matrimonium, non poteſt licitè etiã ab infidelibus cõtrahi; quia licèt matrimonia in illis gradibus contracta, non adverſentur juri naturali primario, & irritanti; adverſantur tamen juri naturali ſecundario, & prohibenti; quatenus nudè, ac ſecundùm sè conſiderata, & pro libito privatorum inita ſine peculiaribus circumſtantiis cohoneſtantibus, indecentiam quandam naturalem continent: nam natura dictat reverentiam quandam conſanguineis in illis gradibus conjunctis debitam eſſe, cum qua pugnat copula conjugalis, & ideò Gentiles peccant indifferenter, & abſque cauſa contrahentes dicta matrimonia, ità multi apud *Sanchez lib.7. de matrim.diſp.52.n.7.*

Et quamvis in lege veteri inter filios fratrum improbata non erat conjunctio conjugalis, verùm inquit *D. Auguſtin. lib.15. de Civitat.Dei, cap.16. Quis dubitat honeſtiùs hoc tempore etiam conſobrinarum prohibita eſſe conjugia, non ſolùm ob multiplicandas affinitates, nè habeat duas neceſſitudines una perſona, cum duæ poſſint eas habere, & numerus propinquitatis augeri: Sed etiam neſcio quomodò ineſt humanæ verecundiæ quiddam naturale, atque laudabile, ut cui debet propinquitatis cauſa verecundum honorem ab ea contineat.* Vetuerat enim Theodoſius major, nuptias conſobrinarum, tanquam ſororum, ut Sextus Aurelius Victor ſcribit; quamquam ea lege abrogata Arcadius, & Honorius inter conſobrinos matrimonia celebrari permiſerint, *l.celebrandis, C. de nupt.* Niſi fortaſsè dicatur mendoſam eſſe illius legis inſcriptionem in *l.2. C. Theodoſ. de inceſt. nupt.* ubi iidem Principes, conſobrinarum conjugia vetuerint, damnarintque nominatim. Veritas tamen eſt, quod jure civili Romanorum permiſſa erant conjugia inter filios fratrum, & ſororum *Inſtitut. de nupt.§. duorum autem fratrum, vel ſororum liberi, vel fratris, & ſororis conjungi poſſunt, l.3. ff. de ritu nuptiar. l.Lucius Titius 78.§. filiam ſuam, ff. ad Trebellejan.* Quod jus Romanorum invaluit olim etiã inter Chriſtianos; nam filiæ Conſtantini Magni, ſcilicèt Conſtantina, & Helena nuptui datæ ſunt filiis fratrũ d.Conſtantini Magni, Cõſtantina enim fuit nuptui data Annibaliano primũ filio Dalmatii fratris ipſius Conſtãtini: deindè Gallo Cæſari filio

Con-

Conſtantii alterius fratris Conſtantini: Helena verò nupſit Juliano alteri filio memorati Conſtantii, ut refert *Joannes Cabaſſutio in notitiis Conciliorum dum de Trid. loquitur ad ſeſſ. 24. cap. 2.*

Nō omittendū, quod apud Juliū Africanum, ſeù Abdiam Babyloniæ primum Epiſcopum *lib. 3. certamin. Apoſt.* habetur: refert enim, quod antequam Andreas Apoſtolus in Macedoniam perveniſſet, accidit, quod duo viri in Philippis fratres germani eſſent, nobiles, & quibus erat magna domi facultas. Erantque alii filii duo, alteri totidem filię, hi cum in civibus nulli forent, qui dignè generationi illorum jungi poſſent, inito fœdere obligaverunt ſe mutuo, ut unam domum facerent, & unius filii alterius filias in matrimonium acciperent. Cumque jam dies nuptiarum eſſet conſtitutus, factum eſt verbum Domini ad eos dicens. *Nolite conjungere liberos veſtros, donec huc veniat famulus meus Andreas, ipſe enim quæ vobis agere debeatis, oſtendet.* Jam autem thalamus paratus erat, & convivæ vocati, omniſque apparatus nuptiarū in promptu erat. Interea triduo elapſo aduenit Apoſtolus, qui cum audiſſet quę geſta eſſent: *nolite*, ait, *filioli, nolite ſeduci, nolite decipere hos juvenes, quibus poteſt fructus apparere Juſtitiæ, ſed magis pœnitentiam, agite, quia deliquiſtis in Dominū, ut proximo ſanguine velletis polluere conjugia filiorum veſtrorum.*

Ex hoc patet inter filios fratrum illicitas eſſe nuptias, niſi aliqua juſta cohoneſtentur cauſa, & ideò in *Trident. ſeſſ. 24. cap. 5.* ſtatuitur, quod in ſecundo gradu nunquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam.

QUÆRES VI.

An Eccleſia poteſtatem habeat augendi, vel minuendi prohibitiones in gradibus conſanguinitatis?

NON defuerunt Hæretici aſſerentes, Eccleſiaſticam prohibitionem eſſe humanam inventionem. Undè *Vvitcleff* aſſerit poſſe conſanguineos in quovis gradu matrimonia contrahere: Lutherus, & Bucerus ſolos gradus *Levit. 18.* admittunt, & alios ab Eccleſia additos omninò deſpiciunt; undè Lutherus in præludio de captivitate Eccleſiæ Babylonica monet, ac rogat omnia matrimonia confirmari, etiam quæ habent impedimentum à lege Pontificia, modò non ſit impedimentum Divinæ legis

legis in Sacra Scriptura expreſſum, adeòque inquit: *Dico tamen rogans omnes Sacerdotes, & fratres, ſi viderint aliquod impedimentum, in quo Papa poteſt diſpenſare, & quod non eſt in Sacra Scriptura expreſſum, ut ea omnia matrimonia confirment, quæ contra Eccleſiaſticas, vel Pontificias leges fuerint contracta. Arment autem ſe Divina lege dicente, quod Deus conjunxit, homo non ſeparet. Conjunctio enim viri, & mulieris eſt Divini Juris, quæ tenet contra leges hominum*. Et infra dicit: *Et Papa, vel Epiſcopus, vel Officialis ſi diſſolverit matrimonium aliquod contra legem humanam contractum, Antichriſtus eſt, & violator naturæ, & reus læſæ Maeſtatis Divinæ, quia ſtat ſententia, quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Hæc ille. Præterea inſurgit contra Romanæ Eccleſiæ Prælatos, & Officiales, quos nuncupat: *Romanenſes, & Nundinatores, ac Mercatores membrorũ inhoneſtorũ utriuſque ſexus, quoniam propter mammona nullum eſt matrimonii impedimentum, quod non fiat legitimum ex diſpenſatione, quæ fit ex ſola pecunia, itaut videantur hujuſmodi leges eſſe inſtitutæ, non alia cauſa, quam ut ſint retia avaris.* Hæc Lutherus. Videas *Bellarm. lib. 1. de matrim. cap. 25. & ſeq.*

Inſurgunt etiam alii Hæretici contra Eccleſiam determinantẽ prohibitiones matrimonii. Primò, quia Chriſtus venit ad verbum Dei annunciandum, non verò ad condendas leges politicas; ergo Romanus Pontifex, qui vices Chriſti in terris gerit, nec etiam debet politicas leges condere; ſed leges matrimonia interdicentes, ſunt leges politicæ, ergo, &c.

Secundò, quia melius cognoſcit Deus inter quas perſonas expediat conjugium iniri, quàm homo, ſed Deus ſolùm primum, & ſecundum gradum inæqualem in linea collaterali prohibuit *Levit. 18.* ergo ineptè operatur Eccleſia Divinũ corrigens inſtitutum alios addẽdo gradus uſque ad quartum.

Tertiò, quia hæc prohibitio Eccleſiaſtica uſque ad quartum gradum in linea collaterali nova eſt, nec olim in Eccleſia nota erat, cùm Concilium Epanenſe *cap. 30.* Turonenſe 2. *Can. 12.* Papienſe 1. *cap. 4.* tantùm ſecundum gradum prohibebant, & ita *D. Gregorius* reſpondendo *Auguſtino Anglico Epiſcopo*, docet, *matrimonia inter conſanguineos ultra ſecundum gradum permiſſa eſſe*; ut patet in *Can. quædam lex 35. q. 3.* Tandem quia ridicula, & puerili ratione inductum eſt Concilium Lateranenſe relatum in

Cap.

Imò ſi Judex reſtitutionem præciperet, mulier non teneretur in hoc contra Deum Judici obedire, ſed potiùs excõmunicationẽ humiliter ſuſtinere; ergo ſupponit *text.* illos gradus Divinæ legis modo obligare, non quia illius legis Hebrææ ſunt, cum jam lex illa Moſayca ceſſavit; nec quia legis humanæ ſunt, quia malè diceret *text. præſertim Divina lege:* ergo obligant, quia ſunt de jure naturali Divino.

Septimò, idem Innocentius Tertius *in cap. fin. de divort.* approbat matrimonia infideliũ, qui contraxerunt cum uxoribus fratrum defunctorũ; ſi tamen illi deceſſerunt ſine prole, ut ſemen defuncti fratris juxtà legem Moyſis ſuſcitetur; ergo Pontifex cenſet infideles arctari illis gradibus veteris legis, quia ſi ita non eſſet, non indigerent matrimonia illa nova approbatione, ſed valida eſſent, ſivè cum liberis, ſivè ſinè liberis frater obiiſſet.

Octavò, Zacharias Pontifex ſcribens Theodoro Epiſcopo affert *text. Levitic.* ad probandum non eſſe licitum ſpiritualem cognatam ducere, quia ſi Dominus ibi prohibuit matrimonium cum conſanguinea carnali, à fortiori interdictum erit cum cognata ſpirituali, ut patet ex *Can. Pitacium 30. q. 3.* ſed ſi prohibitio Levitici modo vim non haberet inepta eſſet talis argumentatio; ergo dicendum, quod modo etiam illa prohibitio vim habet.

Nonò, ut habetur in *Can. quadam lex. 35 q. 3.* Divus Gregorius reprehendens legem Romanam permittentem fratres, & ſorores, & filios duorum fratrum matrimonio copulari, ſic ait: *Sed experimento didicimus ex tali conjugio ſobolem non poſſe ſuccreſcere:* Ergo ſentit, quod tale conjugium eſt contra finem matrimonii; ergo talis prohibitio eſt de lege naturæ; undè in *Can. cum igitur. 35. q. 1. legitur*: *Et ſi perverſis legibus permittantur fraterna conjugia*: *melior tamen conſuetudo ipſam malit exhorrere licentiam*: ergo prohibitio illa Levitica fuit etiã naturalis Divina, & non purè Divina.

Confirmari poteſt *ex cap. penult. de præſumpt.* ibi: *Quis præterea de facili crederet, quod vir præditus ſcientia litterarum, propriæ ſalutis oblitus ad eam paſſionis ignominiam ſe converteret, ut cum propria nepte abominabilem perpatraret inceſtum*: *cum etiam ſecundùm ſententias Ethnicorum naturale fœdus inter tales perſonas nihil permittat, ſævi criminis ſuſpicari*: Et in *cap. penult. de cohabitatione Clericorum, & mulier.* interdicitur Clericis cohabitatio

tio cum fœminis; additur tamen exceptio, ibi: *Niſi fortè de illis perſonis exiſtant, in quibus naturale fœdus nihil permittat ſævi criminis ſuſpicari:* ergo copula cum ſorore, amita, &c. cum quibus Clerici poſſunt cohabitare ex *Concilio Toletano 4. cap. 41.* naturali ratione repugnat; ergo non ex ſola Divina prohibitione.

Secunda ſententia tenet non omnes illos gradus conſanguinitatis, vel affinitatis *Levit. 18.* eſſe prohibitos de jure naturali irritanti matrimonium, & ideò omnes illos gradus non obligare in lege Evangelica. Erant enim dicta præcepta ſimpliciter judicialia, quia ad Juſtitiam, & Reipublicæ ſtabiliendam pacem tendebant: erant etiam ſecundùm quid moralia, in quantum decentiam aliquam naturalem præſeferebat abſtinere ab illis matrimoniis. Hanc ſententiam amplectitur *Sanchez lib. 7. de impedim. matrim. diſp. 52. num. 6.* ubi inter alios hujus ſententiæ patronos refert *Valentiam 4. p. diſp. 10. qu. 5. punct. 3. de imped. Cognat.* §. *in aliis autem gradib.* aſſerentem: *Omnes Orthodoxos jam in hoc convenire, & nullo modo eſſe tolerandum contrarium errorem, quem olim Catholici Authores ſenſere;* undè in *Trident. ſeſſ. 24. de matrim. Can. 3.* Hæreticum eſſe definitur aſſerere, non poſſe Pontificem diſpenſare in nonnullis gradibus ex prohibitis in Levitico; ergo ex Tridentino nõ omnes illi gradus ſunt de jure naturæ prohibiti, aliàs non eſſet Hæreticum aſſerere non poſſe Pontificem in aliquot ex illis diſpenſare.

Probat hanc ſententiam *Sanchez;* Primò, quia *Levit. 18.* interdicitur matrimonium nepotis cũ Amita, vel Matertera, & non interdicitur matrimonium nepotis cum patruo, vel avunculo, & tamen omnes iſti ſunt in ſecundo gradu lineæ tranverſæ inæqualis; ergo ſignum eſt, illam prohibitionem non eſſe juris naturæ, ſed pertinere ad cæremoniam peculiarem illius gentis Hebrææ.

Hæc ratio nullam vim habet, quia in Levitico expreſsè prohibetur conjunctio neptis cum Patruo, ut patet *Levit. 18. num. 14.* ibi: *Turpitudinem patrui tui non revelabis,* & nos ſupra diximus.

Secundò probat, quia in Levitico prohibetur conjugium cum uxore fratris defuncti, & non cum ſorore uxoris defunctæ, ut patet *Levit. 18. num. 18.* ibi: *Sororem uxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, nec revelabis turpitudinem ejus adhuc illa vivente:* Et tamen eſt idem gradus affinitatis; ergo ſignum eſt, quod non

omnia

omnia illa præcepta de gradibus ſunt juris naturalis, aliàs omnia matrimonia intra eundem gradum inita, eſſent prohibita. Confirmatur ex *Covarr. de ſponſalib. par.2. cap.6.* §. *10. num.2.* ubi dicit, quod in Levitico prohibitum eſt, ne quis ſororem uxoris in cōjugem accipiat (intelligas illa vivente) & tamen Iacob (qui fuit ante legem Levitici) duas ſorores accepit ſibi cuginas, ſcilicet Liam, & Rachel, *Geneſ.29.* ergo ſi jure naturali id non liceret, utique Jacob non feciſſet.

Probat ulteriùs *Covarr.* ex eo quia in Levitico prohibetur fratrem relictam fratris ſibi matrimonio copulare; & tamen eadem lege Moſayca licitum fuit fratri relictam fratris decedentis abſque prole, uxorem accipere. Si autem lege naturali non liceret relictam fratris uxorem accipere, nullo pacto licuiſſet cum ea matrimonium cōtrahere, etiā fratre abſque prole defuncto. Undè *Bonac. de impedim. matrim. q.3. punct.5.* §. *1. num. 10. in fin. & punct.12. num. 7. in reſponſ. ad argum.* dicit; *quod illæ prohibitiones Levitici hodie non ſervantur, quia lex illa ceſſavit per novam legem in morte Chriſti*; ut in expoſitione in Epiſtolam ad Galatas tradit etiam *Divus Auguſt. in præfat. tom.4.* Ergo illæ prohibitiones non ſunt naturales, & ideò in *Trident. ſeſſ. 24. Can. 3. de Sacram. matrim.* legitur: *Si quis dixerit, eos tantùm conſanguinitatis, & affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, poſſe impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, nec poſſe Eccleſiam in nonnullis illorum diſpenſare, aut conſtituere, ut plures impediant, & dirimant: Anathema ſit.* Quæ enim juris naturalis ſunt, ab Eccleſia tolli non poſſunt, ut dicemus.

Ad rationes oppoſitæ ſententiæ reſpondent Patroni hujus ſecundæ ſententiæ, dicēdo, quod matrimonia in illis gradibus Levitici ſunt jure naturæ aliquo modo prohibita, quando ſcilicet deficit cauſa aliqua cohoneſtans, & ſic veniale eſſet in illis contrahere, etiam ſi deficiat cauſa cohoneſtans, dummodò non adſit aliqua lex humana vetans contractionem in illis gradibus, quia tunc eſſet mortale in illis contrahere. Undè hæc matrimonia non ſunt natura ſua mala, itaut nulla ratione licita ſint, nec ſunt indifferentia, itaut paſſim liceāt, ſed ſunt media inter penitùs mala, & indifferentia, in quantùm nuda ſumpta culpam continent, ſecùs ubi aliqua juſta ratione cohoneſtantur; ita tenet *Veracrux part.2. ſpeculi, artic.27. in*

ſo-

ſolut. ad objeḉt. contra 1. *concluſ. Bellarmin. lib.* 1. *de matrim. cap.* 27. *col.* 2. §. *hoc igitur tertio modo.*

Et licèt Deus appellet abominationes, & ſcelera gentium matrimonia in iis gradibus inita, quod videtur culpam lætalem gravissimam importare. Tamen ut dicit *Bellarm. loc. cit.* multa alia gentium peccata enumeravit Dominus in illis locis, ut Idolatriam, Adulteria, Sodomias, Beſtialitates, &c. Nec ſcriptura dicit, ſingula peccata eſſe abominationes, & ſcelera, ſed aliqua ex ibi enumeratis. Undè patet reſponſio ad primam, & ſecundam rationem.

Ad tertiam dicunt, quod præcepta Levitici prohibentia certos gradus in matrimoniis, erant ſecundùm quid moralia, in quantùm aliquam decentiam naturalem præſeferebat, abſtinere ab illis matrimoniis. Pertinebant tamen ad cæremoniam peculiarem illius gentis Hebrææ.

Ad quartam dicunt, mentem *Divi Auguſt. loc. cit.* fuiſſe probare, præcepta illa Levitici non eſſe intelligenda de uxore fratris, patris, aut patrui viventium, ſed mortuorum, quia ſi de illis viventibus intelligerentur, eſſent præcepta ſupervacanea, nam omnia adulteria jam in Decalogo prohibita erant, ita *Bellarmin. loc. cit. in ſolut. ad* 6.

Ad quintam rationem dicunt, argumentum illud deductum à contrario ſenſu nihil valere, quia Pontifex *in dict. cap. de infidelib.* tantùm dicit, matrimonia infidelium juxtà veteris legis ſtatutum inita, eſſe valida, dummodò non ſint in gradu lege naturali irritanti prohibito, quia de hoc tantùm fuit requiſitus; nō verò dicit, quod ſecundam illam legem ſunt contrahenda matrimonia; undè non licet argumentum a contrario ſenſu inferre.

Ad ſextam dicunt, quod dum *Text.* dicit, *Papam non poſſe diſpenſare in gradibus illis, præſertim, Divina lege prohibitis;* intelligitur non debere, nec expedire Papam in illis diſpenſare, præſertim ſi gradus Divina lege prohibiti ſint, quia licet lex illa ceſſarit, in reverentiam tamen Divinæ legis, quæ aliquando viguit, major ratio habenda eſt de illis gradibus, quàm de aliis. Et quod *Text.* ita intelligendus ſit, patet ex ſubſequentibus verbis *Text.* ibi: *Non conſueviſſe Pontificem in illis diſpenſare:* Ergo poteſt in illis diſpenſare, ſicut fuit definitum in *Trident. ſeſſ.* 24. *Can.* 3.

Ad ſeptimam dicunt, *in dicto cap. fin. de Divort.* Pontificem approbare matrimonia tempore infidelitatis contracta cum

uxo-

uxoribus fratrum defunctorum ſinè liberis ad ſuſcitandum ſemen fratris defuncti, non ratione legis antiquæ Moſaycæ, quæ jam ceſſarat, ſed ratione conſuetudinis, quæ inter illos aliter irritabat ea matrimonia. Diſpenſat itaque Pontifex, ut converſi ad fidem maneant in illis matrimoniis, maximè ſi illa contraxerunt ad ſuſcitandum ſemen fratris defuncti; ita *Sanchez*. Sed *Covarr. loc. cit. num.3.* dicit, *ea matrimonia fuiſſe contracta poſt converſionem ad fidem, ac proindè fuiſſe irrita; à Pontifice tamen non diſſolvuntur, ſed in illis diſpenſat propter fragilitatem illorum, qui noviter fidem Chriſti ſuſceperunt*. Sed hæc reſponſio eſt contra litteram *Text.* nam ibi ſubditur: *Ne tales ſibi de cætero poſtquã ad fidẽ venerunt, copulent prohibentes*. Ergo loquitur de matrimonio cõtracto ab infidelibus tempore infidelitatis.

Ad octavam dicunt, quod in *Can. Pitacium*, non affertur teſtimonium illud veteris legis, quaſi nunc obliget, ſed ex illo Pontifex ſumit argumentum, quod ſi Deus prohibebat matrimonium cum cognata carnali, eo quod id dedecebat, æquum etiam eſt, ſi ob indecentiam ab Eccleſia prohibetur matrimonium cum cognata ſpirituali.

Ad ultimum argumentum dicunt, omnes illos Textus probare, eſſe aliquam turpitudinem juri naturæ adverſam contrahere in illis gradibus abſque aliqua cauſa cohoneſtante, non tamen eſt tanta turpitudo, ut dicta matrimonia ſint nulla jure naturæ.

Pro majori tamen dilucidatione præſentis difficultatis

QUÆRES V.

An ſaltem aliqui ex Gradibus Conſanguinitatis expreſſi in Levitico, obligent de jure Naturæ?

Affirmant omnes tàm primæ, quàm ſecundæ ſententiæ Auctores, de quibus in præcedenti quæſito; & patet ex *Trid. ſeſſ. 24. can. 3.* ubi dicitur, *Eccleſiam poſſe in nonnullis illorum diſpenſare*; ergo dantur aliqui gradus, in quibus Eccleſia diſpẽſare non poteſt; ergo illi jure naturæ obligant. Undè communiter, ut certum aſſeritur, quod prohibitio in primo gradu lineæ rectæ, quæ in Levitico continetur, obligat de jure naturæ; de aliis verò gradibus lineæ rectæ, eſt quæſtio, ut ex dictis conſtat.

Controverſia tamen eſt, An in linea tranſverſa conſanguinitatis dentur aliqui gradus, qui ſint jure naturæ prohibiti.

Tres ſunt in hac controverſia ſen-

ſententiæ. Prima eſt *Paludan. in 4. diſt. 40. qu. un. art. 3. num. 22.* aſſerentis, quod in linea inæquali Paterna tranſverſa prohibetur jure naturæ matrimonium in infinitum, undè aſſerit, quod non poteſt mulier matrimonium contrahere cum fratre patris, fratre avi, proavi, abavi, & ſic in infinitũ, quia dictæ perſonæ loco parentũ ſunt, & eis naturalis reverentia eſt debita, ſicut debetur reliquis aſcendentibus in infinitum.

Verùm licèt inter aſcendentes, & deſcendentes probabile ſit, quod naturalis prohibitio reperiatur in infinitum, attamen inter iſtos collaterales non eſt admittenda eadẽ prohibitio in infinitũ: quia reverentia debetur aſcendẽtibus tamquã ſuperioribus, & primis principiis, ſecundùm quã rationẽ collateralibus nõ eſt debita, & ſic longè diverſa eſt ratio reverentiæ debitæ aſcẽdentibus, ac collateralibus; adeoque talis ſententia tanquam ſingularis, & contraria Eccleſiaſticæ conſuetudini, paſſim in his gradibus diſpenſandi, non eſt admittenda.

Secunda ſententia aſſerit, in linea tranſverſa conſanguinitatis nullum matrimonium eſſe interdictum, & irritum jure naturæ, & ita validum eſt matrimonium inter fratres, & ſorores. Pro hac ſententia multi referuntur *DD.* à *Sanchez lib. 7. de impedim. matrim. diſp. 52. num. 10.* Probant.

Primò, quia Abraham vir ſanctiſſimus duxit Saram, de qua ipſe *Geneſ. 20.* ait: *Verè ſoror mea eſt, filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in uxorem*: Ergo fuit vera ſoror, cum qua contraxit, ergo jure naturæ matrimonium fratris cum ſorore non eſt irritum.

Secundò, quia *2. Reg. 13.* cum Thamar filia David a fratre ſuo Amon opprimeretur, dixit: *Noli frater mi, noli opprimere me, noli facere ſtultitiam hanc, quin priùs loquere ad Regem, & non negabit me tibi*: Ergo connubium inter fratres, & ſorores non erat inuſitatum, nec exiſtimatum nefas.

Tertiò, quia inter Aſſyrios olim lege lata licuit matrimonium inter fratrem, & ſororem, teſte *Luciano lib. de Sacrific.* & Romanis lege peculiari id licuit, *Can. quædam lex. 35. qu. 3.* Ergo lumen naturale non dictat tale matrimonium eſſe prohibitum.

Quartò, quia in initio Mundi, fratres ducebant ſorores, nec conſtat de Divina diſpenſatione; immò ſi eſſet tale matrimonium contra jus naturæ Deus non diſpenſaſſet, ne ſtatim in ipſo Mundi exordio jus naturæ infringeretur, ſed plures maſculos, & fœminas creaſſet, ne cogerentur

D fra-

fratres violato jure naturæ matrimonium cum ſororibus contrahere, ſicut de facto creavit Adamum, & Evam.

Quintò, quia frater, & ſoror non conjunguntur per ſe ipſos,& immediatè, ſicut conjunguntur pater, & filius, ſed conjunguntur per ordinem ad parentes, vel ut dicit *Petrus de Aquila in 4. lib. ſentent. diſt. 39. qu.2. Priùs conjungitur proles parenti, quàm proles proli, & ideò magis eſt contra legem naturæ in primo gradu conjungi in linea recta, quàm in lineà transverſali*: ergò fratres, & ſorores non habent ex ſeipſis indecentiam, ut conjungantur, ſed decentia, vel indecentia deſumenda eſt ex conſuetudine, & lege humana. Hanc ſententiam probabilem appellat *Sanchez loc. cit.* illamque amplectitur *meus Illuſtriſſimus Præceptor Verde in tit. de Nupt. num. 309.* & ideò Papam in primo gradu lineæ collateralis diſpenſare poſſe docent.

Tertia ſententia, cui tanquam probabiliori adhæret *Sanchez loc. cit. num.* 11. ubi alios refert, tenet, quod in ſolo primo gradu lineæ tranverſæ, ſcilicèt inter fratres, & ſorores eſt interdictum, ac irritum jure naturæ matrimonium. Probant

Primò, quia *in cap. gaudemus. de Divort.* Innocentius III. dicit: Infideles converſos ad fidem non eſſe ſeparádos à matrimonio cótracto tépore infidelitatis in ſecúdo, vel aliis ulterioribus gradibus cóſanguinitatis; & de primo gradu mentionem nó fecit; ergo ſignum eſt, quod in primo gradu ſeparandi ſunt. Quæ ratio magnæ efficaciæ non eſt, ut dicit *Sanchez*, quia Pontifex in tali *Textu* ſolùm determinavit, quod certum erat, reliquit tamen primum gradum, de quo controvertitur, an jure naturæ matrimonium dirimat.

Secundò probant, quia *Ariſtotel. 2. politic. cap. 2.* ſolo naturali lumine ductus turpiſſimam dicit eſſe conjunctionem patris cum filia, fratris cum ſorore, & *Divus Auguſtin. lib. 15. de Civitate Dei, cap. 16. & lib. 22. contra Fauſt. cap. 35.* cenſet matrimonia inter fratres, & ſorores ſolo mundi exordio licuiſſe, idque compellente neceſſitate propagationis generis humani. Undè *Tertullian. in Apol. cap. 9. & Theod. lib. de legibus*, conſuetudinem quarundam barbararum nationum conjugia hæc permittentem, tanquam perverſam, & legi naturali adverſantem impugnat.

Tertiò probant: quia Abraham ideò ſuaſit Saræ, ut diſſimularet, ſe uxorem illius eſſe, & diceret, ſe eſſe ſororem, quia lumine natu-

turali etiam apud illas gentes notum erat, ſororem non poſſe eſſe uxorem.

Quartò quia nunquam Eccleſia in primo gradu lineæ tranſverſæ diſpenſavit, undè ut refert *Paul. Emil. in lud. 11.* Comes Armeniacus, quia non potuit à Pontifice impetrare diſpenſationem, ut cum ſorore contraheret, emẽtita diſpenſatione ſororem duxit. In ſecundo verò gradu Eccleſia diſpenſare poteſt, ut patet ex *Trid. ſeſſ. 24. de matrim. cap. 5. in fin.* Aliæ rationes videri poſſunt apud *Sanchez loc. cit. n. 11.*

Ex hoc idem *Sanchez* infert, quod infideles, qui matrimoniũ contraxerunt in primò gradu lineæ tranſverſæ; quando convertuntur ad fidem, poſſunt ab Eccleſia ſeparari: quia probabilis eſt ſententia aſſerens tale matrimonium jure naturę irritum eſſe: Sicut etiam poſſunt relinqui in conjugio, nam etiam probabile eſt tale matrimonium ſola lege Eccleſiaſtica irritari, cui infideles tempore contractionis matrimonii non ſubjacebant. In reliquis verò gradibus lineæ tranſverſæ, nullatenùs ſunt ſeparandi, ut patet ex *cap. gaudemus de divort.*

Ad argumenta ſecundæ ſententiæ reſpondet *Sanchez loc. cit. n. 14.* Ad primũ dicit, *Saram non fuiſſe ſororem Abrahæ, ſed fuiſſe filiam fratris ſui Aron,* ut dicit *D. Auguſtin. in quæſt. Geneſ. q. 26.* & referuntur in *Can. quæritur 22. q. 2. & cauſ. 35. q. 1.* idem *D. Auguſtin. de Civit. Dei lib. 55.* vel ut alii dicunt *16. cap. 12.* Ideò autem Abraham dixit, quod verè ſoror ſua erat, quia qui erant maximè propinqui, fratres, & ſorores appellari ſolebant, ſic *Cicero lib. 5. de finib. in princip.* Lucium Ciceronem patrui ſui filium, fratrem appellat; plura traduntur circa hanc difficultatem à *Covarr. de ſponſal. p. 2. cap. 6. § 10. n. 5.* Confirmatur hoc ex eo, quia nepotes propriè dicuntur nati ex filio, vel filia, *l. fin. § nepos, ff. de gradib. affin. inſtitut. de Patria poteſt. § fin.* & tamen propter ſanguinis proximitatem filii fratrum, vel ſororum nepotes dicuntur, *cap. per tuas de probat, cap. quod ſuper his, & cap tua nos, de conſanguin.*

Dum autem Abraham dixit, *verè ſoror mea eſt, filia patris mei,* &c. non intelligitur, quod verè fuit filia ſui patris, ſed quia nomine filiorum veniunt omnes liberi, & deſcendentes, maximè nepotes, non ex proprietate ſermonis, ſed ex interpretatione, *l. 6. ff. de teſtam. tutela, Inſtit. qui teſtamento tutores dari, §. fin. Bart. & Bal. in l. Gall. §. inſtituens, ff. de liber. & poſthum.* juncta *l. filii ap-*

pellat. l.juxta 201.*& l.liberorum appellatio.*220.*§.fin.*ibi:*Præter hæc omnia, natura, quoque nos docet, parentes pios, qui liberorum procreandorum animo, & voto uxores ducunt, filiorum appellatione omnes qui ex nobis deſcendunt, contineri. Neque enim dulciore nomine poſſumus nepotes noſtros, quàm filii appellare, ff. de verb. ſignif.*

Ad ſecundum dicit, quod ex tali exemplo non poteſt ſumi argumentum, quia Thamar, vel putabat tale matrimonium licitum eſſe: vel id dixit, quia minùs malum erat tale matrimonium, quam vì ſtruprari, & minùs malum permitti poteſt ad vitandum majus, *Can. ſi quid verius* 33.*q.*2.

Vel dicimus, quod Thamar nō erat filia David, & ideò poterat ſecundùm legem cum Amon qui David filius erat, connubiū contrahere, ſiquidem *Nicolaus de Lyra in lib. Regum* 11. ſuper illa verba: *Loquere ad Regem, & non negabit me tibi,* ſic arguit: *Hoc videtur eſſe contra legem Levit. XX. ubi prohibetur matrimonium fratris cum ſorore, ſivè ſit de patre tantùm, ſivè de matre, & multò fortiùs de utroque. Ad quod reſpondet Rabbi Salomon, quod David cœpit matrem Thamar in bello, & circumciſis unguibus, & peractis aliis, quæ ad hoc requiruntur, ut habetur Deut. XXI. accepit eam uxorem, verumtamen tunc erat impregnata de viro, quem priùs habuerat, habens in utero iſtam Thamar, & ideò non erat filia naturalis ipſius David, propter quod filius ejus poterat eam habere uxorem ſecundùm legem.* Hæc Nicolaus de Lyra.

Ad tertium dicit, illas gentes tanquàm barbaras notari, ut etiā nos ſupra diximus, & Cymon Athenienſis, qui ſororem germanam in matrimonio habuit, fuit ob eam cauſam in exiliū miſſus, ut atteſtatur *Andocides in oratione adverſus Alcibiadem*; quamvis Aemilius probus in libello de vita quorundā Imperatorū dicat non fuiſſe turpe Cymoni Athenienſi ſororē germanā in matrimonio habuiſſe, cū Cives Athenienſes eodem uterentur inſtituto. *Covarr. p.*2. *de ſponſal. cap.*6. *§.*10.*n.*5. Videas quæ ſupra diximus in primo quæſito.

Ad quartum dicit, quod tunc temporis non fuit opus diſpenſatione Divina, ſed quia non erant alii, quàm fratres, ex neceſſitate conſervationis generis humani, matrimonium cum illis erat celebrandum, *Can. cum igitur* 35. *quæſt.*1.

Ad ultimum dicit, verùm eſſe non ità ſtrictè prohiberi matrimonium jure naturæ inter fratres, & ſorores, ac inter parentes,

tes, & liberos, cum hoc tamen optimè ſtare poteſt, quod utrunque ſit jure naturæ prohibitum.

Ex his infertur, quod in aliis gradibus Levitici, qui jure naturæ non irritant matrimonium, non poteſt licitè etiã ab infidelibus cõtrahi; quia licèt matrimonia in illis gradibus contracta, non adverſentur juri naturali primario, & irritanti; adverſantur tamen juri naturali ſecundario, & prohibenti; quatenus nudè, ac ſecundùm sè conſiderata, & pro libito privatorum inita ſine peculiaribus circumſtantiis cohoneſtantibus, indecentiam quandam naturalem continent: nam natura dictat reverentiam quandam conſanguineis in illis gradibus conjunctis debitam eſſe, cum qua pugnat copula conjugalis, & ideò Gentiles peccant indifferenter, & abſque cauſa contrahentes dicta matrimonia, ità multi apud *Sanchez lib.7. de matrim.diſp.52.n.7.*

Et quamvis in lege veteri inter filios fratrum improbata non erat conjunctio conjugalis, verùm inquit *D. Auguſtin. lib.15. de Civitat.Dei, cap.16. Quis dubitat honeſtiùs hoc tempore etiam conſobrinarum prohibita eſſe conjugia, non ſolùm ob multiplicandas affinitates, nè habeat duas neceſſitudines una perſona, cum duæ poſſint eas habere, & numerus propinquitatis augeri: Sed etiam neſcio quomodò ineſt humanæ verecundiæ quiddam naturale, atque laudabile, ut cui debet propinquitatis cauſa verecundum honorem ab ea contineat.* Vetuerat enim Theodoſius major, nuptias conſobrinarum, tanquam ſororum, ut Sextus Aurelius Victor ſcribit; quamquam ea lege abrogata Arcadius, & Honorius inter conſobrinos matrimonia celebrari permiſerint, *l.celebrandis, C. de nupt.* Niſi fortaſsè dicatur mendoſam eſſe illius legis inſcriptionem in *l.2. C. Theodoſ. de inceſt. nupt.* ubi iidem Principes, conſobrinarum conjugia vetuerint, damnarintque nominatim. Veritas tamen eſt, quod jure civili Romanorum permiſſa erant conjugia inter filios fratrum, & ſororum *Inſtitut. de nupt.§. duorum autem fratrum, vel ſororum liberi, vel fratris, & ſororis conjungi poſſunt, l.3.ff.de ritu nuptiar. l.Lucius Titius 78.§. filiam ſuam, ff. ad Trebellejan.* Quod jus Romanorum invaluit olim etiã inter Chriſtianos; nam filiæ Conſtantini Magni, ſcilicèt Conſtantina, & Helena nuptui datæ ſunt filiis fratrũ d.Conſtantini Magni, Cõſtantina enim fuit nuptui data Annibaliano primũ filio Dalmatii fratris ipſius Conſtãtini; deindè Gallo Cæſari filio

Con-

Conſtantii alterius fratris Conſtantini: Helena verò nupſit Juliano alteri filio memorati Conſtantii, ut refert *Joannes Cabaſſutio in notitiis Conciliorum dum de Trid. loquitur ad ſeſſ. 24. cap. 2.*

Nō omittendū, quod apud Juliū Africanum, ſeù Abdiam Babyloniæ primum Epiſcopum *lib. 3. certamin. Apoſt.* habetur: refert enim, quod antequam Andreas Apoſtolus in Macedoniam perveniſſet, accidit, quod duo viri in Philippis fratres germani eſſent, nobiles, & quibus erat magna domi facultas. Erantque alii filii duo, alteri totidem filię, hi cum in civibus nulli forent, qui dignè generationi illorum jungi poſſent, inito fœdere obligaverunt ſe mutuo, ut unam domum facerent, & unius filii alterius filias in matrimonium acciperent. Cumque jam dies nuptiarum eſſet conſtitutus, factum eſt verbum Domini ad eos dicens. *Nolite conjungere liberos veſtros, donec huc veniat famulus meus Andreas, ipſe enim quæ vobis agere debeatis, oſtendet.* Jam autem thalamus paratus erat, & convivæ vocati, omniſque apparatus nuptiarū in promptu erat. Interea triduo elapſo advenit Apoſtolus, qui cum audiſſet quę geſta eſſent: *nolite*, ait, *filioli, nolite ſeduci, nolite decipere hos juvenes, quibus poteſt fructus apparere Juſtitiæ, ſed magis pœnitentiam, agite, quia deliquiſtis in Dominū, ut proximo ſanguine velletis polluere conjugia filiorum veſtrorum.*

Ex hoc patet inter filios fratrum illicitas eſſe nuptias, niſi aliqua juſta cohoneſtentur cauſa, & ideò in *Trident. ſeſſ. 24. cap. 5.* ſtatuitur, quod in ſecundo gradu nunquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam.

QUÆRES VI.

An Eccleſia poteſtatem habeat augendi, vel minuendi prohibitiones in gradibus conſanguinitatis?

NON defuerunt Hæretici aſſerentes, Eccleſiaſticam prohibitionem eſſe humanam inventionem. Undè *Vvitcleff* aſſerit poſſe conſanguineos in quovis gradu matrimonia contrahere: Lutherus, & Bucerus ſolos gradus *Levit.* 18. admittunt, & alios ab Eccleſia additos omninò deſpiciunt; undè Lutherus in præludio de captivitate Eccleſiæ Babylonica monet, ac rogat omnia matrimonia confirmari, etiam quæ habent impedimentum à lege Pontificia, modò non ſit impedimentum Divinæ

legis in Sacra Scriptura expreſſum, adeòque inquit: *Dico tamen rogans omnes Sacerdotes, & fratres, ſi viderint aliquod impedimentum, in quo Papa poteſt diſpenſare, & quod non eſt in Sacra Scriptura expreſſum, ut ea omnia matrimonia confirment, quæ contra Eccleſiaſticas, vel Pontificias leges fuerint contracta. Arment autem ſe Divina lege dicente, quod Deus conjunxit, homo non ſeparet. Conjunctio enim viri, & mulieris eſt Divini Juris, quæ tenet contra leges hominum.* Et infra dicit: *Et Papa, vel Epiſcopus, vel Officialis ſi diſſolverit matrimonium aliquod contra legem humanam contractum, Antichriſtus eſt, & violator naturæ, & reus læſæ Maeſtatis Divinæ, quia ſtat ſententia, quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Hæc ille. Præterea inſurgit contra Romanæ Eccleſiæ Prælatos, & Officiales, quos nuncupat: *Romanenſes, & Nundinatores, ac Mercatores membrorũ inhoneſtorũ utriuſque ſexus, quoniam propter mammona nullum eſt matrimonii impedimentum, quod non fiat legitimum ex diſpenſatione, quæ fit ex ſola pecunia, itaut videantur hujuſmodi leges eſſe inſtitutæ, non alia cauſa, quam ut ſint retia avaris.* Hæc Lutherus. Videas *Bellarm. lib. 1. de matrim. cap. 25. & ſeq.*

Inſurgunt etiam alii Hæretici contra Eccleſiam determinantẽ prohibitiones matrimonii. Primò, quia Chriſtus venit ad verbum Dei annunciandum, non verò ad condendas leges politicas; ergo Romanus Pontifex, qui vices Chriſti in terris gerit, nec etiam debet politicas leges condere; ſed leges matrimonia interdicentes, ſunt leges politicæ, ergo, &c.

Secundò, quia melius cognoſcit Deus inter quas perſonas expediat conjugium iniri, quàm homo, ſed Deus ſolùm primum, & ſecundum gradum inæqualem in linea collaterali prohibuit *Levit. 18.* ergo ineptè operatur Eccleſia Divinũ corrigens inſtitutum alios addẽdo gradus uſque ad quartum.

Tertiò, quia hæc prohibitio Eccleſiaſtica uſque ad quartum gradum in linea collaterali nova eſt, nec olim in Eccleſia nota erat, cum Concilium Epanenſe *cap. 30.* Turonenſe 2. *Can. 12.* Papienſe 1. *cap. 4.* tantùm ſecundum gradum prohibebant, & ita D. Gregorius reſpondendo *Auguſtino Anglico Epiſcopo,* docet, *matrimonia inter conſanguineos ultra ſecundum gradum permiſſa eſſe;* ut patet in *Can. quædam lex 35. qu. 3.* Tandem quia ridicula, & puerili ratione inductum eſt Concilium Lateranenſe relatum in

Cap. non debet. de conſanguin. & affinit. ad reſtringendos gradus uſque ad quartum, nimirum quia corpus humanum ex quatuor humoribus compoſitum eſt, ſcilicet ſanguine, colera, flegma, & melancolia, ut etiam dicit *Text. in cap. in quadam in fin. de Celebr. Miſſarum*.

Nos tamen de fide dicimus Eccleſiam talem poteſtatem habere, ut definitum eſt in *Trident. ſeſſ. 24. de matrim. Can. 3. & 4.* convenientiſſimam etiam aſſerimus eſſe prohibitionem in gradibus ab Eccleſia interdictis, non ſolùm quia cognati ſibimetipſis debent reverentiam præſtare, ex eo quia ab eodem ſtipite originem trahunt, & communionem ſanguinis habent, cui reverentiæ valdè detrahit actus conjugalis, ſed etiam quia matrimonia ſunt contrahenda, ut bono publico politico etiam deſerviant, & ad publicum Civitatis bonum conducant; ſed bonum publicum petit, conſanguineos, & affines matrimonio non conjungi, quia iſti ſatis affinitate, & conſanguinitate ſunt conjuncti; ergo, &c. Minor patet, quia bonum publicum petit, ut vincula amicitiæ extendantur; ſed ſi conſanguinei, & affines matrimonio conjungerentur, non extenderentur vincula amicitiæ, quia nulla de novo amicitia haberetur, ergo, &c. Tandem quia expedit evitare occaſionem Inceſtus, ſed per prohitionē copulæ conjugalis inter conſanguineos, & affines evitatur occaſio Inceſtus, ergo expedit dictam copulam prohibere. Probatur minor: quia conſanguinei, & affines multoties in eadem domo commorantur, vel invicem domos frequentant mutuis viſitationibus; ſed ſi non interdiceretur matrimonium inter illos, magnus aditus Inceſtibus pateret; ergo &c.

Remanet modò ut figmenta Lutheri ſolvantur. Ad primam ejus rationem dicimus, quod ideò Lutherus deſpicit impedimenta Eccleſiæ, quia ipſe nullam dignitatem tribuit matrimonio Chriſtianorum ſuprà matrimonium antiquæ legis, & infidelium; cùm tamen conſiderare debuerat Chriſtianam Rempublicam uti matrimonio, ut Chriſtianus populus multiplicetur tanquam gens ſancta, & populus acquiſitionis, & ideò ſic diſponi, ac inſtitui debuit per Sanctas Eccleſiæ leges, ut in ejus contractu vitarentur ea, quæ contraria ſunt Charitati Divinæ, vel Humanæ, & ſervarentur ea, quæ pudicitiæ, & honeſtati congruunt, quia hoc modò honeſtum, ac ſanctum matrimoniū Chriſtianorum ſignifi-

cat ſanctiſſimam Chriſti, & Eccleſiæ conjunctionem. Ut igitur matrimoniũ inter fideles ſanctũ, & honeſtum permaneret, aliqua impedimenta inſtituit Sancta Mater Eccleſia ex poteſtate ei data à Chriſto Domino, dum dixit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ędificabo Eccleſiam meam*; ędificare enim Eccleſiam nihil aliud eſt, quàm illam ſanctiſſimis legibus, & inſtitutis firmare: Undè quod Petrus, & ejus ſucceſſores ſtatuunt, à Chriſto approbatum intelligitur: adeoque ſi Pontifex ſtatuit aliquos gradus perſonarum non poſſe matrimonia contrahere, Deus illos non conjungit; quia approbando legem ſui Vicarii non conjungit illos, quos Vicarius diſiungit, & ita non habet locum Lutheri argumentum. Immò contra ipſum hoc modò retorquetur: Homo nõ poteſt ſeparare perſonas, quas Deus cõjunxit: ſed perſonæ, quas Eccleſia non conjungit, non ſunt perſonæ conjunctæ à Deo, ergo homo ſeparando perſonas, quas Eccleſia non conjungit, non ſeparat perſonas à Deo conjunctas.

Ex hoc clarè infertur, quod Papa nõ eſt Antichriſtus, nec eſt Reus læſæ Majeſtatis Divinæ, & violator Divinæ legis: Immò ipſe Divinam tuetur legem, ut patet in hac matrimoniali materia ex *cap. infidelib. de Conſang. & Affinit.* ubi Innocentius tertius definit, *Infideles, qui ſecundùm veteris legis inſtituta matrimonium contraxerunt, non eſſe ſeparandos poſt converſionem ad fidem*: & *in cap. litteras. de reſtit. ſpoliat.* idem Innocentius dicit, quod in gradibus Divina-naturali lege prohibitis Papa non diſpenſat. Leges itaque Eccleſiæ, non ſunt merè leges hominum, ut falsò putat Lutherus, ſed ſunt mediæ inter merè Divinam, & merè Humanas leges: & quando Papa diſpenſat, ut Chriſti Vicarius, & ex poteſtate ei data à Chriſto, id facit, exiſtente tamen rationabili cauſa; de qua poteſtate diſpenſandi infra erit ſermo in §. 2.

Ad ſecundã rationem Lutheri dicimus, quod inſtitutio impedimentorum matrimonii optimo fine ab Eccleſia Catholica proceſſit; ut ſcilicet Chriſtianum matrimonium, quod Sacramentum eſt, majori cum puritate, & honore celebretur. Propter abuſum autem velle damnare leges optimè conditas temerarium eſt; Chriſtus enim ejecit de templo vendentes, & tamen non reprobavit templum quin eſſet domus orationis; ita etiam in caſu noſtro, nam Sanctiſſimi Pontifices advertentes fraudes, & dolos

tam officialium, quam ſupplicantium, aſſiduè laborant in cōdendis, & promulgandis extravagantibus pœnalibus, quibus totis viribus conantur hujuſmodi abuſum frænare. Ita *Javell. in 5. p. Philoſ. Chriſtianæ, tract. 8. de Sacram. matrimonii, cap. 5.*

Ego tamen dico, quod impedimēta matrimonii optimo fine ab Eccleſia Catholica ſunt inſtituta, ſed cum cauſa poteſt Eccleſia in impedimentis diſpenſare, ſicut ſeculares Principes in ſuis diſpenſare legibus ſolent, *Pignatell. tom. 4. conſult. 180. n. 18.* undè *D. Thom. 2. 2. q. 63. a. 2. ad 2.* dicit, quod Eccleſia has diſpēſationes matrimoniales concedit potiſſimū ad pacem firmandam; adeoq; jure optimo faciliùs diſpēſatur in matrimonii impedimentis cum divitibus, & potentibus, ſine acceptione perſonarum; quia cum diſpenſatio præcipuè concedatur ob firmandum pacis fœdus, hoc magis neceſſarium bono cōmuni judicatur circa divites, & potentes, quàm circa pauperes, & populares. *D. Thom. loc. cit. Covar. in 4. lib. decret. p. 2. cap. 6. §. 9. n. 7. in fin.* Quod verò mediante pecunia fiat diſpenſatio, id nō ratione mercaturæ fit, ut delirat Lutherus, ſed accipitur compoſitio pecuniæ, ut convertatur in ſubſidium belli contra Turchas, aut alios infideles, vel ad alios publicos ſumptus, ut dicit *Sanchez lib. 8. de matrim. diſp. 19. num. 35. & diſp. 21. num. 41.* Immo *Trid. ſeſſ. 24. cap. 5. de reformat.* dicit, quod *gratis conceduntur diſpenſationes*, ergo Eccleſia non facit mercaturam ſtatuendo impedimenta, & concedendo diſpenſationes, quando aliquid accipitur ratione mercedis pro expeditione bullarum, & ad publicos ſumptus, *Barboſ. ad d. c. 5. Trid. num. 23.*

Addo, quod ut refert *Rebuff. in ſua Praxi beneficiaria in regul. de diſpenſ. in grad. probi. n. 13.* miratur *Staphil. in tract. de literis gratiæ, & juſtitiæ*, quomodo Papa recipiat pro iſta diſpenſatione, compoſitionem: quia aut eſt juſta cauſa diſpenſandi, & tunc diſpenſare debet; ſi verò non adeſt cauſa, diſpenſationem abiicere debet. Cui admirationi ſatisfacit idem *Rebuff. l. cit num. 14.* his verbis: *Sed deſinet mirari ſi conſideret quàm multi diſpenſationes hujuſmodi, ſi gratis concederentur, peterent, qui ſaltem impenſarum timore deterriti nō audent:* hoc idē tranſcribit *Corradus lib. 8. diſpenſat. Apoſtol. cap. 5. num. 33.* ubi ſubdit: *Neque obſtant decretum Concil. Trid. ſeſſ. 22. cap. 5. & DD. opiniones, volentium, ubi cauſa juſta diſpenſandi ſubeſt, debere diſpen-*

ſpenſari gratis. *Nam id locum tantùm habet in compoſitionibus, non autem in aliis juribus, & ſuper hoc Sacra Congregat. Cardinalium Concil. Trid. Interpetum* ita declaravit v3. *Decretum Concil. Trid. quod ait, diſpenſationes gratis concedātur, habet locum in compoſitionibus, non in mercede, quæ propter bullarum expeditionem ſolvitur ex Congregationis ſententia*. Quamvis, ut ait *Garc. de benefic. p. 8. cap. 2. nu. 101. etiam reſpectu compoſitionum non ſervatur propter neceſſitates, & onera Papæ, & Sedis Apoſtolicæ, præſertim pro propaganda, tuendaque Fide Catbolica, &c.*

Verùm ut dicit *Barboſ. l. c. nu. 22.* ubi etiam *Farinac. & Bellar. Ordinarii locorum nihil accipere poſſunt pro executione diſpenſationum etiam à ſponte dantibus, ſed tantùm Notarii pro examine teſtium poſſunt quartam partem aurei, ſeu ducati licitè accipere.*

Ad alias rationes Hæreticorum reſpondendo dicimus. Ad primam, quod leges de matrimonio non ſunt leges merè politicæ, ſed etiā ſpirituales ſunt, cū matrimonium Sacramentum ſit, & Chriſtus Dominus, etiam aliquas leges de matrimonio tulit, nam abſtulit poligamiam, & repudium, *Matth. 19.* & patet *ex cap. gaudemus de Divortiis.* Sicut igitur Chriſtus in matrimonio pro tempore legis gratiæ aliquid variavit, ab eo quod tempore Moyſis erat, cum Moyſes ad vitandum malum homicidii, non prohibuit, ſed permiſit repudium, ita Eccleſia, quæ eſt utilis Domina Sacramentorum poteſt aliquid variare, & addere circa impedimenta ex poteſtate ei conceſſa à Chriſto Domino.

Ad ſecundam dicitur, quod expediens fuit Hebræis ne plures cōſanguinitatis gradus Deus prohiberet, ex eo quia illi rari erant, & proni ad repudium. Quæ ratio hodiè ceſſat, & ideò expediens fuit plures ab Eccleſia gradus interdici. Nec ſequitur Eccleſiam corrigere Divinū Statutum: quia Deus cōmiſit Eccleſiæ facultatē ampliādi, & reſtringendi leges prout expediens judicaverit *Ludovic. Carbone in tract. de legib. lib. 14. diſp. 8. §. prima propoſitio. Pignatell. to. 4. conſult. 180. n. 16. & ſeqq.* Sicut etiam eidem Eccleſiæ eſt data facultas interpetrandi legem Divinam, & ſacram ſcripturam, *Trident. ſeſſ. 4. in decreto de Edit. & uſu ſacrorum librorum;* ergo etiam ei intelligitur data facultas ampliandi, & reſtringendi gradus, prout expediens judicaverit pro temporum opportunitate.

Ad tertiam dicitur, talem pro-

hibitionem valdè antiquam eſſe, immò plures gradus antiquitus prohibiti erant, quam de facto ſunt, nam prohibitionem uſque ad ſeptimum gradum ſtatuerunt Alexander II. qui ſedit anno 1060. & D. Gregorius, qui 400. annis illum anteceſſit, nam cum ſolis Anglis diſpenſavit, ut in tertia, vel quarta generatione matrimonia inirent ob recentem eorum converſionem ad fidem, ut patet *ex can. quædam lex 35. qu. 2. & 3. & can. ad Sedem Apoſtolicam 35. q. 5.* Immò Julius II. qui plus 200. annis præceſſit D. Gregorium prohibitionem in ſeptimo gradu ſtatuit, ergo talis prohibitio antiquiſſima eſt in Eccleſia; quamvis igitur conſanguineorum conjunctiones Evangelicis, & Apoſtolicis præceptis non inveniantur prohibitæ, ſunt tamen fugiendæ, quia Eccleſiaſticis inſtitutionibus inveniuntur interminatæ, *can. cum igitur. in fine. 35. quæſt. 1.*

Ad ultimam dicitur, rationem illam reſtrictionis gradus non eſſe præcipuam, ſed eſſe quandam convenientiam phyſicam, quæ non eſt inepta, aut ridicula, nam ex eo quod homo ex quatuor humoribus conſtat, probabiliter colligitur ultra quartũ gradum deficere vim ejuſdem ſanguinis à primo ſtipite tracti, nàm paulatim virtutes illæ humorum per generationes confunduntur, & pereunt.

DISPUTATIO II.

De Impedimento Affinitatis.

IN præſenti de affinitate ex profeſso non agimus, quia de illa erit ſermo infra in ſecunda parte, ſed tantùm de impedimento affinitatis in quantùm gradus continet. Undè ſupponendo ut certum, Affinitatem ex conſummata copula carnali, ſivè licita, ſivè illicita impedire, & dirimere matrimonium, quando talis affinitas præceſſit contractionem matrimonii, *Can. nullum in utroque ſexu. Can. æqualiter. & Can. ſanè. 35. q. 2. & 3.* & patet ex multis Conciliis relatis à *Julio Capone controverſia forenſi 26. num. 12.* & noviſſimè in *Trid. ſeſſ. 24. cap. 4. de reform.* Plura de tali impedimento hic examinanda ſunt, quapropter:

QUÆRES I.

An Affinitas, ſivè ex copula licita, ſivè illicita, ſit vinculum naturale?

SEnſus quæſiti eſt: An ſolo jure naturæ attento oriatur vinculum aliquod naturale affinitatis ex copula conjugali, aut fornicaria, itaut etiam inter infideles conſurgat, ſicuti inter illos conſurgit conſanguinitas. An verò tale vinculum ſit merum Eccleſiaſticum inſtitutum, ſicut eſt cognationis ſpiritualis vinculum. Non tamen in præſenti quærimus, an affinitas dirimat matrimonium jure naturali, an jure Eccleſiaſtico, ſed ſolùm, an affinitas ſit vinculum aliquod naturale, an ſit vinculum tantùm ex determinatione Eccleſiæ inſtitutum, adeoque à ſolis baptizatis contrahibile. Differunt enim inter ſe iſta duo; nam per generationem, naturalis oritur cognatio, non ſolùm in linea recta, ſed etiam in tranſverſali linea; & tamen talis cognatio non impedit jure naturali matrimonium in omni gradu, ut ex dictis patet.

Circa præſens quæſitum primo *Enriquez. lib. 12. de matrim. cap. 3. n. 4.* tenet, quod ex copula conjugali non oritur affinitas, ut vinculum naturale dirimens matrimonium jure naturæ, ſed tantùm dirimens jure Eccleſiaſtico; undè aſſerit, infidelem, qui tempore infidelitatis conſummavit matrimonium cum uxore, poſſe poſt baptiſmum ejus ſororem ducere.

Secundò *Sanchez lib. 7. de matrim. diſp. 65. n. 4.* cum aliis tenet, affinitatem ex copula conjugali ortam non eſſe Eccleſiæ inventũ, ſed eſſe quid naturale, ſicut eſt conſanguinitas, & ideò etiam inter infideles ex matrimonio conſummato tẽpore infidelitatis, oritur talis affinitas, ut vinculum naturale.

Probat primò, quia ſicut eſt cauſa naturalis amicitiæ conſanguinitas, ita & affinitas ex copula conjugali, *Teſte Ariſt. lib. 8. Ethic. cap. 12.* ſed conſanguinitas ideò quid naturale eſt, quia naturalis cujuſdam amicitiæ, & conjunctionis fundamentum eſt, ergo affinitas ob eandem rationem quid naturale erit.

Secundò, quia ex copula conjugali vir, & uxor ſunt quodammodò una caro, *Geneſ. 2 Erunt duo in carne una*; ſed ſi revera eſſet una caro, conſanguinei unius, eſſent conſanguinei alterius jure naturali, ergo quia ſunt quodãmodò una caro, quodammodò jure naturæ conſanguinei unius per-

pertinent ad alterum.

Tertiò, quia experientia docet, etiam apud barbaras nationes conciliari naturalem quandã amicitiam ex matrimonio inter conſanguineos conjugũ, & ipſos conjuges, & ideò ſunt impoſita nomina ad ſignificandam hanc affinitatis conjunctionem, ut Socer, Socrus, Privignus, Nurus, Gener, Noverca; ergo vinculum affinitatis eſt quid naturale.

Ex quo infert, quod infidelis, qui tempore infidelitatis validũ conſummavit matrimonium, nõ poteſt converſus ad fidem matrimonium contrahere cum conſanguineis uxoris in gradibus ab Eccleſia prohibitis: quia licet infideles legibus Eccleſiæ non tenebantur, quando contraxerunt affinitatem, ſubſunt tamen dictis legibus poſt converſionem ad fidem, quando de novo matrimonium contrahere volunt, & ita tenentur ſervare prohibitiones Eccleſiæ.

Dubium tamen facit *Sanchez* de affinitate ex copula illicita, an ſit vinculum naturale, & tempore infidelitatis oriatur? Affirmativam ſententiã defendunt *Joannes Andr.Cardin.*& alii apud *Sanchez loc.cit.n.8.* quia ex qualibet copula homo, & mulier fit una caro ad prolis generationem; ergo non ſolùm ex copula licita, ſed etiam ex illicita oritur affinitas jure naturali: Antecedens probat, nam *D. Paulus 1. Corinth.9.* ante omne jus Eccleſiaſticũ dixit: *Qui adhæret meretrici unum corpus efficitur cum ea*: & *D.Gregorius*, ut refertur in *Can. nec eam.35.q 3.* inquit: *Inceſtuoſum eſſe coitum, & abominabilem Deo, & cunctis hominibus ſi quis ducat aliquam, quæ uxor fuit proprii conſanguinei, vel ab eo illicitè cognita*: ergo ſentit eſſe contra jus naturale, aliàs non eſſet coitus ille inceſtus, & abominabilis cunctis hominibus.

Verùm *Sanchez* tenet, affinitatem ex copula fornicaria non eſſe naturale vinculum, & ideò ſecluſa omni lege Eccleſiaſtica nullum vinculum naturalis amicitiæ oritur inter conſanguineos viri, & fœminam ab eo fornicariè cognitã, nec è converſo. Probat, quia experientia teſte potius inter illos oriuntur odia, & inimicitiæ. Secundò, quia tantùm pro affinibus ex copula conjugali reperiuntur nomina impoſita, non verò pro affinibus ex copula fornicaria; ergo inter affines ex copula fornicaria nõ datur naturalis amicitia, & ideò jure aliquo Romano ex ſolis nuptiis oriebatur affinitas, *l.nõ facilè.§.affines.* & *§.ſciendum. ff. de gradibus affinitat.*

Ex

Ex quo contra *Vegam*, & alios infert, quod ſi quis tempore infidelitatis aliquam fornicariè cognovit, poteſt poſt baptiſmum ducere conſanguineam ejus intra gradum ab Eccleſia prohibitum; quia cum illa affinitas non ſit vinculum naturale, nec contrahatur tempore infidelitatis, nihil eſt, quod poſt baptiſmum impediat matrimonium, idem tenet *Diana par.3. tract.4. de ſacram.reſol.262*.

Secundò etiam probabiliter infert, quod ſi fidelis rem habeat cum fideli, vel infideli fœmina, & illa habeat ſororem infidelem, non contrahit affinitatem cum illa ſorore infideli, & ideò poſtquam illa ad fidem venit, poteſt fidelis cum ea matrimonium contrahere, quia affinitas cum ſit relatio, non poteſt abſq; duobus extremis conſiſtere; ſed mulier illa infidelis non potuit affinitatem contrahere, cum legibus Eccleſiæ non ſubdatur, à qua ſola vim habet talis affinitas, ergo nec oritur affinitas in fideli fornicante: ſicut ſi fidelis baptizaret filiã fœminę infidelis, nullam contraheret cognationem ſpiritualem cum matre, quæ tunc incapax eſt, & ideò poſtquam illa ad fidem venit, poteſt matrimonium cum illa contrahere.

Verùm contrarium dicit eſſe ſuſtinendum ex conſuetudine Eccleſiæ, quæ habet, fidelem fornicãtem cum fœmina fideli contrahere affinitatem cum illius ſorore, quæ poſt multum temporis ſpatium naſcitur ex parentibus illius fœminæ; ſed talis affinitas non poteſt contrahi ſtatim, ac ſoror illa in lucem æditur, quia tunc non ſubjacet legibus Eccleſiæ, ſed contrahitur quando baptizatur, ergo etiam quando fidelis cum fideli fornicatur, contrahit affinitatem cum illius conſanguineis fidelibus ſtatim; cum conſanguineis verò infidelibus contrahit quandocunque illi baptizati fuerint. Quæ ratio non militat in baptiſmo collato filio matris infidelis: quia nec lex Eccleſiaſtica, nec conſuetudo adeſt, ut contrahatur cognatio ſpiritualis, quando tempore baptiſmi alterum extremum incapax erat.

Dicit tamen idem *Sanchez*, quod ſi infidelis fornicariè cognoſcat fidelem, nec tunc, nec poſt baptiſmum contrahit affinitatem cum conſanguineis fidelis, quia tempore, quo erat contrahenda, non ſubiacebat legibus Eccleſiæ, & nullibi ſtatutum extat, ut poſt baptiſmum convaleſcat. Si verò fidelis rem habeat cum infideli, quæ ſororẽ fidelem habet, cum iſta fideli contraheret

af-

affinitatem, quia utrunq; extremum ſubjacet legibus Eccleſiæ.

Mea tamen ſententia eſt, quod ex quacunque copula ſivè licita, ſivè illicita naturale affinitatis vinculum oritur. Et quidem de copula conjugali conſtat ex traditis juxta opinionem *Sanchez*: De copula verò fornicaria docent multi relati à *Barboſa ad Trident. ſeſſ. 24. cap. 4. de reform. n. 2. & ſeqq. Julius Capone controverſ. forenſ. 26. n. 14.*

Probatur primò, quia ante legem Chriſti, & Eccleſiæ ex copula fornicaria oriebatur affinitas, ergo talis affinitas non eſt ex determinatione Eccleſiæ, ſed eſt vinculũ naturale. Probatur antecedens ex *l. adoptivus. 14. §. idem tamen. ff. de ritu nupt.* ubi *Paul.* dicit: *Idem tamen, quod in ſervilibus cognationibus conſtitutum eſt, etiam in ſervilibus affinitatibus ſervandum eſt: veluti, ut eam quæ in contubernio patris fuerit, quaſi novercam non poſsim ducere: & contra, eam quæ in contubernio filii fuerit; patrem quaſi nurum non ducere.* Similiter in *l. liberi. 4. C. de nupt.* dicitur: *Liberi concubinas parentum ſuorum uxores ducere non poſſunt: quia minùs religioſam, & probabilem rem facere videntur. Qui ſi contra hoc fecerint, crimen ſtupri committunt*; ergo &c.

Probatur ſecundò, quia cognatio naturalis oritur tàm ex copula licita, quàm illicita, *l. & nihil intereſt 54. ff. de ritu nupt.* ergo etiam affinitas naturalis oritur tàm ex copula licita, quàm illicita; pariſicantur enim cognatio, & affinitas in dicta *leg. adoptivus. §. idem tamen.* Undè aliqui dicunt, quod allucinatus eſt *Coraſius lib. 1. miſcell. cap. 3.* exiſtimando ex concubinatu non oriri affinitatem: ſicut nec etiam eſt adhærendum *Goffredo in ſumma* exiſtimante, ex damnato coitu de jure civili affinitatem non conſurgere, ſed publicæ honeſtatis juſtitiam, nam ex citatis juribus clarè oppoſitum conſtat.

Probatur tertiò, quia commixtio ſeminum eſt cauſa naturalis affinitatis, ut omnes tenent *DD.* nam per talem commixtionem vir, & mulier efficitur una caro, *Can. non eſt dubium. 27. q. 2.* ſed in qualibet copula tàm licita, quàm illicita habetur commixtio ſeminum, ergo in qualibet copula habetur cauſa naturalis affinitatis. Reſtringere autem naturale vinculum affinitatis ad copulam licitam, eſt facere, quod talis affinitas ſit de jure poſitivo, licet habeat aliquod fundamentum in re; ſicut dum *Azzorius lib. 2. inſtit. moral. par. 2. cap. 19.* definit patriam poteſtatem dicendo, quod ſit

ſit jus legibus Romanorum conſtitutum, quo filius procreatus ex juſtis, ac legitimis nuptiis eſt in poteſtate patris; per talem reſtrictionem non definit patriam poteſtatem in communi, ſed tantùm illud jus patriæ poteſtatis, quod à legibus Romanorum incrementum, & formam ſumpſit, cum etiam alii homines, qui legibus Romanorum non vivunt patriã poteſtatem habeant, quæ à natura originatur, nam juris naturalis eſt, ut filius juſſis patris obtemperet, & ejus ſit poteſtati ſubjectus, & ideò *in §. jus autẽ inſtit. de patria poteſt.* dicitur: *Nulli enim alii ſunt homines, qui talẽ in liberos habeant poteſtatem, qualem nos habemus*; ergo alii homines non excluduntur à patria poteſtate, ſed non habent talem, qualem habent Cives Romani; ergo etiam in affinitate debet dari affinitas naturalis, quæ ex fornicaria copula originem trahit, & affinitas naturalis, & civilis, ſeù legitima, quæ ex matrimoniali copula oritur, ut tenet *Hoſtienſ. in ſumm. de affin.*

Nec in oppoſitum facit, quod iſta commixtio fornicaria non eſt cauſa naturalis amicitiæ, ſicut eſt commixtio conjugalis, ſed potiùs eſt fomentum diſcordiæ, atque rixarum, ut dicit *Sanch.* Nam ſufficit, quod cauſa naturalis ponat ſuum effectum, licet ratione dicti effectus naſcantur diſcordiæ, & rixæ, ut patet in conſanguinitate, nam non ſolùm ex matrimoniali, ſed etiã ex fornicaria generatione conſurgit naturale vinculum conſanguinitatis, licèt per generationem fornicariam non habeatur vinculum amicitiæ, ſed inimicitiæ, ergo idem dicendum in affinitate.

Ex his jure optimo infertur contra *Sanch. loc. cit.* & *Bonac. de affinit. qu. 3 punct. 12. num. 11.* quod etiam inter infideles datur vinculum affinitatis, ut etiam tenet *Barboſ. ad Trid. ſeſſ. 24. cap. 4. de reform. num. 4.* ubi alios refert. Verumtamen eſt, quod tale vinculum non eſt impedimentum dirimens, quia talem effectum non habet, niſi de jure Eccleſiaſtico, & ideò poſtquam convertuntur ad fidem, quia per baptiſmum vinculum illud non tollitur, tenentur ut ſubditi Eccleſiæ illius prohibitiones ſervare: Si verò ante converſionem matrimonium contraxerunt dicti affines, non ſunt poſt converſionem ſeparandi, ſicut ſupra de conſanguineis diximus, *ex cap. de infidelibus. de conſang. & affin. Capone controverſ. foren. 26. num. 14.*

Infertur etiã falſum eſſe, quod

Sanch. aſſerit, legibus ſcilicet Romanorum affinitatem non niſi ex conjugali copula naſci. Nam etiam ex fornicaria commixtione affinitatem agnoſcunt in ordine ad matrimonia, licèt non in ordine ad tutelas, & ad alia civilia munia, ut ex dictis conſtat, & infra de affinitate dicetur in 2. p.

QUÆRES II.

An aliquis gradus affinitatis in linea recta, vel transverſa ſit ita jure naturæ interdictus, ut attento eodem jure matrimonium irritet?

SUpponit ut certum *Sanch.lib. 7. de matrim. diſp.66.* affinitatem ex fornicatione in nullo cujuſcumque lineæ gradu dirimere jure naturali matrimoniũ, quia ſecundùm ipſum talis affinitas non oritur jure naturæ, ſed tantùm jure Eccleſiaſtico. Undè difficultatem reſtringit ad affinitatem, quæ ex matrimonio conſurgit, an ſcilicet illa dirimat matrimonium jure naturæ in aliquo gradu lineæ rectæ, vel tranſverſæ.

Antequam ad reſolutionem dubii deſcendamus oportet prænotare, quod licet affinitas ſit vinculum naturale, non tamen ſequitur jure naturali dirimere matrimonium; nam etiam per generationem oritur conſanguinitas, quæ eſt vinculum naturale, & tamen non omnis gradus conſanguinitatis irritat matrimonium jure naturæ, ut dictum eſt ſupra *in* §. 1. *diſput.* 1. *quæſit.1. & 2.* Hoc notato

Circa præſentem difficultatem tres opiniones diverſæ referuntur à *Sanch. loc.cit.* quem ſequitur *Guttierez de matrim. cap. 99. num. 9. & ſeq.* Prima docet in linea recta affinitatis prohiberi jure naturæ matrimonium in quocumque gradu in infinitum. Probant iiſdem rationibus, quæ de conſanguinitate in linea recta à nobis fuerunt ſupra relatæ. Pro qua opinione quindecim circiter *DD.* refert *Sanch. loco cit.num.5.* quibus addo *Joannem Brunell. de ſponſal. & matrim. concluſ.26. num.* 8. *Stephan. Conſta in tract. de Affinit. num.15. Oliver. Teſtator. de Affin. n.40.*

Secunda ſententia tenet, tantùm in primo gradu affinitatis lineæ rectæ prohibitum, ac irritum eſſe matrimonium jure naturæ, puta inter Privignum, & Novercam, vel intèr Privignam, & Vitricum, Socerum, & Nurum, Socrum, & Generũ, quia eodem modo abſtinendum eſt ab affinibus, ac à conſanguineis, *cap.1.de*

conſang. & affin. Can. æqualiter. & Can. de propinquis. 35. q. 3. Sed ſecundùm omnes in primo gradu lineæ rectæ irritatur matrimonium jure naturæ, ergo. Præterea filius eandem ferè reverentiam debet Novercæ, aut Vitrico, quàm parentibus, quia talis gradus proximè accedit ad primũ conſanguinitatis lineæ rectæ. Undè *Paul. 1. Corinth. 5.* dicit: *Omninò auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, itaut uxorem patris ſui aliquis habeat*: ergo ſi Gentiles legi Moſaycæ minimè ſubjecti, ſed ſolo naturæ lumine ducti exiſtimabant nefas eſſe uxorem patris ſui ducere, dicendum quod id jure naturæ prohibitum erat.

Confirmatur, quia *Geneſ. 49.* Jacob morti vicinus Spiritu Prophetico maledixit Ruben primogenito ſuo, eo quod paternum thorum maculaſſet, dormiendo cum patris uxore; ergo talis concubitus habet ſpecialem deformitatem jure naturæ adverſus reverentiam patri debitam. Et *Amos 2.* inter alia nefanda refertur, quod pater, & filius cum eadem puella concubuerint, ut nomen Dei blaſphemaretur; ergo affinitas in primo grado videtur jure naturæ prohibita.

Tandem, quia nunquam hactenùs auditum eſt in Eccleſia Pontificem diſpenſaſſe in hoc affinitatis gradu; ergo ſignum eſt illum eſſe interdictum jure naturæ. Hanc ſententiam tuentur multi graves *DD.* relati à *Sanch. loc. cit. num. 6.*

Tertia tandem ſententia, cui *Sanchez* adhæret, & amplectitur *Bonac. de impedim. affinit. qu. 3. punct. 12. num. 5. in fine*, & alii multi relati à *Julio Capone controverſ. foren. 29. num. 2.* tenet, affinitatem ex matrimonio ortam in nullo gradu lineæ rectæ ita prohibere jure naturæ matrimonium, ut illud irritum reddat, ac proindè ſecluſa prohibitione Eccleſiaſtica poteſt in quocumque gradu validè contrahi.

Probant, quia tale matrimonium non cenſetur prohibitum apud omnes gentes, nam *Valer. Maxim. lib. 5. cap. 7. & Plutarc. in vita Demetrii*, referunt Seleucum tradidiſſe filio ſuo Antiocho in matrimoniũ Stratonicem propriam uxorem, quod factum laudat idem *Valerius Maximus. Et 3. Reg. 2.* Adonias filius David petiit Abiſag Sunamitidem in uxorem, & illa erat uxor David; ergo ſignum eſt, tale matrimonium non eſſe irritum jure naturæ. Ita etiam diſcurrit *Jul. Capone l. cit. n. 3.*

Non poſsũ non mirari de hac ratione adducta à *Sanch.* & ab aliiș cõprobata. Siquidem, quod Seleucus filio ſuo Antiocho Stratonicẽ novercã cedere non dubitavit in uxorem, non convincit tale matrimonium validum fuiſſe jure naturę, factum enim unius id nõ cõvincit, immò nec multorum, ut de Perſis, & aliis nationibus, & de impio *Vvitcleff* ſupra diximus in §. *1. diſp.1.quæſit.1.* Tantùm igitur factum Seleuci oſtendit amorem, & indulgentiam parentum in liberos: fuit enim amor Antiochi illicitus, infandus, & improbus, ut idem *Valer.Max.* dicit ibi: *Seleuci Regis filius Antiochus novercæ Stratonices infando amore correptus, memor quàm improbis facibus arderet, impium pectoris vulnus pia diſsimulatione contegebat.* Nec Valerius Max. matrimoniũ laudat, ſed tantùm patris, & filii factum commendat; patris, quia Senex Rex, amans uxorem filio ceſſit, ut illum à morte liberaret: filii, quia uſque ad mortem diſſimulavit amorem.

Et quod tale matrimonium fuit nullum, & contra jus naturę evidentiſſimè patet, quia fuit adulterium, nam vivente patre duxit Novercam, & adulterium jure naturę prohibitum eſſe ſupra diximus.

Nec exemplum Adonias facit ad rem, nam Abiſag non fuit cognita à Davide, ut patet ex *3. Reg.* 1. ibi: *Erat autem puella pulchra nimis, dormiebatq; cum Rege, & miniſtrabat ei, Rex verò non cognovit eam*, & ita inter Abiſag, & conſanguineos David nulla erat nata affinitas, nec erat impedimentum publicæ honeſtatis conſurgens ex matrimonio rato non conſummato, quia tale impedimentum ex jure Eccleſiaſtico tantùm vim habet, & ideò jure naturæ matrimonium inter illos ſubſiſtere poterat, quamvis effectum non habuit, quia Salomon fecit illum occidere, ut patet ex *cit.cap.2.Regum.* Undè dicta ratio adducta à *Sanch.* nullam firmitatem habet: An autem alię ejus rationes validæ ſint, aliis conſiderandum relinquo.

Probari tamen poteſt hæc tertia ſententia, ex eo quia ante legem Moyſis nulla reperiebatur prohibitio contrahendi cum affinibus in linea recta, nam fruſtra fuiſſet de novo data prohibitio in lege Moyſis, nec reperitur in nova lege Chriſti Domini expreſſa prohibitio; ergo dicendũ, quod jure naturali non prohibetur tale conjugium, ſed tantùm jure poſitivo, lex enim naturalis omni tempore vigere debet, nec omnes prohibitiones Levitici sũt

ju-

juris naturalis,ut ex dictis patet.

Secundò probatur à *Julio Capone loc. cit. nu.* 4. quia in *Concil. Agathenſe can.* 61. *& Epannenſe can.* 30. expreſsè prohibetur matrimonium cum Privigna, cum Noverca, relicta fratris, relictaq; avunculi, & tamen præcipitur, ne ante eam prohibitionem matrimonia contracta diſſolvantur, ergo ſignum eſt talia matrimonia valere, & poſſe Pontificem in affinitate lineæ rectæ diſpenſare in primo gradu. Idque confirmat ex *Concil.* 3o. *Aurelianenſi can.* 10. ubi expreſsè habetur talia conjugia remanere in infidelitate contracta; ergo primus gradus affinitatis lineæ rectæ non dirimit matrimonium jure naturali, ac per conſequens Pontifex poteſt diſpenſare; ſicut multoties pro foro conſcientiæ diſpenſat in dicta affinitate orta ex copula fornicaria, quæ ejuſdem rationis eſt cum affinitate orta ex copula conjugali; & Pius V. conceſſit Henrico Cardinali Luſitaniæ facultatem diſpenſandi in affinitate cujuſcunq; gradus orta ex occulta fornicatione.

Nec obſtat prima ratio ſecundæ ſententiæ, quia jura aſſerentia æqualiter abſtinendum eſſe ab affinibus, ac à propriis conſanguineis, intelliguntur non de æqualitate abſoluta, & attento jure naturæ, ſed de æqualitate attenta lege Eccleſiaſtica prohibente contractionē matrimonii in certis gradibus conſanguinitatis, nam ſicut uſque ad ſeptimum conſanguinitatis gradum antiquitus prohibita erat contractio matrimonii, ita uſque ad ſeptimum affinitatis gradum talis prohibitio locum habebat, ut infra dicemus.

Nec etiam obſtat ſecunda ratio, quia non eodem modo reverentia debetur Novercæ, aut Vitrico, ac debetur parentibus, quia inter Privignum, & Novercam, vel Vitricum, & Privignā non datur relatio aliqua naturalis, quæ debito conjunctionis ordini opponatur, ſicut datur inter parentes, & filios: quia relatio naturalis ſuperioritatis, ex qua oritur naturalis reverentia debita ſuperiori, ſolùm datur inter eas perſonas, quæ dant, & accipiunt eſſe naturale per generationem. Et authoritas *Pauli* intelligitur de uxore patris adhuc viventis, ut teſtantur *Cajet.* & alii; & ita peccatum Ruben fuit graviſſimum propter graviſſimā adulterii injuriam illatam patri, & hoc modo intelligitur etiam locus *Amos* 2.

Dum verò dicit, quod nunquā Eccleſia in tali affinitatis gradu diſpenſavit, tantùm ex hoc colligi

ligi poteſt, contrariam ſententiã eſſe valdè probabilem, & matrimonium in tali gradu affinitatis habere magnam indecentiam attento jure naturæ, niſi aliqua juſta, atque præponderans cauſa interveniat; non tamen probari eſſe irritum juræ natûræ, videas *Julium Capone controverſ. forenſ. 29. num. 13.*

Ex his facilè reſolvitur, an attento jure naturæ aliquis gradus affinitatis in linea tranſverſa irritet matrimonium?

Non deſunt *DD.* aſſerentes omnes gradus Levitici prohibitos obligare nunc, ex eo quia lege naturali ſunt interdicti: Undè aſſerunt, quod in primo gradu affinitatis lineæ tranſverſæ eſt interdictum matrimonium jure naturæ, quod probant authoritate *Matt. 14.* & *Marci 26.* ubi Joannes Baptiſta graviter increpuit Herodem, quod uxorem fratris ſui duxiſſet; & ambiguum eſt, an Philippus frater Herodis tunc viveret, ut dicit *D. Auguſt. de fide, & operib. cap. 19.* & mortuum eſſe tenet *D. Chryſoſtomus Homil. 41. in Matth.*

Attamen dicimus cum *Cajetano tom. 3. opuſcul. tract. 13. de conjugio cum relicta fratris ad Regem Angliæ, & tract. 14. de eod. conjug. ad Clementem VIII. Guttier. de matrim. cap. 99. n. 10. Victor. Covarr. Ledeſ. Bellarm. & aliis*, nullum gradum affinitatis in linea tranſverſa adeò prohibitum eſſe jure naturæ, ut eo attento irritet matrimonium, licet præſeferat aliquam naturalem indecentiam, niſi aliqua juſta cauſa cohoneſtetur.

Probatur primò, quia *Innocentius III. in cap. fin. de Divort.* diſpenſavit cum infidelibus recenter ad fidem converſis, ut permanerent in matrimoniis initis cum relictis fratrum. Et Alexander VII. diſpenſavit in eodem gradum cum Rege Luſitaniæ. Julius II. cum Enrico VIII. & Catharina Regibus Angliç, & poſtea Clemens VII. conſultis totius orbis Illuſtribus Univerſitatibus, & maturiſſimo conſilio habito, decrevit authoritate Pontificia, fuiſſe legitimam diſpenſationẽ, quod decretum refert ad verbũ *Caſtro lib. 1. de lege pœn. cap. 12.* & multi viri doctiſſimi varios tractatus ędiderunt in favorem matrimonii dicti Enrici cum Catharina. Enricus enim irritum eſſe jure naturæ contendebat, nec potuiſse Pontificem diſpenſare, ex eo quia prius dicta Catharina nupſiſset Principi Arthuro fratri ipſius Enrici, *Pignatell. tom. 4. conſult. 14. num. 4.*

Secundò, quia Jacob vir ſanctiſſimus duxit duas ſorores Liã, & Ra-

& Rachelem, *Geneſ. 29.* & Judas *Geneſ. 38.* dedit eidem mulieri duos fratres in viros, & *Deuteron. 27.* erat lex, ut frater duceret uxorem fratris ſine liberis defuncti. Iſtis rationibus utitur etiã *Covarr. de ſponſalib. par. 2. cap. 6. §. 10. n. 6.* dum probat non omnes gradus Levitici obligare jure naturali.

Tertiò, quia majus eſt vinculum conſanguinitatis in ſecundo gradu lineæ tranſverſæ, quàm affinitatis vinculũ in primo gradu ejuſdem lineæ, quia illi ab intrinſeco per ejuſdem ſanguinis participationem conjuncti ſunt, & iſti quaſi ab extrinſeco. Sed inter illos matrimonium eſt irritum ſolo jure Eccleſiaſtico, & nõ jure naturæ, ut patet ex *cap. gaudemus de divort.* ergo etiam inter iſtos.

Ex his patet reſponſio ad exẽplum Herodis, nam vivente fratre Philippo uxorem illius contra omne jus duxit, ut teſtatur *D. Thom.* & alii in illum locum *Matt.* Vel quia Herodes ut filius Judæi, erat adſtrictus lege Moyſis, quæ tale matrimonium vetabat, quæ lex tunc nondum ſublata erat, quia lex vetus in morte Chriſti ceſſavit, qui nondum mortuus erat, quando Joannes nuptias Herodis reprehendebat, *Sanch. lib. 7. de matrim. diſp. 66. num. 12. Bonac. de impedim. affin. quæſt. 3. punct. 12. num. 7.* Lex autem Levitici in gradibus affinitatis nunc non obligat, ut ſupra diximus in *cap. 1. §. 1. diſp. 1. quæſito 3.*

QUÆRES III.

Uſque ad quem gradum affinitatis extendatur prohibitio copulæ conjugalis jure Eccleſiaſtico?

Affinitatis impedimentum olim attento jure cõmuni protendebatur uſque ad ſeptimũ gradum, *Can. nullum. Can. æqualiter. 35. quæſt. 3.* Deindè juſtis ex cauſis fuit reſtrictum tale impedimentum uſque ad quartum gradum, ſicut etiam impedimentum conſanguinitatis ad quartũ gradum fuit reſtrictum, *cap. non debet, de conſang. & affinit.* ubi quia *Text.* abſolutè loquitur de affinitate non diſtinguendo de affinitate ex copula licita, vel illicita, ideò omnes *DD.* conſuetudine ſic explicante, aſſerunt, quod quartus gradus intelligitur prohibitus tàm in affinitate ex copula licita, quàm illicita, *Sanch. 7. de matrim. diſp. 67. n. 3. Guttier. de matrim. cap. 99. n. 11.*

Verùm decreto Sacroſancti Cõcilii *Tridentini ſeſſ. 24. de matrim.* fuit reſtrictum affinitatis impedimen-

mentum ex fornicaria copula ad ſecundum gradum tantùm, relicta prohibitione uſque ad quartum in affinitate ex copula licita, quia de fornicaria, & non de licita expreſsè loquitur in *cap. 4.* Et licet verba *Tridentini loc.cit.* videantur innuere, quod in tertio, vel quarto gradu affinitatis ex fornicaria copula impediatur, licet non dirimatur matrimoniũ, dum inquit: *Impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractum inducitur, & matrimonium poſtea factum dirimit, ad eos tantùm, qui in primo, & ſecundo gradu conjunguntur, reſtringit; in ulterioribus verò gradibus ſtatuit, hujuſmodi affinitatẽ matrimonium poſtea contractum non dirimere.* Ex quibus verbis aliqui *DD.* ſuſtinuerunt in tertio, vel quarto gradu affinitatis illicitæ, validè, ſed illicitè contrahi matrimonium ſine diſpenſatione.

Tamen Pius V. Anno 1566. motu proprio declarando prædictum Concilii decretum, omnẽ abſtulit dubitandi rationem, dũ nec dirimere, nec impedire declaravit, ac per conſequens validè, & licitè quilibet poteſt matrimonium contrahere in tertio, vel quarto gradu affinitatis ex copula fornicaria verba declarationis ſunt: *Declaramus, & auctoritate Apoſtolica decernimus nullum hodie impedimentum remanere, quominus in ulterioribus gradibus hujuſmodi liberè, & licitè matrimoniũ contrahi poſsit.* Quod decretum, & declaratio intelligitur de affinitate ex quacunque copula illicita proveniente, ſivè ex ſola fornicatione, ſivè ex adulterio, &c. *Barboſ. ad Trident. ſeſſ.24.de reform.cap.4.n.9. Sanch. loc.cit. nu.6.* ſi verò copula eſſet habita in figura matrimonii, licet matrimonium eſſet invalidũ, oritur tamen affinitas in tertio, vel quarto gradu, ut declaravit S. Congreg. Concil. in Brixienſi 3.Decembr.1667. quæ *Concilium in d. cap. 4.* ita interpetrata eſt *Pignatell. tom.4. conſult.15. nu.1.* Tunc autem dicitur copula habita in figura matrimonii quando quis in facie Eccleſiæ contraxit matrimonium cum aliqua, & ſub bona fide conſumavit, ſed deindè ratione alicujus impedimenti tale matrimonium irritum declaratur.

Ex hoc infertur copulam habitam cum conſanguineis alterius conjugis ultra primum, & ſecundum gradum, putà in tertio, vel quarto, non impedire hodie debiti exactionẽ à propria uxore, & ita abſque diſpenſatione poſſunt exigere, & reddere debitum, *Guttier. de matrim.cap.*

99.

99.num.16. & *lib.1. Canon. quæſt. cap.23.num.21.*

Eſſet hìc agendum de numeratione graduum affinitatis, ſed de hoc erit ſermo in tertia Parte hujus tractatus.

QUÆRES IV.

An impedimentum affinitatis ſit perpetuum?

AFfirma. *Guttier. de matrim. cap. 99. n.4.* Undè etiam mortua uxore non poteſt vir accipere aliquam de conſanguinitate uxoris uſque ad quartum gradum, & è converſo, *Can. fraternitatis.35.quæſt.10.*

Nec obſtat *text. in l.cui eorum. 3. §. affinitates, non eas accipere debemus, quæ quondam fuerunt, ſed præſentes, ff. de poſtulando.* Quia quoad impediendum matrimonium durat affinitas etiam poſt mortem viri, vel uxoris, dicto *Can. fraternitatis. inſtit. de nupt. §. affinitatis.*

Verumtamen eſt, quod aliqui actus civiles fieri non valent, niſi affinitas ſit præſens; undè quoad effectum, ut prohibitus poſtulare poſſit pro ſuis conjunctis, & affinibus poſtulare, requiritur, quod affinitas ſit præſens. Sicut etiam quando ſtatutũ dicit, quod affines teneantur compromittere, intelligitur de affinitate præſenti, non præterita, & hoc ſecundũ leges, nõ verò ſecundùm Canones, quia de jure Canonico, tàm de affinitate præſenti, quàm præterita intelligi debet. Imò ut dicit *Proſdocim. de Comitib. in arbore affinit.n.15.* pro utroque foro intelligi poteſt de utraque affinitate, quia jus Canonicum ita declarat, & jus civile non reſiſtit, niſi in illo caſu, ubi criminoſus admittitur ad poſtulandum, *Oliver. Textor. de affinit.n.42.ex cit. l. cui eorum. §. affinitates.*

Videndus eſt etiam *Fontanella tom.1. deciſ.13. n. 1. & ſeqq.* ubi refert *DD.* aſſerentes, quod diſſoluta affinitate ceſſant recuſationes Judicis, & teſtium, idque ſecundùm aliquos, ſivè ſuperſint reliquiæ, puta filii, aut alii deſcendentes, ſivè non. Sed in Catalonia quando remanent reliquiæ, militat ſuſpicio, quia tunc remanet probabiliter eadem affectio, *Fontanell.loc.cit.num.8. & ſeqq.* ſed de hoc ſermo erit infra.

DISPUTATIO III.

De impedimento publicæ honeſtatis.

IMpedimentum publicæ honeſtatis quandam convenientiã habet cum affinitate; eſt tamen impedimentum minus perfectũ affinitate. Undè ſicut ex copula conſũmata oritur affinitas, ita ex ſponſalibus, vel ex matrimonio rato non conſummato oritur impedimentum publicæ honeſtatis inter cõſanguineos alterius ſpõſi, in certis tamen gradibus, ut infra dicetur. Ideò tale impedimentum breviter examinando.

QUÆRES I.

Quo jure publica honeſtas matrimonium dirimit?

LUtherus damnat impedimẽtum publicæ honeſtatis dicendo; *Æquè commentum eſt impedimentum illud publicæ honeſtatis, quo dirimuntur contracta. Quæ enim eſt cauſa, ut ſponſi præmortui nullus conſanguineus uſque ad quartum gradum poſſit ducere ſponſam? Non eſt hoc publicæ honeſtatis juſtitia, ſed inſcitia: Cur non in populo Iſrael optimis, ac Divinis legibus inſtituto, erat iſta publicæ honeſtatis juſtitia? Sed etiam præcepto Dei cogebatur proximus ducere uxorem proximi relictam. An oportet populum libertatis Chriſtianæ rigidioribus legibus onerare, quàm populum ſervitutis legalis?* Hæc Luther.

Nos tamen cum Catholicis dicimus tale impedimentum ſolo jure Eccleſiaſtico dirimere matrimonium, *Navarr. de conſang. & affinit. conſil. 4. num. 8.* nec commentum, vel imaginatum eſt tale impedimentum, ſed ex rationabili fundamento Sancta Chriſti Eccleſia illud inſtituit: in matrimonio enim non ſolùm quod licet, ſed etiam, quod honeſtum eſt inſpici debet: & quia experientia docuit graves rixas, & inimicitias oriri inter conſanguineos quando uni deſponſatã aliquis de conſanguinitate ſponſi tentat in uxorem ducere, ideò ad tollendas rixas, & inimicitias, fuit ab Eccleſia inductum tale impedimentum: quod quia nulli ex cognationibus attribui poterat, cum non cauſetur tale impedimentum, nec ex conſanguinitate, vel affinitate, nec ex cognatione legali, vel ſpirituali, ſed tantùm ex conſenſu præſtito à ſponſis, ideò propter defectum nominis fuit dictum JUSTITIA PU-

PUBLICÆ HONESTATIS, *Hyeron. Mangiar. in arborem affinit. nu. 118. & ſeqq. Joann. Brunell. de ſponſal. & matrim. concluſ. 10. nu. 6. Navarr. de conſang. & affin. conſil. 4. nu. 8. Sanch. lib. 7. diſp. 68. n. 1.* & patet ex *cap. juvenis*. ibi: *Tum propter honeſtatem Eccleſiæ: de ſponſ. & matrim.* Et ideò communiter impedimentum Juſtitiæ publicæ honeſtatis definitur: Eſt propinguitas ex ſponſalibus proveniens, robur trahens ab Eccleſiæ inſtitutione, propter honeſtatē ejus, *Guttie. de matr. c. 103. n. 2.*

Ex hoc infertur infideles validè tempore infidelitatis contrahere matrimonium cum conſanguineis prioris ſponſæ, quia legibus Eccleſiæ, à qua hoc impedimentum proceſſit, non ſubſunt; & ideò poſt converſionem ad fidem non ſunt ſeparandi, *Sanch. loc. cit. nu. 2.* Similiter ſi infidelis tempore infidelitatis fecit ſponſalia cũ una, poteſt cum illius cōſanguinea ſuſcepto baptiſmate, matrimonium contrahere, quia ex ſponſalibus tempore infidelitatis initis non oritur vinculum honeſtatis, quod tantùm ex determinatione Eccleſiæ provenit.

QUÆRES II.

Inter quos oritur tale impedimentum publicæ honeſtatis?

Certum eſt hoc impedimentū oriri inter ſponſum, & conſanguineas ſponſæ, & è converſo, *cap. litteras. de deſponſat. impub. cap. juvenis. cap. veniens cap. ad audientiam. de ſponſalib. cap. un. de ſponſal. & matrim. in 6.* ubi *Joann. de Imol. & Joann. Monach.* abſque ullo fundamento tenent oriri tale impedimentum etiam cũ affinibus alterius ſponſi. Nam conjuges non arcentur à matrimonii cōtractione cum affinibus alterius conjugis; ergo nec ſponſi arceri debent à matrimonii contractione cum affinibus alterius ſponſi; cujus ratio eſt quia jura de hac materia loquentia, ſolùm conſanguineos ſponſi, & ſponſæ exprimunt, non verò affines; ergo inter ſponſum, & affines ſponſæ non datur impedimentum publicæ honeſtatis. *Joann. Brunell. de ſponſal. & matrim. concluſ. 10.*

Dubium tamen eſſe poteſt: An tale impedimentum oriatur cum conſanguineis illegitimis alterius ſponſi. Et licet videatur dicendum, quod cum ſolis conſanguineis ex legitimo matrimonio natis tale impedimentum ſubſiſtat, tum quia tale impedimentum ex ſolo humano jure vim habet; tum etiam quia jure humano attento, illegitimi non ſunt nuncupandi filii, immò ſunt legibus odioſi, *Aut. ex complexu. C. de inceſt. nupt.* ergo non cenſentur comprehenſi à lege ſub

nomine conſanguineorum, ſicut non cōprehenduntur in ſucceſſionibus, tutelis, & aliis actibus civilibus, ut infra dicetur.

Veritas tamen eſt, quod tale impedimentum etiam cum conſanguineis illegitimis alterius ſponſi oritur; quia in contrahendis matrimoniis jus naturale, & pudor inſpicitur; ſed iſti ſecundū naturam verè ſunt conſanguinei; ergo eadem naturali honeſtate, qua abſtinetur quis à legitimis conſanguineis ſponſæ, debet abſtinere ab illegitimis. Sicut enim conſanguinitas, affinitas, ac cognatio ſpiritualis æquè contrahitur cum conſanguineis legitimis, ac illegitimis, ita juſtitia publicæ honeſtatis: licèt dicti illegitimi, quoad aliquos juris civilis effectus, conſanguinei non reputentur, *Covarr. par. 2. de ſponſ. cap. 6. §. 2. n. 1.*

QUÆRES III.

Ex quibus ſponſalibus oritur hoc impedimentum?

JUre antiquo ex quibuſcunque ſponſalibus certis, ſcilicet cum determinata perſona initis, oriebatur tale impedimentum, dummodò fuiſſent ſponſalia abſoluta, ſcilicet abſque conditione ſuſpēdente, qu. illa conditione pendente non oriebatur affinitas. Inſuper requirebatur nè ſponſalia fuiſſent irrita ex defectu conſenſus, ut ſi contracta eſſent ab infante, vel furioſo, qui conſenſus capaces non ſunt, quia tunc tale impedimentum non oriebatur: ſi verò ex quacunque alia cauſa irrita erant, oriebatur tale impedimentum, *cap. unic. de ſponſal. in 6.* Undè oriebatur tale impedimentum, etiam ſi ſponſalia irrita erant, vel ratione impotentiæ, vel ratione ordinis, voti, vel alterius impedimenti; quia ſufficiebat ad tale impedimentum ponendum, exiſtentia conſenſus naturalis, *dicto cap. un.* qui conſenſus naturalis poni valet à frigido, conſanguineo, affine, in Sacris conſtituto, Religioſo, vel alio impedimento detento, *Sanchez lib. 7. de matrim. diſp. 58. n. 5. & ſeqq. Covarr. par. 2. de ſponſal. cap. 6. §. 2. num. 2. & ſeqq. Joan. Brunel. de ſponſal. & matrimon. concluſ. 10.*

Hodiè per decretum *Tridentini ſeſſ. 24. de matrim. cap. 3.* id correctum reperitur, & tantùm ex ſponſalibus validis oritur tale impedimentum. Verba Tridentini ſunt: *Juſtitiæ publicæ honeſtatis impedimentum, ubi ſponſalia quacunque ratione valida non erunt, Sancta Synodus prorſus tollit:* Quod decretum non ſolùm in-

intelligitur de ſponſalibus contractis poſt dictum decretum,ſed etiam de ſponſalibus antè dictũ decretum initis, ut declaravit Pius V. anno 1566. die 20. menſis Auguſti. Ex hoc enim plura inferuntur.

Primò infertur, quod impedimentum publicæ honeſtatis oritur ex omnibus ſpõſalibus quacunque ratione irritis, quandiù ſponſalia publica ſunt, & nullitas occulta, *Navarr. Coninck.* & alii relati à *Barb. ad Trident. ſeſſ.24. cap.3. n.4.* quia omnia ſponſalia, quæ ab Eccleſia judicantur vera, & talia præſumuntur, inducunt verum impedimentum publicæ honeſtatis in utroq; foro: & ideò quando ſponſalia ſunt nulla ex defectu occulto, puta ex voto caſtitatis, vel Religionis, vel non nubendi interno, inducunt impedimentum publicæ honeſtatis: niſi dicta ſpõſalia eſſent omninò clandeſtina, ut probari nequant; quia tunc ceſſat ratio honeſtatis, & ſcandali: vel niſi illud impedimentum occultum per quod ſpõſalia publicè contracta irrita erant, deindè probetur veris, vel falſis teſtibus: quia ſponſalia illa verè erant irrita coram Deo, ſed inducebant publicam honeſtatẽ ex præſumptione Eccleſiæ, qua præſumptione ceſſante, debet etiam ceſſare impedimentum, *Sanch. loc. cit. n.15. & ſeqq.*

Hinc ſi Petrus poſt copulam habitam cum Berta ſponſalia cõtrahat cum illius filia, ſi dictum impedimentum detegitur, ſponſalia nulla dicuntur, & ideò poteſt Petrus matrimonium cum dicta Berta contrahere, quia ex ſponſalibus nullis, non oritur impedimentum publicæ honeſtatis. Eadem ratione poterit dicta filia matrimonium contrahere cum fratre germano dicti Petri. Si verò Petrus cognovit Bertam poſtquam ſponſalia contraxit cũ illius filia, tunc non poteſt Bertã in matrimonium accipere, quia cum dicta ſponſalia ſint valida, oritur ex illis impedimentum publicę honeſtatis, *Pignatell. to 7. cõſul 78. n.5.* Similitèr nec poterit cũ filia cõtrahere ratione affinitatis ortæ ex copula illa illicita.

Quando impedimentum dirimens eſt tale, ut in ea ætate, in qua contrahuntur ſponſalia explorari nequeat per experientiã, tunc tale impedimentum non reddit ſponſalia irrita, ſed erunt vera, & legitima; & ideò ex illis oritur impedimentũ publicæ honeſtatis; ut eſt caſus, ſi puer revera frigidus, vel maleficiatus in tenera ętate ſponſalia contrahat, quia impedimentum illud adhuc nõ erat in actu impediendi, ideò non poterat irrita reddere ſponſalia;

ſalia; in illa enim ætate puer frigidus, & non frigidus quantùm ad generationis actum æquè impotens eſt, *Sanch. loc.cit.num.* 12. *Guttier.de matrim.cap.*103.*n.*2.

Secundò infertur, quod quando ſponſalia ſunt valida de jure, quia ſcilicet nullum adeſt legitimum impedimentum, ſed tantùm ſunt irrita, quia deficit internus conſenſus, non oritur impedimentum publicæ honeſtatis, ſecũdùm opinion. *Navarr. Ledeſm. Bonac. Hurtad.* quos citat, & ſequitur *Barb.ad d. cap.*3.*Trident. n.*6. contra *Enriq. Sanchez*, *Pontium*, & alios exiſtimantes oriri in hoc caſu, quando defectus cõſenſus non conſtat exterius.

Hanc ſecundam opinionem ego amplector, quia quando oretenùs ſunt facta ſponſalia, Eccleſia ſupponit conſenſum internũ; ergo quouſque Eccleſiæ non conſtat de conſenſus defectu, ſemper firma, & valida judicat dicta ſpõſalia; ergo ex illis oritur tale impedimentum. Sufficit enim ad exiſtentiam dicti impedimẽti Eccleſiaſtici, quod ſponſalia in foro externo ſint valida, licet in interno ſint nulla: ſicut quando quis eſt obligatus tantùm civiliter, in foro externo ſupponitur obligatus etiã naturaliter, ut eſt quãdo debitor inſtrumentarius facta ſolutione nõ ſe cautũ reddidit ſcriptura; vel quando quis in inſtrumento confeſſus eſt ſe recepiſſe pecuniam, quàm de facto non recepit, tunc tantùm civiliter eſt obligatus; ſed quia lex ſupponit exiſtentiam naturalis obligationis, cum ſine naturali civilis obligatio exiſtere non poſſit, ideò condemnatur à Judice; licèt in cõſcientia ſolvere non teneatur, quia quouſque Judici non conſtat de carentia naturalis obligationis, habetur ut naturaliter, & civiliter obligatus. *Verd. lib.* 3. *inſtit.civil.n.*200. Ita etiam in caſu noſtro dicendum.

Nec obſtant verba *Tridentini ſeſſ.*24.*cap.*3. dum dicit, quod tale impedimentum non oritur, quando *ſponſalia quacunque ratione valida non erunt*, quia particula illa: *Quacunque ratione*: licet ſit univerſalis, & poſsit cõplectere univerſas rationes, ob quas ſponſalia poſſunt eſſe irrita, tamen intelligitur quando quacunque ratione ſunt irrita, & nulla *externè*, itaut nullitas ſponſaliorum cognoſcatur ab Eccleſia, ſecùs verò ſi tantum *internè* ſint nulla, ut probatum eſt.

Tertiò infertur, quod ex ſponſalibus contractis cum minore ante ſeptennium non oritur impedimentum publicæ honeſtatis, niſi compleatur ſeptennium, & ideò infra tale tempus poteſt cũ matre iſtius puellæ matrimoniũ con-

contrahere, *cap. literas.4. cap.acceſſit.5. de deſponſat.impuber.* Oritur tamen impedimentum publicæ honeſtatis ſi poſtquam contraxit ſponſalia cum puella ſeptenni, vel minori, illam extraordinaria libidine carnaliter polluit, *cap. fraternitatis.7. de eo qui cognov. conſang. uxor. ſuæ, cap. juvenis.3. de ſponſal.*

Quartò infertur, quod quando parentes contrahunt ſponſalia pro pueris puberibus, vel impuberibus pręſentibus, & tacētibus vel abſentibus, ſed expreſsè, aut tacitè ratificātibus ſpōſalia, quando de illis notitiā habent, oritur hoc impedimentū publicæ honeſtatis, quia dicta ſponſalia in tali caſu valida ſunt, ut eſt deciſio *tex. in cap. unic.* §. *fin. de deſponſat. impuber. in 6.* ibi: *Porrò ex ſponſalibus, quæ parentes pro filiis puberibus, vel impuberibus plerunque contrahunt, ipſi filii ſi expreſsè conſenſerint, vel tacitè, ut ſi præſentes fuerint, nec contradixerint, obligantur, & ex eis oritur juſtitia publicæ honeſtatis. Et eſt idem ſi filii tempore ſponſaliorum abſentes, & etiam ignorantes eadem ſponſalia poſt ſcientes ratificaverunt tacitè, vel expreſsè: alias ex ſponſalibus contractis à parentibus pro filiis, nec ipſi filii obligantur, nec publicæ honeſtatis juſtitia indè ſurgit,* facit etiam *tex. in cap.1. de deſponſat. impuber. Sanch. lib.1. de ſponſal. diſput.23. & lib.7. diſp.68. n.18.* quod hodie non immutatū per *Tridentinum* dicit *Sanch. d. diſp.23. n.13.* Addit tamen *Sanch. in cit. diſput.68. n.18.* quod quando parentes pro filiis præſentibus, & tacentibus, ac doli capacibus ſponſalia ineunt, oritur tale impedimentum, licèt dicti pueri interius diſſentiant, quia licet non ſint vera ſponſalia in foro conſcientiæ, ſunt tamen talia in foro Eccleſiæ, quia Eccleſia reputat illud ſilentium ſufficiens indicium interni conſenſus, videas *Dianam par. 3. tract.4. de Sacram. reſol.271.*

Quintò infertur à *Guttier.* & aliis, quos citat, & ſequitur *Barboſ. ad Trident. ſeſſ.24. cap.3. n.5.* quod ex ſponſalibus validis, mutuo tamen conſenſu diſſolutis, nō oritur hoc impedimentum publicæ honeſtatis, quia, ut refert *Farinac. par.4. declarat. Concil. Trident. ſuper decreto de reform. matrim. cap. 3. ubi Bellarm.* Sacra Congregatio cenſuit, quod ſi ſponſalia ſolvantur de communi conſenſu, ſint invalida. Sed ex ſponſalibus quacunque ratione invalidis non oritur impedimentum publicæ honeſtatis, ut dicit *Tridentinum,* ergo, &c. Idem tenet *Diana p.3. tract.4. de Sacram. reſol.222.* ubi dicit, quod in ſuam ſen-

ſententiam attraxit multos viros doctos ex Dominicanorum Familia, & ex Societate Jesu.

Oppoſitum tenet *Sanch. lib.7. de matrim.diſp.68.n.21. Bonac.de impedim. publica honeſtat.quæſt.3. punct.11.n.7.Pignatell.tom.7.conſult.78.n.4.* quam ſententiã ego amplector. Ratio eſt, quia licet quando mutuo conſenſu diſſolvuntur ſponſalia nõ habeant amplius vim obligandi, tamen non dicuntur nulla, ſed diſſoluta: Tridentinum autem in *cit. cap.3.* dicit, quod impedimentum publicæ honeſtatis non oritur *quando ſponſalia quacunque ratione valida non ſunt*, non autem dicit, quod non oritur *ex ſponſalibus diſſolutis*: aliud enim eſt ſponſalia eſſe nulla, & invalida; aliud eſt ſponſalia diſſolvi, & irritari; ut colligitur, ex *tit. ff. de injuſto, rupto, & irrito teſtam.* Si autem ita non diceretur, ſequeretur, quod nunquam tale impedimentum locum haberet, quia ſponſalia ex pluribus capitibus diſſolvi valent, puta per ingreſſum Religionis, per lapſum temporis, quãdo aliquis ex ſponſis incurrit lepram, paralyſim, &c. Undè *Bonacin.l.c.* dicit quod cõtraria opinio non videtur ad praxim revocanda poſt novam Cardinalium declarationẽ nec aliud dicit. *Fagnan.* tamen, quem his jam ſcriptis vidi in *cap. ad audientiam n.29. de ſponſal.* refert Decretum S.Cong. latum die 6. Julii 1658. jubente Alexand. VII. quo fuit determinatum, Remanere impedimentum publicæ honeſtatis etiam poſtquam ſponſalia fuerunt mutuo conſenſu diſſoluta, quia à principio ſponſalia valida fuerunt; quod Decretũ die 10. ejuſdem menſis fuit à Sanctitate ſua confirmatũ, & juſſit, ut deinceps id in dubium nõ revocaretur. Idẽ dicit *Julius Capone controv. foren. 26.num.30.*

Sextò infertur, quod ex ſponſalibus per verba *Promitto te ducere in uxorem ſi factis denunciationibus non apparebit aliquod impedimentum*, non oritur impedimentum publicę honeſtatis, *Barboſ. ad Trident.ſeſſ.24. cap.3. de reformat.matrim.n.11.* idq; ex declarat.Sacræ Congreg.*Guttierez de matrim.cap.103.n.10.*

Septimò infertur, quod, tàm de jure antiquo, quàm de jure novo Tridentini, ex ſponſalibus conditionatis antè adventũ conditionis non oritur tale impedimentum ob defectum conſenſus; qui ſuſpenditur uſque ad illius eventum, & ideò valet matrimonium celebratum cum ſorore ejus ſponſæ conditione non dum extante, *cap.un. de ſponſalib. in.6. Barboſ.loc.cit.num.8. Guttier.de*

ma-

matrim. cap. 103. num. 19. Cujus occaſione.

QUÆRES IV.

An factis ſponſalibus conditionatis cum Berta, pendente conditione poſſint fieri ſponſalia pura cum illius ſorore?

NUlla difficultas eſt, quod per poſteriora ſponſalia inita cum quacunque perſona conſanguinea prioris ſponſi, vel ſponſæ non oritur impedimentum publicæ honeſtatis dirimens priora ſponſalia pura; quia poſteriora ſponſalia ſunt prorſus nulla, ratione publicæ honeſtatis ex prioribus ſponſalibus puris inductæ; & ſic nova honeſtas cōſurgere non valet, *cap. unic. de ſponſal. in 6.* idque multo fortiùs ſtante *Decreto Tridentini*. Undè qui fecit ſponſalia de futuro cum certa perſona, ſi deindè matrimonium de præſenti contrahat cum illius ſorore, quod tamen non conſumavit, tenetur fidem datam priori mulieri ſervare, & cum illa matrimonium contrahere; quia poſterius matrimoniū eſt irritum ratione publicæ honeſtatis, quæ ex prioribus ſponſalibus fuit inducta, & ideò ex tali matrimonio conſurgere non poteſt impedimentum publicæ honeſtatis dirimens priora ſponſalia valida, ſed tantùm conſurgit impedimentum cum aliis cōſanguineis ſecundę mulieris uſq; ad quartum gradum; quia *Tridentinum* tantùm dicit, quod ex *ſponſalibus* nullis non oritur impedimentum, non verò ex *matrimonio* nullo. Si verò matrimoniū cum ſecunda conſummaſſet, tunc cum neutra poteſt validè contrahere matrimonium. Non cum prima ratione affinitatis cōſurgens ex copula habita cum illius ſorore. Non cum ſecunda, propter impedimentum publicæ honeſtatis ex ſponſalibus validis, cum ejus ſorore contractis: ſicut ſi quis poſtquam habuit copulam cum Berta, ſine promiſſione matrimonii, contraheret cum ſorore Bertæ, cum neutra matrimonium valeret: non cum ſecunda ratione affinitatis ex fornicaria copula cum Berta: non cum prima, ratione publicæ honeſtatis, quæ virtute *Tridentini* etiam oritur ex matrimonio irrito, quādo non præcedunt ſponſalia cum priori, quia ſi præcederent, non oriretur.

Hinc ſi aliquis factis ſponſalibus cum Berta, non ipſe, ſed ejus frater deindè matrimonium cum dicta Berta contraheret, ſi matrimoniū non eſt conſummatum,

primus frater tenetur illam ducere; quia ex matrimonio facto à fratre non conſurgit impedimentum dirimens priora ſponſalia. Si verò matrimonium eſt cōſummatū, tunc cum nullo poteſt Berta contrahere, & ratione affinitatis, & ratione publicæ honeſtatis, quæ reſpectivè conſurgunt ex ſponſalibus, & ex fornicatione, ut dictum eſt; facit *text. in cap. duo pueri. de deſponſat. impub.* videas *Sanchez lib. 7. de matrim. diſp. 68. n. 23. & ſeqq.*

Solùm igitur controverſia manet, quando prima ſponſalia ſunt conditionata, an pendente conditione poſſit ſponſus cum ſorore ſponſæ validè contrahere ſponſalia pura, cum jam ſupra dictum ſit; quod poſſit validè matrimonium contrahere?

Quia ex ſponſalibus conditionatis nulla oritur publica honeſtas antè conditionis eventum, ut dicit *text. in cap. un. de ſponſal. in 6.* videtur dicendum, quod ſicut poteſt conditione pendente matrimonium contrahere cum ſorore Bertæ, ita etiam poteſt ſponſalia pura cum illa inire; ratione quorum liberatur à prioribus ſponſalibus conditionatis, nec poteſt amplius cum Berta contrahere, quia ex poſterioribus ſponſalibus puris habetur impedimentum publicæ honeſtatis, quod non habetur ex primis ſponſalibus conditionatis; ita tenent *gl. in d. cap. unic. verb. præſenti*, *Summa Tabien. verb. Impedimentum, impedim. 11. nu. unic.* facit *Neviz. conſ. 38. n. 24.* Et licet in *d. cap. unic.* dicatur, quod per poſteriora ſponſalia non derogatur prioribus, tamen hoc intelligitur de prioribus ſponſalibus veris; conditionalia autem pendente conditione vera ſponſalia non ſunt, quia deficit conſenſus.

Attamen *Sanchez lib. 7. de matrim. diſp. 69. num. 3.* quem citat, & ſequitur *Guttier. de matrimon. cap. 103. nu. 20. Bonac. de impedim. public. honeſt. quæſt. 3. punct. 11. n. 5.* & alii probabiliter tenent, quod licet attento jure *Textus in cap. unic. de ſponſalib. in 6.* vera ſint ſuperius dicta; tamen attenta diſpoſitione *Sacri Concilii Tridentini ſeſſ. 24. de matrim. cap 3.* videtur dicendum, quod ex poſterioribus ſponſalibus puris non oritur impedimentum publicæ honeſtatis, quia ſunt contra priorem promiſſionem, licèt conditionalem, adeoque ſunt irrita; nam promiſſio contra Juſtitiam eſt irrita, tanquam promiſſio de peccato admittendo: ex irritis autem ſponſalibus nō oritur impedimentum publicæ honeſtatis ex *Tridentini* determinatione, & ideò poteſt cum Berta matrimonium

nium contrahere, non obſtantibus ſponſalibus puris initis cum illius ſorore.

Confirmatur, quia qui ſub cõditione futura honeſta fidem dedit, tenetur expectare ejus eventum; nam licet pendente tali conditione ſponſalia ſint ſuſpenſa, nec adhuc perfecta nata ſit obligatio, tamen non poteſt alter antequã conditio deficiat à ſpõſione recedere, tum quia nemo poteſt mutare conſilium ſuum in alterius injuriam, *l. nemo poteſt. 76. ff de regul. jur.* Tum etiam quia hoc eſt proprium cõtractus conditionalis, ut antequam verificetur conditio, neutri liceat à contractu recedere altero invito, *l. qui balneum. 9. l. potior. 11. ff qui potiores in pignor. Guttier. loc. cit. num. 21. Surd. vol. 1. conſ. 38. n. 9. conſ. 114. n. 28. & vol. 2. conſ. 268. nu. 50. Bonac. de contractib. diſp. 3. quæſt. 1. puncto 4. num. 13.*

Quod ſi eis objicias, quia ex ſponſalibus conditionatis antè conditionis eventum nulla oritur publica honeſtas, ideò valet matrimonium initum cum ſorore illius ſponſæ conditione nondum extante; ergo ob eandem rationem valida erunt ſponſalia pura inita cum illius ſorore conditione nondum extante.

Reſpondent; diſparitatem eſſe, quia dum celebratur matrimonium purè, nullum exiſtit impedimentum, & ideò matrimonium irrevocabiliter contrahitur, nec tenetur expectare verificationem priorum ſponſalium conditionalium, quamvis peccavit, qui matrimonium celebravit non expectato adventu conditionis licitæ, & honeſtæ priorũ ſponſalium, quia non ſervavit fidem, & promiſsionem factam. Cęterum quando non expectata conditione priorum ſponſalium, contrahuntur ſponſalia pura cum ſorore illius, iſta ſecunda ſponſalia ſunt irrita ratione præcedentium, quia ſunt contra Juſtitiam, & quia continent promiſſionem de peccato admittendo, & ideò, virtute *Decreti Concilii Tridentini*, ex iſtis ſecundis ſponſalibus non oritur impedimentũ dirimens; adeoq; poteſt hic ſpõſus ad priorem redire, adveniente conditione priorum ſponſalium, ita *Guttier. loc. cit. verſ. nec obſtat. Sancb. d. diſput. 69. n. 3.* qui *num. 4. & ſeqq.* intelligit id verũ eſſe, quando conditio priorum ſponſalium eſſet de futuro contingens, poſsibilis, & honeſta, quia ſi eſſet de præſenti, vel præterito, ſtatim ex dictis ſponſalibus oriretur impedimentum publicæ honeſtatis ſi conditio verè exiſteret: ſicut etiam quando cõditio expreſſa tacitè ineſt, ut du-

cam te ſi vixero, vel ſi tu conſenſeris, tunc ſtatim oritur impedimentum publicæ honeſtatis. Similiter quando conditio de futuro, eſt neceſſaria, quia ejus eventus eſt certus, non ſuſpendit conſenſum, & ideò ſtatim oritur impedimentum publicæ honeſtatis. Et tandem quando conditio eſt impoſsibilis, aut turpis, & nõ eſt contra ſubſtantiam matrimonii, ſtatim ex dictis ſponſalibus conditionatis oritur impedimentum publicæ honeſtatis, quia talis conditio habetur pro nõ adjecta, & ideò ſponſalia manent omninò abſoluta: niſi manifeſtè conſtet, quod joco ſint adjectæ tales conditiones impoſsibiles, & turpes.

Si ulterius dicas, quod jure civili inſpecto licitum eſt uni cõtrahentium renunciare ſponſalibus puris, *l. 1. Cod. de ſponſalib. & arrhis*; ergo à fortiori licitum eſt renunciare ſponſalibus conditionatis, quia ante exiſtentiam conditionis nullus eſt conſenſus, *cap. unic. in fin. de ſponſalib. in 6.*

Reſponderi poteſt ex *Marco Bruno, conſ. 7. n. 36.* quem ſequitur, *Surd. conſ. 364. n. 10.* quod id verum eſt jure civili inſpecto, nõ tamen jure Canonico. Undè ſivè ſponſalia ſint jurata, ſivè non, ſervanda ſunt, quia Deus non facit differentiam inter juramẽtum, & ſimplicem promiſsionem.

Controverſia iſta, etſi communiter ita reſolvatur; attamen non ſine magna difficultate tranſit. Non enim videtur verum, quod ſtante promiſsione conditionata de matrimonio contrahendo cum Berta, non poſsint pendente conditione validè ſpõſalia pura iniri cum illius ſorore; ſiquidem licèt iſta ſecunda ſponſalia licita non ſint, quia contra primam promiſsionem conditionatã, cujus eventus expectandus erat; & ideò quia pactum, & promiſsionem non ſervat, peccat qui contrahit, *cap. Antigonus. de pactis, ubi Fagnan.* attamen non poſſunt dicta ſponſalia dici nulla: ſicut pendènte conditione, & ſi illicitè facit qui de præſenti matrimonium contrahit cum ſorore Bertæ, non tamen eſt nullum matrimonium, ut patet ex *cap. unic. de ſponſalib. in 6.* multa enim illicitè fiunt, quę tamen facta tenent, idque patet in Sacramentis, quæ multoties illicitè miniſtrantur, vel recipiũtur, & tamen valida ſunt.

In præſenti igitur difficultate, ut certum habendum eſt, quod ſecunda illa ſponſalia ſunt valida, quando prima ſponſa non conqueritur, quia tunc videntur mutuo conſenſu diſſoluta prima ſponſalia, vel melius, videtur remiſſa

miſſa ſpes priorum ſponſalium, quod à ſponſis fieri valet, *cap. præterea. & cap. ad audientiam. de ſponſalib. ubi Fagnan.* Tantùm igitur dubium eſt, quando prima ſponſa conqueritur, & petit, ut promiſsio ei facta ſervetur, an hoc non obſtante ſecunda ſponſalia ſint valida?

Videtur contra *Sanchez*, & cõmunem aliorum aſſerendũ, quod valida ſunt ſponſalia pura inita cum ſorore Bertæ pendente conditione, adeoque ſponſus tenetur ſecunda, non prima ſponſalia ſervare, etiam ſi conditio deindè verificetur.

Probatur primò: qui vera ſpõſalia de futuro cum Berta non fecit, poteſt vera ſponſalia de futuro cum illius ſorore facere; ſed qui conditionata ſponſalia de futuro cum Berta fecit, vera ſponſalia cum illa non fecit pendente conditione; ergo poteſt pendente conditione vera ſponſalia cum illius ſorore facere. Major patet ex *Concilio Tridentino ſeſſ. 24. cap. 3.* ex quo requiritur validitas ſponſaliũ, ut naſcatur impedimentum publicæ honeſtatis. Minor verò probatur; tũ primò, quia illa ſunt vera ſponſalia, quæ conſenſum contrahendi matrimonium continent, cum ſponſalia ſint futurarum nuptiarum promiſsio, *Can. noſtrates. 30. quæſt. 5. l. 1. ff. de ſponſalibus. Guttier. de matrim. cap. 1. num. 2.* ſed ſponſalia conditionata pendente conditione non continent conſenſum cõtrahendi matrimoniũ, ut patet ex *cap. unic. §. fin. de ſponſalib. in 6.* ibi: *Cum ex ſponſalibus conditionatis antè conditionem extantem, ſicut conſenſum non habentibus, & incertis, nulla publicæ honeſtatis juſtitia oritur*; ergo ſpõſalia conditionata pendente cõditione non ſunt vera ſponſalia. Tum ſecundò, quia illa ſunt vera ſponſalia, quæ ſunt ſponſalia certa; ſed ſponſalia conditionata pendente conditione non ſunt ſponſalia certa, ut patet ex *d. cap. unic. §. fin.* ergò, &c. Tum tertiò, quia ſi vera ſponſalia eſſent etiã pendente conditione, ſequeretur, quod ex illis etiàm oriretur publica honeſtas, quæ ex veris ſponſalibus oritur, adeoque nullum eſſet matrimonium poſtea contractum cum ſorore primæ pendente conditione, quod falſum eſſe patet ex *d. cap. unic.*

Nec valet dicere, quod ſunt vera ſponſalia, quia cõtinent cõſenſum contrahendi non abſolutè, ſed conditionatè; & ideò quouſque non fuerit verificata conditio, ſponſalia incerta dicuntur.

Non, inquam, valet, quia ſi abſolutè non continent volunta-

tem contrahendi, abſolutè ſponſalia non ſunt, ſed erunt poſtquã fuerit verificata conditio non revocata prima voluntate. Præterea *Textus in d.cap.unic.* abſolutè dicit, quod pendente conditione non adeſt conſenſus; ergo pendente conditione adeſt tantùm propoſitum faciendi ſponſalia; ergo non ſunt ſponſalia actu.

Probatur ſecundò, quia ſi ſecunda ſponſalia eſſent nulla quãdo adhuc pendet conditio priorum ſponſalium, peto, vel ſunt nulla ſtatim ac contrahuntur, vel ſunt nulla poſtquam fuit verificata conditio priorum ſponſaliũ. Primum dici non poteſt, quia illa prima ſponſalia conditionata, cum adhuc eſſe non habeant, ſed ſint incerta, nullum effectũ producere valent, quia non entis nullæ ſunt paſſiones. Immò poſſet evenire, quod conditio non purificetur, & ita ex ſententia contrariorum ſequeretur, quod nec prima, nec ſecunda ſponſalia obligarent; ergo ſola ſpes ſponſalium non poteſt impedire quin alia pura contrahantur validè; quicquid ſit an licitè.

Secundum nec etiam dici poteſt: alias ſequeretur, quod dicta ſecunda ſponſalia pura deberent manere ſuſpenſa quouſque non verificatur conditio, & hoc ab adverſariis non admittitur, quia abſolutè nulla dicuntur; vel ſequeretur, quod dicta ſecunda ſponſalia eſſent valida pendente conditione, ſed tantùm annullarentur quando conditio purificatur, quod impoſſibile eſt; quia jam ſponſalia illa pura habent eſſe antequam verificetur conditio priorum ſponſalium; ergo nõ poſſunt annullari poſtquam conditio eſt purificata, *arg. text. in cap. ſi pro te. 13. de reſcript. in 6.*

Nec valet dicere, quod verificata conditione retrotrahitur obligatio ad tempus, quo fuerũt inita dicta ſponſalia conditionata, ſicut eſt in reliquis contractibus conditionatis, *Bart. in lege lecta. num. 26 ff ſi certum petatur, & in l. qui balneum. & in l. potior. ff. qui potiores in pign.* & ſic ſponſalia conditionata faciunt, quod ſecunda ſponſalia pura nulliter ſint contracta à principio.

Non, inquam, valet, quia ſi hoc eſſet verũ, ſequeretur, quod matrimonio contracto pendente conditione priorum ſponſalium eſſet diſſolvendum, quia verificata conditione, ſponſalia illa producunt impedimentum publicæ honeſtatis, quod ratione retrotractionis præcederet matrimonium contractum, & ſic eſſet dirimendum tale matrimonium; ſicut, licèt, affinitas ſubſequens matrimonium illud non di-

dirimat, ſed tantùm impediat petitionem, vel redditionem debiti, præcedens tamen affinitas dirimit matrimonium contractum: quod ſi in affinitate poſſet dari iſta retrotractio, etiam diſſolveretur matrimoniũ antecedenter contractum; ſiquidem per retrotractionem cauſæ, habetur etiam retrotractio effectus, ut patet in matrimonio contracto cum concubina, quod ratione retrotractionis facit, ut filii antecedenter in concubinatu nati, ſint legitimi, & naturales, *cap. tanta. qui filii ſint legitimi*; & in primogenitura prǽferuntur filiis qui deindè in cõſtãtia matrimonii naſcũtur ex eadẽ muliere, ſecus tamen eſſet ſi poſtquã ex concubina filiũ naturalem habuit, aliam duxit in uxorem, ex qua filium legitimũ, & naturalem ſuſcepit, qua deindè mortua, concubinam accepit in uxorem ſuam, filius ille naturalis legitimatur per ſubſequens matrimonium, ſed non excludit à majoratu illum, qui erat jam natus ex legitimo matrimonio, quia legitimatio non retrotrahitur in prejudicium illius, cui jam fuit jus primogeniturę quæſitum in ſpe, ut tenent *DD.* quos refert *Petrus Advenas regula 350.n.14.* licèt aliqui etiam de hoc dubitent.

Nec ex hoc vires ſumant adverſarii dicendo, quod ſicut retrotractio legitimationis non tollit jus primogenituræ in ſpe acquiſitum illi, qui ex legitimo matrimonio erat natus; ita per retrotractionem publicæ honeſtatis non tollitur jus formatum, quod per matrimonium fuit jam acquiſitum, ergo matrimonium non diſſolvitur, quamvis retrotrahatur obligatio ſponſaliorũ.

Non inquã vires ſumant: quia retrotractio illa legitimationis non poteſt facere, quod filius ille ſit natus ex primo matrimonio, ſed tantùm fictione juris facit, quod talis filius habeatur, ut legitimus, & naturalis ex ſecundo matrimonio contracto cum ejus matre, & *Primogenitus* dicitur reſpectu illorum filiorum, qui ex ſecundo matrimonio naſcuntur, & ideò non poteſt tollere jus primogenituræ acquiſitum jam genito ex primo matrimonio; non enim retrotrahitur matrimonium, ſed virtus matrimonii: quod ſi matrimonium retroraheretur ad tempus nativitatis illius, utique ipſe eſſet dicendus primogenitus (loquendo de primogenitura ſecundùm leges Civiles, & Canonicas, non verò ſecundùm legem naturæ, quia ſecundùm legem naturæ jam eſt primogenitus) & tunc hoc ſecũdum matrimonium contractum

cum ejus matre eſſet dicendum primum matrimonii, quod manifeſtam implicantiam, & contradictionem involuit. Cæterum quando verificata conditione retrotrahitur obligatio, & firmitas ſponſaliorum ad tempus, quo fuit facta promiſſio, neceſſariò dicendum, quod dicta ſponſalia, ut valida, & firma ratione retrotractionis præcedunt matrimonium jam contractum; ergo debet illud diſſolvere ratione publicæ honeſtatis, quæ ex ſponſalibus cauſatur, arguit *text. in l. qui balneum. & l. potior. ff. qui potiores in pignore*. Quod ſi hoc adverſarii non admittunt, tenentur etiam dicere, quod nec etiam tolluntur ſecunda ſponſalia pura, ut probavi.

Præterea, id quod ab adverſariis dicitur, verum eſt in contractu conditionali, non tamen in pura promiſſione conditionali. Ratio diverſitatis eſt, quia pendente conditione, actu eſt contractus conditionalis; ergo actu eſt obligatio, ſuſpenſa tamen quoad effectum uſque dum conditio purificetur, *l. cedere diem. 213. ff. de verb. ſignificat.* & ideò in *l. ss cui 41. ff. de action. & oblig.* dicitur: *Quamvis eum, qui ſtipulatus eſt ſub conditione, placet etiã pendente conditione creditorem eſſe. l. creditore ſolo. l. conditionales. 54. ff. de verb. ſignificat.* & tradit *Ludovicus Charonda in Scholiis ad tit. ff. de verbor. obligat. ad cap. 41.* ibi: *Dies autem adjectus efficit ne præſenti die pecunia debeatur, cum effectu ſcilicet, ut peti poſſit. Nam ſtatim quidẽ debetur, ſed peti prius, quàm dies venerit, non poteſt. Dies enim pro reo eſt, non pro ſtipulatore: non ut nondum debitor ſit, ſed ut medium tempus liberum ad ſolvendum habeat, nec antè compelli poſſit.* Cum igitur à principio eſt contractus, neceſſariò eſt dicendum, quod obligatio etiam exiſtat; quia non poteſt dari contractus ſine obligatione, tamen executio obligationis, quæ ſuſpenſa erat ratione conditionis, retrotrahitur, verificata cõditione, ad tempus initi contractus, quod etiã conſideratũ videtur à *Bart. in l. lecta. num. 26 & 27. ff. ſi certũ pet.* & tradit *Paulus de Liaza.* quẽ citat *Hierony. Mangiaria in arborem conſanguinitatis nu. 171.* Cæterum cõditio appoſita in pacto, ſeù in promiſſione facit, quod nõ oriatur obligatio antè exiſtentiã conditionis, ſed tunc tantùm oritur obligatio adimplendi promiſſum, quando conditio eſt verificata, adeoque in iſto caſu retrotractio non datur, ut notat *Joan. de Lig. in cap. ſi pro te de reſcript. in 6.* & hoc neceſſariò eſt dicẽdum, alias ſequeretur, quod

eſſet diſſolvendum matrimoniũ contractum cum ſorore Bertæ.

Probatur tertiò, quia probabilis eſt ſententia, quod ſponſalia cõtracta à conſanguineis ſub hac conditione, *ſi Pontifex diſpẽſaverit*, poſſunt diſſolvi conſenſu unius, non ſolùm ante, ſed etiam poſt diſpenſationem impetratã, niſi poſt impetrationem fuerit ratificatus conſenſus præſtitus, *Guttier. lib.* 1. *canonic. qu. cap.* 22. *num.* 17. *&* 18. ergo à fortiori poterit recedere ab aliis ſponſalibus cõditionatis, quando adhuc conditio purificata non eſt.

Nec valet dicere, cum *Guttierez loco cit.* diſparitatẽ eſſe, quia in primo caſu ſponſalia firmitatem non habent, cum contineant conſenſum præſtitum à perſonis inhabilibus, & ideò poteſt unus etiam altero invito à dictis ſponſalibus reſilire. Cęterum alia ſponſalia conditionata non continent conſenſũ præſtitum à perſonis inhabilibus, ut ſupponimus, & ideò firmitatem habere debent, & exitus conditionis eſt expectandus.

Non, inquam, valet: quia in primo caſu conſenſus ille eſt pręſtitus non abſolutè, ſed pro eo tempore, quo ſupponitur Pontificis diſpenſatio; ſed pro eo tempore, quo ſupponitur Pontificis diſpenſatio, illi non poſſunt dici amplius inhabiles, ſicut hæredis inſtitutio facta pro tempore, quo capere poterit, non dicitur inſtitutio facta de perſona inhabili, *l. in tempus.* 62. *ff. de hæredib. inſtituend.* ergo, &c. Undè *Sanch. lib.* 5. *de matrim. diſp.* 5. *n.* 12. tenet, quod dicta ſponſalia ſunt firma, & valida.

Probatur quartò, quia ex ſpõſalibus conditionatis, pendente conditione, nulla obligatio eſt nata, nullum jus eſt parti acquiſitum, *cap. unic. de ſponſalib. in* 6. immò poteſt eſſe, quod non naſcatur obligatio, quia poteſt non verificari conditio; ergo ab illis recedere pendente conditione non videtur contra juſtitiam; obligatio enim ex juſtitia non oritur ex pura promiſſione etiam reciproca, niſi promittentes voluerint ſe taliter obligare, *Felin. in cap.* 1. *nu.* 11. *de pactis.* Tantùm igitur dicta ſponſalia pariunt obligationem ex fidelitate, & veracitate, in quantum mendax, & fallax eſt, qui promiſſionem non ſervat, *Felin. in cap. præterea nu.* 15. §. 2. *pro prædicta. de ſponſalibus, Diana part.* 2. *tract.* 17. *reſol.* 9. Ratio eſt, quia omnis promiſſio, & ſimplex pactio fides appellari poteſt, in quantum eſt ad inſtar fidei Religionis: nam ſicut in Religione credimus, quod nõ videmus, ita in promiſſione cre-

do te factūrum, licet non videā, *Felin.loco cit.num.15 §.nec obſtat.* & ideò veniens contra promiſſionem,& ſponſalia dicitur,largo modo, venire contra fidem præſtitam, *cap.præterea.2.* ibi:*Fidem dederunt*; & ibi: *Præſtitam fidem obſervent*: *cap.ſicut ex litteris.22. & cap. 31. de ſponſalib.* Itaque ſponſalia jure Divino non habēt in ſe aliud vinculum, quàm aliæ ſimplices promiſſiones in rebus profanis; & ſicut iſtæ ſolo conſenſu tolluntur, ita & illæ: Si tamen promiſſiones eſſent juratæ, tunc quia recedens à dictis promiſſionibus offendit vinculum juramenti, ideò ut abſtineat à quadam ſpecie mali, modis omnibus inducitur, ut contrahat: quod ſi contrahere noluerit, ab Eccleſia toleratur, & approbatur talis ſeparatio, *Felin. in dicto cap.præterea. nu.16.* Undè Judex debet compellere per cenſuras, moderata compulſione, & non præciſa, quando pars pertinax eſt: imò quando prudenter judicatur fruſtraneam eſſe excommunicationem, ab illa eſt abſtinendum, *Dian. part.3. tract.4. reſol.206.*

Addo, quod magna eſt quæſtio inter *DD.* an ex promiſſione jurata oriatur actio, an verò poſſit tantùm implorari officium Judicis, ut cogatur quis ad juramenti obſervationem, quia ex pacto nudo non oritur actio, *leg. juris gentium. §.igitur nuda. ff.de pactis.* Juramētum autem additū pacto, ſolùm addit prædictæ ſimplici aſſertioni vinculum Religionis, nec includit conſenſum, per quem jurans velit alteri obligari,videas *Felin.in cap. 1. n. 4.§.circa ſecundū, de pact. Marc. Aquilin. in rubr. de verb. obligat. num.249.& ſeqq.*

Confirmatur: nam contractus differt à promiſsione in hoc,quia contractus eſt conuentio pluriū in idem, obligans ex juſtitia cōmutativa:promiſsio verò obligat ex fidelitate, urbanitate, *DD.* apud *Leſſium lib.2. cap 18. dub.8. nu.57.* meus Illuſtriſsimus Præceptor *Verde lib.3. inſtitut. civil. num.207.211.& ſeqq. Felin.in d. cap. 1. nu. 11.* ubi dicit, quod obligatio pendet ex voluntate promittentium; nam aliquando promittentes intendunt ſe obligare ex neceſsitate, & tunc tenentur ſervare promiſſum ſub gravi; aliquando verò tantùm intendunt ſe obligare ex congruitate, & honeſtate, quia ſi crederent ſe obligari ex neceſsitate, utiq; non promitterent. Ita de facto eſt in ſponſalibus, nam promittentes non ſemper intendunt ſe obligare ſub gravi, alias non ita de facili venirent contra ſpon-

ſponſalia, ut paſsim obſervatur. Undè *Ludovicus Charonda in ſcholiis ad tit. ff. de verbor. oblig. ad cap. 5. verſic. Et ipſæ ob verborum obligationem fiunt*, dicit: *Et certè ex ipſa ſtipulatione verborum obligatio naſcitur. Idq; ſi appareat id actum eſſe inter contrahentes, ut fiat obligatio*. Vel dato, quod intenderent ſe obligare, ſub gravi, tamen non ſemper intendunt ſe obligare ex juſtitia; & ideò dico, quod qui ſponſalia fecit, tenetur adimplere promiſsum ſub gravi, ſi tamen nollet implere, non eſt cogendus eo modo quò in aliis contractibus cogitur, *cap. requiſivit. de ſponſal.*

Addo, quod *Diana p. 2. tract. 17. reſol. 9.* tenet, quod frangere fidem in promiſsis non opponitur juſtitiæ, ſed fidelitati; & ideò hanc fidem frangere, non eſt, niſi mendacium: quod cum non ſit perniciosum, non poteſt eſse mortale, ſed tantùm veniale.

Confirmatur ulteriùs, quia ſponſa lia verè contractus non ſunt, ſed tantùm ſunt promiſsio futuri matrimonii: ſicut mutua promiſsio de emendo, & vendēdo, quod vulgo *Pactum* dicitur, non eſt contractus emptionis, & venditionis, & ideò in *l. ſi unus. 28. § pactus ne peteret. ff. de pactis, habetur: Nec ex pacto injuriarum actio naſcitur, ſed ex contumelia*: ergo ſponſalia non continent obligationem ex juſtitia, ſed tantùm ex fidelitate, major autem eſt obligatio ex juſtitia, quàm ex fidelitate, ut clarè patet ex *cap. ſi inter virum. 31. de ſponſalib.* ubi habetur, quod quando per verba de præſenti contrahitur, ſivè interveniat juramentum, ſivè non, alteri ad alia vota tranſire non licet: Immò ſi ſecundum matrimonium contraxit, & carnali copula conſummavit, ſunt ſeparandi, quia primum matrimonium in ſua firmitate manet: ſi verò inter ipſos acceſsit, tantummodò promiſsio de futuro, ſi alter cum altera per verba de præſenti poſtmodum contraxerit, non debent ſeparari, etiam ſi prima promiſsio fuerit jurata; ſed de fide mentita, & violata eſt pœnitentia injungenda. Clarius patet ex *cap. 1. de ſponſa duorum*, ibi: *Duobus modis dicitur fides pactionis, & conſenſus. Si aliquis alicui mulieri fidem fecerit pactionis, non debet aliam ducere: ſi aliam duxerit, pœnitentiam debet agere de fide mentita: maneat tamen cum illa, quam duxit, non enim reſcindi debet tantum Sacramentum. Si autem fecerit fidem conſenſus, non licet ei aliam ducere, ſi autem duxerit dimittet ipſam, & adhærebit priori. Eſt autem fides pactionis, quando aliquis pro-*

mittit alicui fidem, quod eam ducet; & infra: *Fides autem conſenſus, eſt quando non ſtringit manū, corde tamen, & ore conſentit ducere, & mutuò ſe concedunt unus alii, & mutuò ſe ſuſcipiunt*. Ex quibus verbis clariſsimè patet, quod ſponſalia non habent rationem contractus. Non nego tamen, quod poſsent habere rationem contractus ſtipulationum, ut antiquitus in ea parte Italiæ, quæ *Latium* appellatur, obſervabatur; nam qui uxorem ducturus erat, ab eo, undè ducenda erat, ſtipulabatur eam in matrimoniū ductum iri, qui daturus erat, itidem ſpondebat daturum. is contractus ſtipulationū, ſponſionūq; dicebatur Sponſalia. Tum quæ promiſſa erat, Sponſa appellabatur; qui ſpoponderat ducturum, Sponſus. *Aulus Gell. Noct. Attic. lib. 4. cap. 4.* ex Servio Sulpicio. At hodie licet ſponſalia aliqua ſtipulatione contrahantur, tamen verborum obligatio tunc naſcitur, quando inter contrahentes actum eſt, ut fiat obligatio, ut ſupra, ex *Ludovico Charonda*, diximus. Nec hodie in ſponſalibus neceſſaria eſt ſtipulatio, cum inter abſentes contrahantur ſponſalia, *l. 4. & fin. ff. de ſponſal.*

Probatur quintò, quia licet civiles leges dicant, quod nō poſsit unus altero invito à contractu recedere, etiam ſi contractus ſit conditionatus, tamen aliter dictæ leges diſponunt de ſponſalibus: nam poteſt unus, etiam altero invito ſponſalibus, etiam puris renunciare, *l. 1. C. de ſponſalib. & arrhiſ. Surd. conſ. 364. num. 10.* quod tamen intelligo, quando ſponſalia non eſſent jurata; ergo multò magis poteſt renunciare ſponſalibus conditionatis. Cujus ratio eſt, quia dicta ſponſalia verè non ſunt contractus, ſed ſunt pactum nudum de contrahendo, *cap. pen. §. verum, ſi inter ipſos acceſsit tantummodò promiſſio de futuro, utroque dicente alteri, ego te recipiam in meam, & ego te in meum, &c. de ſponſalib.* hæc pacta nuda actionem non pariūt; & licèt peccet qui pactum nudū non ſervat, tamen magis peccat, & juri naturali adverſatur, qui ab invito vult extorquere promiſsum, *Marc. Aquil. in rubr. de verb. obligat. num. 87. 110. 131. & ſeqq.* Undè jure Canonico nec etiam ex pacto nudo oritur actio neceſsitans ad executionem; & ideò in *cap. præterea. 2. de ſponſal.* dicitur, quod qui fidem ad invicē dederunt de matrimonio contrahendo, ſunt modis omnibus inducendi, ut contrahant, & præſtitam fidem obſervent, non tamen dicitur, quod ſunt compellendi cenſuris, quæ coactio tunc locum habet, quando ſponſalia ſunt jurata, quia tunc periculum

culoſum eſt contra juramentum venire, ideò Cenſuris Eccleſiaſticis compelluntur ſervare juramentum, *cap. ex litteris.* 10. *de ſponſalib.* Immò hoc revocatur in *cap. requiſivit.* 17. *de ſponſalib.* ubi dicitur, quod mulier, quæ juravit cum aliquo contrahere, monenda eſt potius, & non cogenda cenſuris, quia matrimonia debent eſſe libera, & coactiones difficiles ſoleant exitus habere, ut etiam advertit *Piaſec. in prax. part. 2. cap. 4. num. 19.*

Probatur ſextò, quia promiſſum uni ſub condit tione, poteſt, conditione pendente, alteri purè promitti, & ſuum ſortiri effectũ, non expectata conditione, *Text. clarus in cap. ſi pro te.* 13. *de reſcript. in 6.* ergo promiſſus uni ſub conditione, poteſt, conditione pendente, alteri purè promitti, & ſuum ſortiri effectum non expectata conditione; ſed inter effectus ſponſalium eſt publica honeſtas, ergo dicta ſponſalia pura pariunt publicam honeſtatem, ratione cujus non poteſt ſponſus prima ſponſalia cõditionata ſervare, etiã verificata conditione.

Probatur tandem, quia quando quis pendente conditione priorum ſponſalium facit ſponſalia pura cum ſorore illius, non tenetur etiam verificata conditione primam ducere ratione ſponſalium; ergo tenetur ratione ſponſalium ducere illius ſororẽ. Conſequentia ſequitur, quia ſecũda ſponſalia nonniſi à primis tolli, & impediri poſſunt, *cap. ſicut ex litteris.* 22. *de ſponſalib.* ergo ſi non tenetur ducere primam ratione ſponſalium, etiam verificata conditione, dicendum, quod tenetur ducere illius ſororem, quia dicta ſecunda ſponſalia valida erunt. Probatur antecedens ex *Sanchez lib. 5. de matrim. diſp. 8. num. 18. & 19.* ubi dicit, ſi quis cum duobus fecit ſponſalia de futuro, ſivè ſimul, ſivè ſucceſſivè impleatur conditio ſecundi contractus ſponſalium, non remanet validus primus contractus ſponſalium, nec ex illo oritur publicę honeſtatis juſtitia, quia fuit mutata illa prima voluntas. Subdit tamen, quod in caſu, quo prius impletur conditio ſecundi, tenetur expectare eventum conditionis primi contractus, & ea eveniente tenetur ad illum: ſimilitèr quando ſimul utraque conditio evenit, tenetur etiam primum contractum ſervare non ratione ſponſalium, quia fuit mutata prima voluntas, ſed ratione promiſſionis, cui non potuit derogare per ſecundam promiſſionem. Hęc ille; ergo, &c.

Facit igitur *Sanchez* diſtinctionem inter ſponſalia, & promiſſio-

ſionem, dum dicit: quod tenetur ſervare primum contractum non ratione ſponſalium, ſed ratione promiſſionis. Neſcio tamen, quã differentiam inter illa ponere valeat, cum ſponſalia ſint *Promiſsio futuri matrimonii*. Immò ſi iſte ratione primæ promiſſionis remanet obligatus, ſicut etiam mulier obligata manet; dicendũ, quod eſt obligatus ratione ſponſalium, & non ratione promiſſionis, etiam ſecundùm ipſum, quia in *libro primo de ſponſalibus diſput.5.num.7.& 8.* dicit, quod ſpõſalia differunt à ſimplici promiſſione, in quantùm ſponſalia important mutuam promiſſionẽ, ſimplex verò promiſſio poteſt eſſe ex parte unius, altero immuni ab obligatione manente.

Non tamen omittendũ, quod *Sanchez* videtur confundere terminos, nam promiſſio ſignificat pactum, pollicitationem, ſtipulationem, & quamlibet aliã conventionem, *l.ſciendũ.§.1.& ſeqq.ff.de Edilit.edict.l.3.ff.de pollicitat.* Pactum dicitur conventio duorum in idem placitum, non tamen ex Juſtitia obligat, quia obligatio ex Juſtitia, ex cõtractu conſurgit, & pactum contrahendi non eſt contractus, ſicut pactum emendi, & vendendi non eſt contractus emptionis, & venditionis, & in hoc ſenſu ſimplex promiſſio etiam pactum dicitur. Pollicitatio eſt ſolius offerentis promiſſio, *l.pactum.ff.de pollicitat. Marcus Aquil.in rub.de verb. obligat.num.5.& ſeqq.* Stipulatio importat promiſſionem mutuam cum animo ſe obligandi ex Juſtitia, ut ſupra dictum eſt; nam unus emere, & vendere, locare, & cõducere non poteſt, niſi alius quoque in idem conſentiat, & ideò in ſtipulationibus utriuſq; conſenſus actum inducit; in pollicitatione verò, licet ultra conſenſum promittentis, & offerentis, interveniat conſenſus alterius acceptantis, tamen iſte ſecundus conſenſus non inducit actum, ſed inductum acceptat, quia iſte conſenſus intervenit nõ in offerendo, ſed in acceptando promiſſum, *Marc.Aquil.loc.cit.*

Sponſalia autem habent rationẽ pacti, quia important mutuam promiſſionem, & acceptationem reſpectu traditionis futuræ, *Felin. in rubr. de ſponſalib. num.1.verſ. Item adverte*; & clarius in *cap.præterea.nu.12. verſ. quinto nota. eodem titulo*, dicit: *Quod à ſponſalibus de futuro, etiã fidei interpoſitione vallatis, poſſunt ſponſi ſe ad invicem abſolvere, quia per conſenſum de futuro vir, & mulier promittunt ſe aſſumere in matrimonium, & contractus matrimonii eſt adimpletio illius*

lius promiſsionis; vinculum autem per promiſsionem, non eſt promiſſionis impletio, quia illud vinculũ eſt obligatio ad implendum promiſſum, obligatio autem ad aliquid implendum, non eſt ipſa adimpletio; & *num.* 15. *verſ. & pro intellectu prædictorum* dicit: Quod in ſponſalibus aliquando intervenit ſimplex promiſſio, aliquãdo fidei interpoſitio, & aliquando juramentum; ergo non videtur verum, quod tenetur primũ contractum ſervare non ratione ſponſalium, ſed ratione promiſſionis, nam genus ſine aliqua ſpecie eſſe non poteſt; promiſſio autem genus eſt.

Dum autem adverſarii dicunt, quod pendente conditione non poteſt quis à contractu recedere, ac per conſequens nec etiam à pacto conditionato, ut ſupra fuit ſecundùm ipſos probatum:

Dicimus verum eſſe, non poſſe quem recedere à promiſſione conditionata pendente adhuc conditione; attamen, non eadem firmitate obligatur quando conditio eſt appoſita in pacto aliquid faciendi, vel dandi, ac quãdo conditio eſt appoſita in contractu, etiam verificata conditione. Ratio diverſitatis eſt, quia quando conditio apponitur in contractu ſupponitur contractus firmus, & validus, & obligatio ſupponitur jam nata, quia non poteſt intelligi contractus ſine obligatione; verùm talis obligatio non parit ſuum effectum, niſi verificata conditione, ut ſupra dictum eſt. Et de tali contractu conditionato verificatur, quod purificata conditione retrotrahitur obligatio ad tempus initi contractus, ſcilicet retrotrahitur effectus obligationis. Sit exemplum: Si quis fecit venditionem fundi ad certum pretium pacto adjecto, quod defalcari debeat pretium pro rata, ſi facta menſuratione prædium inveniatur eſſe minoris menſuræ, & è converſo teneatur augere pretium, ſi inveniatur majoris eſſe menſuræ; talis contractus dicitur conditionatus; ſed quia præceſſit certa conventio pretii, pactum illud ſubſequens non reddit promiſſionẽ incertã; nam licèt augmẽtum, vel diminutio pretii ſit incertum, & conditionale ante menſurationem prędii; tamen venditio ante menſurationem perfecta dicitur, ex eo quia pretium principale eſt perfectum, & liquidum, & augmentum, vel diminutio pretii non reddit contractum incertum, & conditionalem, *Surd. vol.* 1. *conſil.* 38. *n.* 5.

Ceterum conditio, quæ apponitur pacto, facit, quod non naſcatur obligatio, niſi perſiſtat

co-

conſenſus, dum verificatur conditio, ex quo tempore quis pactum ſervare tenetur, undè antequam verificetur conditio, pacto non tenetur, quia eſt pactum incertum, & deficit conſenſus *cap. unic. de ſponſal. in 6.* & ideò poteſt, conditione illa pendente, revocare conſenſum; ſicut ſponſalia contracta infra ſeptennium non tenent, niſi poſt ſeptennium novus accedat conſenſus, *cap. acceſsit. 5. de deſponſat. impub.* Et hoc modo intelliguntur leges, quæ in oppoſitum ab adverſariis adducuntur.

Hæc diſputando dixi, in omnibus tamen me judicio prudentũ remitto, dum mea voluntas non eſt à communi opinione recedere, ſed tantùm veritatem diſputando inquirere. Nam licet communis opinio in judicando, & conſulendo ſit ſequenda, tamen, ut dicit *Gregor. Rhamnuſ. in tract. de affinit. num. 29.* id fallit, quando communis opinio poteſt rationabiliter convinci; item quãdo Textus eſt clarus cõtra eam, ut citatus Doctor optime probat.

Ex dictis infertur, quod quando conditio appoſita in ſponſalibus eſt neceſſaria, quia ſcilicet illius eventus eſt certus, ſponſalia non ſuſpendit, & ideò ſtatim oritur impedimentum publicæ honeſtatis. Similitèr ſi conditio ſit impoſſibilis, aut turpis, & non ſit contra ſubſtantiam matrimonii, ſtatim oritur impedimentum publicæ honeſtatis, quia talis conditio habetur pro non adjecta, & ſponſalia remanent pura, & valida. Et tandem quando cõditio expreſſa, tacitè ineſt, quia ſponſalia non ſuſpendit, ſtatim ex illis oritur impedimentum, puta, ducam te, ſi vixero, vel ſi tu conſenſeris: *Sanch. lib. 7. de matrim. diſp. 69. num. 5. & ſeqq.* Idem eſt ſi dicatur, contraham tecum ſi non fueris mea conſanguinea, vel affinis; quia talis cõditio tacitè ineſt, *Sanchez lib. 5. diſp. 1. num. 12.*

Si verò dicatur; contraham tecum ſi Deus voluerit; tunc ſi intelligitur de voluntate beneplaciti, qua Deus omnia, quæ fiunt, aut vult, aut permittit, eſt conditio, quæ tacitè ineſt, & non ſuſpendit ſponſalia; quod ſi intendat de ſpeciali voluntate Divina approbante, in quantum ſcilicet de tali contractu Deus diſplicentiam non habet, ſed eſt ſecundùm ejus beneplacitum, tunc talis conditio ſuſpendit cõtractum, donec conſtiterit placere Deo, quia multa fiunt contra Dei beneplacitum, & ita talis conditio non neceſſario ineſt, ita diſtinguit *Sanch. loc. cit. n. 10.*

n.10. Quando autem dicitur: cõtraham tecum ſi Eccleſię placuerit, tunc eſt conſenſus conditionatus, & ſuſpenditur conſenſus exiſtente impedimento, donec ſequatur approbatio Eccleſiæ, videas *Sanchez loco cit. num. 11. & ſeqq.*

QUÆRES V.

Ex matrimonio rato non conſummato, naſcatur ne impedimentum publicæ honeſtatis, an verò impedimentum affinitatis.

UT certum tenendum, quod ex matrimonio rato non conſummato affinitas non habetur; ſiquidem ad affinitatem cauſandam requiritur, quod vir, & mulier efficiantur una caro: *Can. de propinquis. Can. nullũ in utroque ſexu. 35. quæſt. 2. & 3. Can. fraternitatis. & Can. ſi cujus. 35. qu. 10.* Sed unitas carnis habetur per carnalem commixtionem, ut in juribus allegatis, *Gratian. in Can. decreta legalia. §. cum ergo*, ibi: *Quod nunquam per commixtionẽ carnis conjuncti una caro effecti fuiſſent. 27. qu. 2.* ergo ceſſante tali copula carnali, ceſſat etiam affinitas propriè dicta.

Reſultat ergo ex matrimonio rato non conſũmato, impedimentum publicæ honeſtatis, ut communiter reſolvunt *DD.* Et licèt non reperiatur *Textus* expreſsè id diſponens, tamen quia hoc impedimentũ ex ſponſalibus de futuro conſurgit, ut dictum eſt ſupra, à fortiori ex matrimonio rato non conſummato conſurgere debet, eo quod fortius vinculum eſt, & majorem conjunctionem importat, videas *Sanch. lib. 7. de matrim. diſp. 70. n. 1. Guttier. de matrimonio, cap. 103. nu. 22. & cap. 99. num. 7.*

Nec in contrarium facit, *Barboſa ad Trident. ſeſſ. 24. cap. 4. de reform. num.* 8. ubi dicit: *Affinitatis impedimentum uſque ad quartum gradum oriri ex matrimonio rato non conſummato, ſicut in conſanguinitate ex dicto motu proprio Pii V. incipit ad Romanum*, *colligit Aldan. in compendio Canonic. deciſ. lib. 1. tit. 8. nu. 40. ubi refert, ſic fuiſſe deciſum ſub die 17. Auguſti 1617.* Hæc ille.

Non, inquam, aliquid facit, quia idem *Barboſa loco cit. cap. 3. num. 12. in fine*, dicit: *Ex matrimonio rato non conſummato minimè oriri affinitatem, ſed Juſtitiam publicæ honeſtatis dirimentem matrimonium, declaravit Pius V. in dicto motu proprio, incipit, ad Romanum, & refert Gaſpar Hurtado de matrim. diſp. 21. difficult. 2. in princip.* Hæc *Barb.*

Idem tenet *Bellarmin. ad dictum cap. 3. Trident.* referendo declarationes Cardinalium, ubi etiam *Farinac.* refert ita declaraſſe Sacram Congregationem die 17. Aprilis 1568. *Guttier. loc. cit. Bonac. de impedim. matrim. qu. 3. punct. 11. n. 18. Alex. Carrer. de ſponſalib. & matrim. lib. 2. cap. 13. & 14. Navar. de conſan. & affinit. conſil. 4. Pignatell. tom. 7. conſult. 78. num 6.* ubi dicit: *Quod autem ex ſponſalibus de præſenti non oriatur affinitas, ſed impedimentum Juſtitiæ publicæ honeſtatis, licèt fortius illo, quod oritur ex ſpōſalibus de futuro, conſultis Theologis, & Canoniſtis juſſu Xyſti V. in Congregatione iterum firmatum fuit.* Et dum idem *Pignatell. loco cit. num. 9.* dicit: *Juſtitiæ publicæ honeſtatis impedimentum intelligitur tantùm de ſponſalibus de futuro, ſecùs ſi matrimonium fuiſſet contractum per verba de præſenti, ut per Bullam Pii V. publicatam Anno 1568.* Nō intelligitur, quod ex matrimonio rato non cōſummato tale impedimentum non oritur, ſed tantùm, quod diſpoſitio *Tridentini ſeſſ. 24. cap. 3. de reform. matrimon.* intelligitur de ſponſalibus de futuro, & non de matrimonio rato, quia reſtrictio impedimenti publicæ honeſtatis ad primum gradum, de ſponſalibus de futuro tantùm intelligitur.

Ut autem *DD.* contrarietas, ſiquæ ſit, tollatur, advertas, quod ſicut publica honeſtas multoties pro affinitate ſumitur, ut in *cap. diſcretionem. 6.* ibi: *propter publicam honeſtatem: cap. tuæ fraternitatis. 10. ubi gl. de eo, qui cognovit conſanguineam uxoris ſuæ*; ita affinitas multoties pro publica honeſtate ſumitur, & in hoc ſenſu intelligitur, *Brogninus Cavalcanus, par. 2. deciſ. 12. num. 6. & 11.* dum dicit, quod affinitas in ſpōſalibus de futuro ultrà fratres nō contrahitur; intelligitur enim de publica honeſtate, quia deficiente copula carnali deficit affinitas, ut ſupra probatū eſt. Undè quælibet attinentia, & propinquitas. Affinitas dici poteſt, *Can. de affinitate cōſanguinitatis. 35. q. 2. & 3. Cavalcan. p. 2. dec. 20. n. 9.* & tradit *Gregorius Rhamnuſius in tract. de affinit. nu. 63.*

Et licèt in *l. adoptivus. 14. §. fin. ff. de ritu nuptiarum*, dicatur: *Item ejus matrem, quam ſponſam habui, non poſſe me uxorem ducere Auguſtus interpretatus eſt, fuiſſe enim eam Socrum meam*; tamen mater ſponſæ non propriè, ſed impropriè Socrus dicitur, *leg. ſi qua. 12. §. inter quæ, & ſponſam patris mei nuptiæ non poſſunt contrahi: quamquam Noverca mea non propriè dicatur. Sed & per cōtrarium ſponſam meam patri meo* nu-

nubere non poterit, quamvis nurus non propriè dicatur. ff. de ritu nuptiar. Non enim conjunctio voluntatum, quæ per ſponſalia habetur, eundem parit effectum, ac conjunctio carnalis, *Can. cum initiatur. Can. in omni matrimonio. & Can. quapropter. 27. qu. 2.* Ideo ex conjunctione carnali oritur affinitas propriè dicta, ex conjunctione verò voluntatum oritur impedimentum Juſtitiæ publicæ honeſtatis, ſicut de facto, ut diſtincti effectus ponuntur in *Trident. ſeſſ. 24. de reformat. matrim. cap. 3. & 4.* Niſi dicas cum *Bal. in l. affinitatis. C. communia de ſucceſsion.* quod duplex eſt affinitas. Prima initiata, quæ fit per ſponſalia, & à nobis *Publica honeſtas* dicitur. Secunda conſolidata, & confirmata, quæ fit per coitum, & hæc propriè *Affinitas* dicitur.

QUÆRES VI.

An ex matrimonio rato invalido naſcatur impedimentum publicæ honeſtatis?

CUm in præcedenti quæſito firmatum ſit, ex matrimonio rato non conſummato naſci impedimentum publicæ honeſtatis, quod indubitanter procedit, quando tale matrimonium validum eſt; ſolùm in dubium vertitur, an etiam tale impedimentum naſcatur, quando matrimonium eſt invalidum: & ratio dubitandi ex ſequentibus patebit.

Dicimus, quod etiam ex tali matrimonio, quacunque cauſa invalido, oritur tale impedimentum, dummodò non ſit irritum defectu conſenſus. Ratio eſt, quia licèt non reperiatur. *Text.* expreſsè definiens, quod ex matrimonio rato non conſummato naſcatur impedimentum publicæ honeſtatis, tamen quia reperitur expreſsè determinatum, quod ex ſponſalibus de futuro tale impedimentum oritur, *cap. ſponſam. cum concordant. de ſponſalib. cap. unic. de ſponſal. in 6.* ideò ex majoritate rationis communiter dicitur, quod ex matrimonio rato, etiam tale impedimentum naſcitur, ut in præcedenti quæſito diximus. Sed antiquitus ex ſponſalibus quacunque ratione invalidis (dummodò non ex defectu conſenſus) oriebatur tale impedimentum, *cap. unic. de ſponſal. in 6.* ergo etiam ex matrimonio rato nullo, dummodò non ratione conſenſus, tale impedimentum oriri dicendum eſt, ita *Sanch. de matrim. lib. 7. diſp. 70. n. 5. Bonac. de impedim. publicæ honeſt. quæſt. 3. punct. 11 propoſ. 2 num. 11. Pignatell.*

*tell. tom.*4. *conſ.*15. *num.*2. & pluries declaravit Sacra Congregatio, ut ibidem videre eſt.

Dices: Jure noviſſimo *Tridentini ſeſſ.*24. *de reform. matrim. cap.* 3. ex ſponſalibus quacunque ratione irritis, non oritur tale impedimentum publicæ honeſtatis contra antiquam diſpoſitionem *Text. in cap. unic. de ſponſal. in* 6. ergo etiam ex matrimonio rato quacunque ratione invalido, nō oritur jure noviſſimo tale impedimentū. Probatur conſequētia, quia nullo *Textu* expreſsè deciditur impedimentū publicæ honeſtatis naſci ex matrimonio rato, ſed tantùm id deducitur per quandam conſequentiam, quia ſcilicet id definitum fuit in ſponſalibus, ut in dicto *c. un.* ſed citatus *Textus* corrigitur à *Tridentino* in ſponſalibus quacūq; ratione irritis; ergo etiam corrigitur in matrimonio rato quacunque ratione irrito, nam acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis, *cap. acceſſorium. de regul. jur. in* 6.

Ratione hujus argumenti *Navarr. Covarr. & Ludov. Lopez*, quos citat *Sanchez loco cit.* & alii relati à *Bonac.* tenent, quod ex matrimonio rato invalido non oritur impedimentum publicæ honeſtatis.

Verùm indubitanter tenendum, quod talis *Text. in cap. un. de ſponſal. in* 6. licèt corrigatur à *Tridentino* in ſponſalibus de futuro, nō tamen corrigitur in matrimonio rato, ut clariſſimè patet ex motu proprio Pii V. incipit: *Ad Romanum ſpectat:* ædito anno 1568. cujus verba ſunt: *Sanè ad aures noſtras pervenit, multos eſſe, qui dubitent, an Decretum Oecumenici Concilii Tridentini ſeſſ.* 24. *de reformatione matrimonii, tertium, quo cavetur, impedimentum publicæ honeſtatis, ubi ſpōſalia valida non fuerint prorſus tolli: ubi verò valida fuerint, non excedere primum gradum, cum in ulterioribus gradibus non poſſit hujuſmodi prohibitio ſervari: De ſponſalibus per verba (ut ajunt) de futuro tantùm conceptis intelligatur, vel etiam matrimonia per verba de præſenti contracta, non tamen conſummata, quæ interdum ſponſalia appellantur comprehendat, itaut etiam eo caſu impedimentum indè proveniens, ſublatum fuerit. Nos itaque, ut omnis difficultas, & dubitatio tollatur, attendentes, quod ſponſaliorum appellatione, qua dictum Concilium utitur, non niſi impropriè matrimonium verbis de præſenti conceptis contractum, continetur, quodque agitur de correctione juris veteris, quo caſu ſecundum proprietatem verborum dumtaxat procedendum eſt, præſertim cum longe*

majorem rationem probibitionis in matrimonio, per verba de præſenti contracto, quàm in ſponſalibus de futuro vigere, à nemine dubitetur. Idcirco motu proprio, authoritate Apoſtolica tenore præſentium declaramus, & definimus, Decretum Concilii hujuſmodi omninò intelligendum eſſe, & procedere in ſponſalibus de futuro dumtaxat, non autẽ in matrimonio (ut præfertur) contracto, ſed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis caſibus, & gradibus; quibus de jure veteri antè prædictum Decretum Concilii introductum erat, & ita ab omnibus judicari debere mandamus, atque ſtatuimus, &c.

Ex quo motu proprio primò infertur, quod ex ſponſalibus per verba de præſenti contractis, ideſt ex matrimonio clãdeſtino, oritur impedimentum publicæ honeſtatis, licèt illa ſint nulla, quia fuit omiſſa forma *Concilii Tridentini ſeſſ. 24. cap.* 1. ideſt, quia fuit clãdeſtinè matrimoniũ contractũ ſine præſentia Parochi, & duplicis Teſtis, ut declaravit *Sacra Congreg. ſuper Decreto de reformatione matrimonii, cap. 3.* ubi *Bellarmin. & Barboſa nu. 11. Guttier. de matrim. cap. 103. nu. 9. Bonac. de matrim. qu. 3. punct. 11. n. 18. Pignatell. to. 7. conſul. 78. n. 9.*

Eſt contra *Sanchez lib. 7. de matrim. diſp. 70. num. 13.* ubi dicit, quod ex tali matrimonio clandeſtino non oritur impedimentum publicæ honeſtatis, quia nec vim ſponſalium habet; ſubdit tamen, quod ſi amplectatur ſententia probabilis, aſſerens matrimonium clandeſtinum valere hodie, ut ſponſalia, dummodò aliud impedimentum non interveniat, tunc oritur impedimentum uſque ad ſolum primum gradum tanquam ex ſponſalibus validis. Sed ei obſtat prædicta declaratio Sacræ Congregationis.

Secundò infertur, quod ſemper ac matrimonium non eſt nullum ratione conſenſus, ſed ex alio capite, tunc ex tali matrimonio nullo, oritur impedimentum publicæ honeſtatis: & ideò ſi Monacus, vel conſanguineus, vel affinis, vel frigidus, vel quocunque alio impedimento dirimenti ligatus, matrimonium per verba de præſenti contrahat, licèt tale matrimonium ſit irritũ, tamen inter ſuos cõſanguineos, & fœminam illam procedit impedimentum publicæ honeſtatis uſque ad quartum gradum, *Sanch. de matrim. lib. 7. diſp. 70. n. 7. Bonac. loco. cit. n. 19.*

Tertiò infertur, quod hoc impedimentum oritur, quando matrimonium eſt irritum ob ſolius interni conſenſus defectum,

puta,

puta, quando quis alteri fictè conſenſit (quicquid alii in oppoſitum dicant) nam Eccleſia validum judicat tale matrimonium quouſque clariſſimè non probetur carentia conſenſus interni, quæ probatio tunc concludens reputari poteſt, quando quis poſt quam deſponſationem fecit, ſtatim receſſit, & ſe proteſtavit de metu, *Barthol.Cepolla conſil.civil.2.n.18.ubi n.10.* dicit, quod non ſufficit probare metū in genere, ſed debet probari ſpecies, & qualitas metus, ſcilicet, quia imminebat ex eo vitæ periculum, vel corporis cruciatus,& etiam debet probari,quod fuit metus cadens in virum conſtantem, quia non omnis metus dirimit matrimonium, idem *Cepoll.conſil.4.num.3. & ſeqq.* & patet ex *cap. Conſultationi tuæ. 28. de ſponſal.* Undè ſi ſponte cum illo poſtquam contraxit, cohabitavit, conſenſiſſe videtur, *cap. ad id. 21. de ſponſal. ubi Gl. verb. per annum*, dicit

Effuge cum poteris, ne conſenſiſſe puteris;
Nam ſi perſtiteris, illius uxor eris.

Hinc ſi quis poſtquam contraxit matrimonium proteſtetur, quod metu contraxit, talis proteſtatio ei non prodeſt, ſi non receſſit quando potuit, *Cepoll.d.cōſ. 2.n.18.& conſ.4.n.6.*

Cum igitur ab Eccleſia validū habeatur matrimonium ex ſolo præſumpto conſenſu, *d.cap.ad id. 21.* à fortiori dicendum, quod validum erit judicandum, quando adſunt verba exprimentia conſenſum internum, quia præſumitur quis talem voluntatem habere, qualem verba declarāt, *cap.tuæ fraternitati.25. cap.ſi inter. 31. de ſponſal. Cepoll. conſ. 3. num.1.*

Licèt ergo de jure matrimonium ſit nullum, quando deficit cōſenſus internus, tamen quouſque Judici non conſtat de conſenſus defectu, ſemper pro validitate matrimonii præſumendū eſt, *Text.*expreſſus in *cap.tua nos. 26.de ſponſalib.ubi Gl.verb.mulierem*, dicit, quod ſi aliquis proteſtetur coram pluribus, quod omnia, quæ dicet,vel faciet,non facit animo contrahendi matrimonium, & poſtea publicè dicat: Conſentio in te: in tali caſu Eccleſia judicare debet pro matrimonio, nec proteſtatio illa juvat, quia potuit recedere ab illa voluntate,& conſentire in illam; & ſi dicat, quod tempore contractus erat in eadem prima voluntate, ei non creditur; quia ut dicit *Joannes Andreas*, ſi diceretur oppoſitum, daretur materia omnibus matrimonia contrahentibus ſic proteſtandi, ut po-

ſtea

ſtea diverterent à conjugibus, ſi diſplicerent.

• Non oritur tale impedimentum, primò ex matrimonio rato amentium, quia eſt invalidum defectu debiti conſenſus, *cap. dilectus filius. 24. de ſponſal. Bonac. loco cit. num. 12.* Idem dicendum de matrimonio impuberum, *cap. tuæ fraternitati. 25. de ſponſal. cap. litteras. & cap. acceſſit. de deſponſ. impub.* Si verò impuberes matrimonium contraherent, & malitia non ſuppleret ætatem, tunc quia tale matrimonium reſolvitur in ſponſalia de futuro, *cap. fin. de deſponſ. impub. cap. unic. §. idem quoque. de deſponſ. impub. in 6.* (quod verum intelligas, quando ſeptimum annum excedunt durante primo conſenſu, *d. cap. litteras. & cap. acceſſit.*) ideò ex illo oritur impedimentum publicæ honeſtatis, ut ex ſponſalibus validis oritur, ad quod etiā facit *Text. in cap. juvenis. 3. de ſponſal.* Quod ſi inter tales impuberes adeſſet etiam aliquod impedimentum dirimens, tunc non conſurgeret Juſtitia publicæ honeſtatis, quia hodie jure *Tridentini*, ex ſponſalibus quacunque ratione nullis, non conſurgit tale impedimentum, *Sanchez loco cit. num. 8.*

Secundò non oritur tale impedimentum, quando matrimonium eſt nullum ratione metus cadentis in virum conſtantem, quia tunc deficit conſenſus liber, facit *Text. in cap. de muliere. 6. cap. veniens. 13.* & expreſsè habetur in *cap. cum locum. 14. & cap. veniens ad nos. 15. de ſponſalib. cap. de illis. 9. de deſponſat. impub. Sanchez. lib. 7. diſp. 70. nu. 9. Bonac. de matrim. qu. 3. punct. 11. num. 13.* Idem dicendum, quando matrimonium eſt nullum ratione erroris perſonæ, quia tunc etiam conſenſus deficit, *Sanch. loco cit. num. 10. & diſp. 18. Guttier. de matrim. cap. 89.* ex *l. ſi per errorem. ff. de juriſd. omnium judic. l. cum teſtamentum. & l. non idcirco. Cod. de juris, & facti ignor.*

Tertiò non oritur hoc impedimentum ex matrimonio contracto cum incerta perſona, puta, duco unam ex filiabus Titii; quia tunc etiam matrimoniū eſt nullum ex defectu legitimi conſenſus requiſiti ad matrimonium, nam conſenſus in matrimonio; debet eſſe inter perſonas determinatas, ut patet ex *cap. un. de ſponſal. in 6. Sanch. lib. 7. diſp. 70. num. 12. Bonac. loco cit. n. 15.*

Quartò ex matrimonio inito per parentes nomine filiorum abſentium non oritur tale impedimentum, quouſque filii non ratificaverint matrimonium ipſis abſentibus contractum; nam ceſſan-

ſante tali ratificatione matrimonium dicitur nullum ex defectu conſenſus. Similiter ſi ipſis præſentibus, & tacentibus fuit à parentibus contractum matrimonium, videtur, quod nec etiam oritur tale impedimentum, quādo ipſi interiùs diſſentiunt: quia conſenſus requiſitus ad matrimonium debet eſſe aliquo ſigno externo manifeſtatus, *cap. tuæ fraternitati. 25. de ſponſal.* Nec eorum taciturnitas videtur ſufficiens interni conſenſus ſignum: quia licèt tacens conſentire videatur, ut habetur in regula. *Qui tacet : de regul. jur. in 6.* tamen quando tractatur de aliquo obligando, taciturnitas non operatur conſenſum, *Dinus Muxell. in regul. Is qui tacet : n.3. de regul. jur. in 6.* Aliter tamen diſcurrendum eſt in ſponſalibus, quia circa ſpōſalia adeſt *Textus* expreſſus, ut ſupra diximus in *3. quæſito*, quò te remitto.

Quintò ex matrimonio celebrato ſub conditione de futuro, dummodò ſit honeſta, & non ſit contra ſubſtantiam matrimonii, non oritur impedimentum publicæ honeſtatis quouſque conditio non verificatur: quia pendente tali conditione cōtrahentes non intendunt contrahere, & ſe obligare; ergo pro tali tempore deficit conſenſus: ſed deficiente conſenſu non oritur impedimentum publicę honeſtatis; ergo, &c. ita *Bonac. de matrim. quæſt.3. punct.11. nu.16.* Videas, *Sanch. lib.7. diſp.70. n.20. & ſeqq.* ubi ſecundùm varias *DD.* ſententias diſcurrit, & tandem reſolvit verius eſſe ante conditionis eventum, nullum oriri publicæ honeſtatis impedimentum: poſt eventum verò conditionis dicit, quod, ſequendo opinionem aſſerentiū, tunc matrimoniū non perfici, niſi novo accedente conſēſu, ſed tantùm habere vim ſpōſalium, eſt aſſerendum oriri impedimentum publicæ honeſtatis, eo modo, quo ex ſponſalibus validis, & puris, & ita tenet *Guttier. de matrim. cap.103. nu.26. & lib. 1. Canonic. quæſt. cap.22. num.21. & ſeqq.* Si verò defendatur opinio aſſerentium, quod poſt eventum conditionis ſtatim perficitur matrimonium ſine novo conſenſu, tunc oritur impedimentum eo modo, quo ex matrimonio rato, ſcilicet uſque ad quartum gradū, de quo in ſequenti Quęſito.

Sextò infert *Bonac. loc. cit. n.20.* quod in rigore loquendo (licèt oppoſitum dicat, ne à communi ſententia recedat) videtur tenēdum, quod Titius, qui contractis ſponſalibus cum Berta, contrahit matrimonium ratum, ſed

non

non conſummatum cum illius ſorore, vel matre, non poteſt deindè matrimonium contrahere cũ ipſa Berta, quia ex matrimonio rato invalido ex alio defectu, quàm conſenſus, oritur impedimentum publicæ honeſtatis uſq; ad quartum gradum; in caſu autem poſito, matrimonium non eſt invalidum defectu conſenſus, ſed ratione impedimēti publicæ honeſtatis, ortæ ex ſponſalibus cum Berta celebratis; undè ſicut in caſu poſito non poteſt cum alia quacunque conſanguinea illius contrahere, ita nec poteſt cum ipſa Berta matrimonium contrahere. Nec obſtare dicit *Textum in cap. unic. de ſponſal. in 6.* quia ibi tantummodò determinatur per ſecunda ſponſalia non induci impedimentum publicæ honeſtatis, diſſolvens priora ſponſalia; non verò loquitur de matrimonio poſt ſponſalia celebrato, quod licet invalidum, inducit tamen impedimentum publicæ honeſtatis.

Hæc tamen Bonacinæ illatio non videtur, in rigore loquendo, admittenda, primo per *Text. in cap. duo pueri. 12. de deſponſ. impub.* ubi Alexander III. dicit, quod ille, qui ſponſalia cum una fecit, ſi deindè matrimonium cum ejus conſobrina contrahat; non poteſt dictam conſobrinam habere, propter publicæ honeſtatis Juſtitiam, nec poteſt ad primam habere regreſſum, non ratione publicæ honeſtatis, quod ex tali matrimonio oritur, ſed quia illa fuit alteri legitimè copulata; ergo ſi non fuiſſet legitimè alteri copulata, teneretur ad primam redire. Secundò, quia *Text. in cap. unic. de ſponſal. in 6.* licèt loquatur de ſolis ſponſalibus de futuro, tamen à *DD.* intelligitur etiam de ſponſalibus de præſenti; ergo ſicut ſecunda ſponſalia contracta cum conſanguinea primæ non tollunt primam obligationē, quamvis pariant publicam honeſtatem de jure antiquo, *d. cap. unic.* ibi: *Quibus per publicæ honeſtatis Juſtitiam ex ſecundis ſponſalibus ſubſecutam, minimè derogatur:* ita nec matrimonium contractum cum conſanguinea ſpōſæ tollit primam obligationem, licèt ex tali matrimonio publica naſcatur honeſtas, etiam jure novo cum aliis conſanguineis ſecundæ mulieris, uſque ad quartum gradum. Si verò cum ſecunda matrimoniũ conſumavit, tunc cum neutra poſſet validè matrimonium contrahere, *Sanchez lib. 7. diſp. 68. n. 24. Guttier. de matrim. cap. 103. n. 17.* & nos ſupra diximus in quarto Quæſito.

QUÆRES VII.

Uſque ad quem gradum extenditur probibitio contractionis matrimonii ratione publicæ honeſtatis?

LIcèt publica honeſtas naſcatur, tam ex ſponſalibus validis, quàm ex matrimonio rato, ſivè valido, ſivè invalido, ut dictum eſt, & in utroque caſu jure antiquo protendebatur tale impedimentum uſque ad quartum gradum, ſicut hodie conſanguinitas extenditur non ex ſpeciali, & expreſſa determinatione juris, ſed ex communi Theologorum, & Canoniſtarum interpretatione, quia jura Canonica de tali impedimento loquentia gradum non explicant, ſed indiſtinctè de conſanguineis loquuntur, ut patet ex *cap. litteras. de deſponſ. impub. cap. juvenis. cap. veniens. cap. ad audientiam. & cap. ſponſam. de ſponſalib. cap. un. de ſponſal. in 6.* Sed quia conſanguinitas uſque ad quartum gradum extenditur in hac matrimoniali materia, *cap. non debet. 8. §. probibitio quoque. & cap. fin. de conſang. & affinit.* ideò *DD.* relata jura intelligunt de conſanguineis intra quartum gradum, *Sanch. lib. 7. de matrim. diſp. 68. nu. 8. Guttier. de matrim. cap. 103. n. 3.*

Hodiè tamen per *Decretum Sacri Concilii Tridentini ſeſſ. 24. cap. 3.* quoad duo corrigitur jus antiquum. Primò, quoad ſponſalia; ſecundò quoad gradum. Quoad ſponſalia corrigitur Jus antiquum, quia prius impedimentum publicę honeſtatis oriebatur etiam ex ſponſalibus invalidis, dummodò non ex defectu conſenſus, *cap. un. de ſponſal. in 6.* Sed hodiè jure Tridentini tantùm ex validis ſponſalibus oritur, ut ſupra in tertio Quæſito dictum eſt.

Quoad gradum, etiam jus antiquum corrigitur, quia prius impedimentum publicæ honeſtatis uſque ad quartum conſanguinitatis gradum extēdebatur, ſivè tale impedimentum conſurgeret ex ſponſalibus, ſivè ex matrimonio rato. At hodie honeſtas conſurgens ex ſponſalibus de futuro validis, primum gradum non excedit, *Trident. ſeſſ. 24. cap. 3.* ibi: *Ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant*; & quia Concilium indiſtinctè loquitur, videtur intelligendum de primo gradu, tam in linea recta, quàm tranſverſali; undè ſi quis poſt ſponſalia celebrata cum Berta, matrimonium contraheret cum illius ſorore, matre, vel filia, invalidè contraheret, *Sanch. loc. cit. n. 10. Guttier.*

loc.

loc.cit.n.5. Bonac. de matrim.q.3. punct.11.n.2.

Non tamen intelligere valeo *Jacobum Pignatellum tom. 7. conſult.78.* dum *n.3.* dicit: *Gradum autem, puta Petrus impediebatur, ne puellã in matrimoniũ duceret, cũ puella prius Petri Germano, qui morte præventus, ipſam non atte̅taverat, ſponſalia per verba de futuro contraxiſſet, ſublatum eſſe à Concilio declaratum fuit, cum debeat in linea tranſverſali fieri computatio à remotiori, & ſic à ſecundo*: Nam Germanus Petri non ſecundo, ſed primo gradu diſtat à Petro de jure Canonico, & ſunt in gradu æquali, undè nõ video quomodo fieri poſſit numeratio à remotiori, forſitan voluit dicere Petri nepoti.

Hæc determinatio Tridentini reſtringens impedimentum publicæ honeſtatis ex ſponſalibus validis ad primum gradum, locũ non habet in publica honeſtate, quæ ex matrimonio rato conſurgit, ſed durat tale impedimentũ uſque ad quartum gradum, ut jure antiquo durabat, ut declaravit Pius V. in motu proprio, incipit: *Ad Romanum ſpectat*. Cujus verba ſupra in ſexto Quæſito habentur, & tradunt *Barboſ. ad Trident. d.cap.3. nu.13. Piaſecius in prax. Epiſcop.p.2.cap.4.n.21.& ſeqq. Pignatell. loc.cit.n.7.* & communiter *DD.* omnes. Quare optimè dicit *Sanch.lib.7.diſp.70.n.16.* quod non viderunt prædictum motum proprium Pii V. aliqui *DD.* qui dixerunt impedimentũ publicæ honeſtatis cõſurgens ex matrimonio rato reſtrictum eſſe per Tridentinum ad primũ gradum, inſtar conſurgentis ex ſponſalibus: nam ſatis clarè Pius V. ſe explicavit dicendo, quod Cõcilium, corrigẽdo jus antiquum, debet in propriis terminis intelligi, & quia loquitur de impedimento publicæ honeſtatis, quod ex ſponſalibus provenit, debet intelligi de ſponſalibus propriè, non impropriè dictis Matrimonium autem per verba de præſenti contractum impropriè nomine ſponſalium continetur; ideò de ipſo non poteſt intelligi *Decretũ Tridentini*. Hæc Pius V.

DISPUTATIO IV.

De impedimento cognationis ſpiritualis.

HOc impedimentum gradus non habet, ſed tantùm ex ſtatuto Eccleſiæ inter determinatas perſonas ponitur cognatio ſpiritualis, ratione cujus prohibetur, & irrita declaratur contractio matrimonii, *Trident.ſeſſ. 24.cap.2.de reform.*

Definitur autem cognatio ſpiritualis: Eſt propinquitas quædã perſonarũ ex ſtatuto Eccleſię cõſurgens propter collationem baptiſmi, vel confirmationis, vel ſuſceptionem recipientis hęc Sacramenta: ita communiter *DD.* ex *Trident.loc.cit.*Quod impedimentum perpetuum eſt, nec extinguitur morte illius perſonæ, qua mediante contracta fuit talis cognatio, *Sanch.lib.7.diſp.54. num.8.*

Damnat Lutherus hoc impedimentum ſpiritualis cognationis, dicendo: *Quis cognationem ſpiritualem invenit, niſi ſuperſtitio humana? Si non licèt baptizanti, aut levanti baptizatam, aut levatam ducere, cur licèt Chriſtiano Chriſtianam ducere? an eſt major cognatio iſta ex ceremoniis, ſeu ſigno Sacramenti contracta, quàm quæ ex reipſa Sacramenti? an non Chriſtianus eſt frater ſororis Chriſtianæ? Quid ſi quis uxorem ſuam erudiat Evangelio, & fide Chriſti, factus eſt hoc ipſo pater ejus in Chriſto, an non licet uxorem ejus manere? An Paulo non licuiſſet puellam ex Corinthiis ducere, quos omnes in Chriſto genuiſſe ſe jactat? Vide itaque quam ſit oppreſſa Chriſtiana libertas per cęcitatem humanæ ſuperſtitionis.* Hæc Lutherus.

Fuit hæc Lutheri ſtultitia damnata in *Concilio Tridentino ſeſſ.* 24.*Can.4.* ubi legitur: *Si quis dixerit Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in illis conſtituendis, erraſſe, anathema ſit.* Magno itaq; cum fundamẽto fuit ab Eccleſia tale impedimentum ſtatutum; nam ſicut ex propagatione carnali ſuſcipit homo eſſe naturale, ita ex receptione baptiſmi recipit eſſe ſpirituale, unde Chriſtus Joann.3. dixit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, &c.* ergo ſicut vinculum, quod contrahitur ex carnali propagatione eſt homini naturale, in quantum eſt res naturæ; ita vinculum contractum ex ſuſceptio-

ptione Sacramenti Baptiſmi eſt quodammodò homini naturale, in quantum eſt membrum Eccleſiæ. Non ergo humana ſuperſtitio, ſed ſpiritualis generatio, & honor ſervandus inter patrem ſpiritualem, & filiam, cauſa fuit ſtatuendi tale impedimentum.

Ad primum Lutheri argumentum, dum dicit: *Si non licet Baptizanti, aut Levanti Baptizatam, aut Levatam ducere, cur licet Chriſtiano Chriſtianam ducere.* Dicimus, diſparitatem eſſe, quia Chriſtiani non conveniunt, niſi in genere Chriſtianorum, quæ convenientia nullam propinquitatem cauſat. Cæterum inter baptizantem, & baptizatam, levantem, & levatam eſt relatio paternitatis, & filiationis ſpiritualis, quæ relatio maximam propinquitatem cauſat, ratione cujus Eccleſia prohibuit matrimonii conjunctionem.

Ad ſecundum dicimus non eſſe verum, cognationem ſpiritualem fieri ex ſolis cæremoniis, aut ſigno Sacramenti, ſed fit ex ipſa ſpirituali generatione: Baptizans enim ſpiritualiter generat ex doctrina Evangelica, & levans cooperatur generationi.

Ad tertium, quando Lutherus dicit: *An non Chriſtianus eſt frater ſororis Chriſtianæ?* Dicimus, quod Chriſtiani, & Chriſtianæ non alio vinculo ſunt fratres, & ſorores, niſi quia conveniunt in genere, ſicut omnes Hebræi, & Hebrææ ſunt fratres, & ſorores: convenientia autem in ſolo genere non eſt rationabile impedimentum, aliàs inter Chriſtianos non poſſet celebrari matrimonium. Cæterum convenientia inter generantem, & genitum ſpiritualiter, quià eſt ſpecialis convenientia, eſt rationabile impedimentum ad hoc, ut inter eos ſervetur honor, & reverentia.

Ad quartũ, quando Lutherus dicit: *Quid ſi quis erudiat, &c.* Dicimus, quod generatio quoad doctrinam, & mores, comparatur generationi ſpirituali ſacramenti baptiſmi, ſicut generatio accidentalis ad ſubſtantialem, quia baptizans dicitur abſolutè pater, erudiens verò dicitur pater ſecundùm quid, & ideo non ſequitur, quod ſi baptizans non poteſt ducere baptizatam, nec erudiens in Evangelio poteſt ducere eruditam.

Ad ultimum dicimus, quod divus Paulus non alio modo genuit Corinthios, niſi catechizando, quæ eſt generatio ſpiritualis ſecundùm quid, ut dictum eſt, & ideo non eſt rationabile impedimentum: aliter autem diſcurrendum eſſet, ſi Paulus omnes Corinthios baptizaſſet.

Quod

Quod hæc ſpiritualis cognatio non ſit ſtatutum recenter ab Eccleſia inventum, ut Lutherus ſomniavit, ſed à principio Eccleſiæ tempore divi Pauli fuerit etiã cognita. Probari poteſt teſtimonio *Origenis*, qui explicando illum Pauli locum ad Rom.16.*Lucius, & Jaſon, & Soſipater cognati mei*: Hanc, inquit, cognationem, & conſanguinitatem arbitror eſſe ex baptiſmo cõtractam. Nam & quod ſuſceptores, qui Patrini vocantur, adhiberi conveniat in baptiſino ex traditione Apoſtolorum, teſtis eſt *Dioniſius de Eccleſ.Hierarch.cap.7.*ut refert *Covarr. de matrim. par.2. cap.6.§.4.n.1.* ubi etiam miratur, cur *Conra. Lagus in method. Jur. tit. de nupt.* dixerit, prohibitionem matrimonii in cognatione ſpirituali, ſine cauſa factam ab Eccleſia, eamque valere ſua authoritate quantum poſſit.

Ex dictis habetur, quod cognatio ſpiritualis, quæ ex Baptiſmo, & Confirmatione oritur, non eſt Jure Divino naturali: quia dicta Sacramenta ex ſola Chriſti inſtitutione eſſe habent. Nec eſt Jure Divino poſitivo, quia de tali cognatione nulla mentio in Sacra Scriptura habetur. Remanet igitur, quod ex ſolo jure Eccleſiaſtico eſſe habeat ſecundùm *D. Thom.* ab omnibus receptum, *in 4.diſt.42.qu.1.art.1.in corp.& art.2. ad primum.* & tradunt *Sanch.lib.7.diſp.54.n.3.Gutier.de matrim.cap.100.n.2.& 3.* Undè ex aliis Sacramentis, præter Baptiſmum, & Confirmationem, non oritur cognatio ſpiritualis, quæ impediat, & dirimat matrimonium, *cap.fin. de cognat. ſpirit. in 6.* ibi: *Ex datione verò aliorum Sacramentorum, cognatio ſpiritualis nequaquam oritur, quæ matrimonium impediat, vel diſſolvat.* Ratio eſt, quia reliqua Sacramenta conferunt eſſe ſpirituale gratiæ, ſed non per modum ſpiritualis regenerationis, ſicut eſt in Baptiſmo, & Confirmatione, ſed vel per modũ alimẽtationis, ut eſt in Euchariſtia, vel per modum ſanationis, & reconciliationis, ut eſt in Pœnitentia.

Non nego tamen ex Sacramẽto Pœnitentiæ oriri cognationẽ ſpiritualem conſimilem cognationi, quæ ex Baptiſmo habetur, ut patet ex *Can. omnes. 30. q.1.* ibi: *Omnes, quos in pœnitentia accepimus, ita filii noſtri ſunt, ut in baptiſmate ſuſcepti*: Idem habetur in *Can.ſi quis Sacerdos.& Can fin. 30.q.1.* Sed aſſero, quod non oritur cognatio ſpiritualis ad effectum impediendi matrimoniũ; & ideò in *cap.fin.de cognat.ſpirit. in 6.* nõ dicitur ſimpliciter, quod non oritur cognatio, ſed cum addito,

dito, ſcilicet non oritur ad effe-ctum impediendi matrimonium, & ſic oritur quoddam vinculum ſimile cognationi ſpirituali, quæ ex baptiſmo habetur, ad hoc, ut tollatur occaſio peccandi, quæ conſurgeret ex nimia familiaritate inter Confeſſarium, & pœnitentem in manifeſtandis peccatis, & ideò in multis locis, ut eſt in hac Civitate Neap. tale peccatũ cum pœnitente eſt reſervatũ.

Similitèr talis cognatio ſpiritualis ex Catechiſmo, ſeù ex Inſtructione, quæ fit antè januam Eccleſiæ ſuper baptizando, non oritur, ut impedimentum dirimens, licet conſurgat quædam cognatio imperfecta impediens, tantùm contractionem matrimonii de jure antiquo, *cap. cõtracto. de cognat. ſpirit. cap. 2. de cognat. ſpir. in 6.* requiritur tamen ad cõtrahendam talem cognationem imperfectam, ut tenens in Catechiſmo, infantis perſonam gerat, reſpondendo ad fidei interrogata, dum Sacerdos rogat, an credat; undè ſicut in baptiſmo talis cognatio ſpiritualis contrahitur, per elevationem pueri de ſacro fonte, ita in Catechiſmo contrahitur per illam fidei profeſſionẽ nomine infantis factam.

Ex exorciſmo verò cognatio ſpiritualis non oritur, quia licèt Pontifex in *Can. pervenit. 30. q. 1.* dicat: *A primo pabulo ſacri ſalis, uſque ad confirmationem per Criſma, nullus Chriſtianus ſuam commatrem in conjugem ſuſcipere debet:* Tamen dicta verba copulativè, & non disjunctivè accipienda ſunt, itaut per omnia illa contrahatur cognatio, ſed quaſi initium ſumat in ipſo exorciſmo, ita *DD.* quos citat, & ſequitur *Sanch. lib. 7. de matrim. diſp. 10. ubi n. 12. & ſeqq.* dicit, quod talis cognatio ex Catechiſmo hodie ſublata eſt per Tridentinum, & ideò quando puer eſt baptizatus domi, & in Eccleſia ſupplentur ſolemnitates, tenetur Parochus, dum in libro baptizatorum deſcribit nomina Patrinorum exprimere, quod fuit Patrinus in ſolo Catechiſmo, quia in hoc caſu nullum impedimẽtum oritur, juxta probabiliſſimam ſententiã, & ideò iſte patrinus fraudari nõ debet jure ſuo; idem dicit *Diana p. 3. tract. 4. de ſacram. reſol. 260.*

QUÆRES I.

Inter quas perſonas hæc cognatio ſpiritualis contrahitur?

Jure antiquo triplex cognationis ſpiritualis ſpecies dabatur. Prima erat Paternitatis, ſecunda Cõpaternitatis, & tertia Fraternita-

nitatis, *Bellarm. in obſervat. ad Trid ſeſſ.24.cap.2.* Baptizans, cõfirmans, & patrini Baptiſmi, vel Confirmationis cognationẽ ſpiritualem *Paternitatis* contrahebant cum baptizato, vel confirmato. Parentes baptizati, vel cõfirmati cognationem Compaternitatis contrahebant cum baptizante, confirmante, & Patrinis baptiſmi, vel confirmationis, & utraque hæc cognatio per virum transfundebatur in uxorem, *cap.Martinus.4. ubi Gl. de cognat. ſpir.* Et tandem inter filios carnales baptizantis, confirmantis, vel patrinorum, & ipſum confirmatum, vel baptizatum dabatur cognatio ſpiritualis Confraternitatis, ita ex *Can.de eo.30.q.1.cap. veniens. & cap.Martin.de cognat. ſpir.* docent *Covarr.in 4.Decretal. p.2.cap.6.n.2.8. & 9. Sanch.lib.7. diſp.54. nu. 9. Bonac. de impedim. matrim.q.3.punct.5.§.2.n.3.*

Hodiè ex diſpoſitione *Trident. ſeſſ. 24. cap.2. de reform.* penitus ſublata eſt cognatio confraternitatis, & tantùm datur cognatio ſpiritualis Paternitatis, & Compaternitatis, quæ non transfunditur in uxorem, ſicut prius, ſed cognatio Paternitatis tantùm contrahitur à baptizante, confirmante, & Patrinis Baptiſmi, vel Cõfirmationis, cùm baptizato, vel confirmato, qui reſpectu illorum dicitur contrahere cognationem filiationis. Cognatio verò Compaternitatis tantùm hodiè contrahitur à baptizante confirmante, & Patrino cum Patre, & Matre baptizati, vel confirmati; adeòque per Tridentinũ omne impedimentum, quod ratione hujuſmodi cognationis inter alias perſonas ex enumeratis antiquitùs contrahebatur, ſublatum eſt, & ita in uxorem tale impedimentum non transfunditur, ut Pius V. in quodam motu proprio incipit: *Cum illius vicem:* declaravit anno 1566.

Ex quo motu proprio habetur, quod non eſt ſublata cognatio ſpiritualis, quæ antiquitùs dabatur inter alias perſonas, ſed tantùm eſt ſublatum impedimentũ contrahendi matrimoniũ, & clarè patet ex verbis dictę Bullę ibi: *In reliquis perſonis, quæ per antiquos Canones occaſione cognationis hujuſmodi contrahere prohibentur, omne impedimentum ſublatum eſſe videatur.* Et ideò aliæ perſonæ, quæ non numerantur in *Trident. ſeſſ.24.cap.2.* poſſunt liberè, & licitè matrimonium contrahere, puta Patrinus poteſt matrimoniũ contrahere cùm ea, cum qua ſimul ſuſcepit alienum filium; ſicut etiam ſi vir, & uxor ſimul alienũ puerũ in Sacro fonte ſuſcipiant, non privantur jure exigendi debi-

bi-

bitum; ut patet ex dicto motu Pii V. honeſtius tamen facerent ſi ſimul non ſuſciperent, ut patet ex *Can. quod autem.30.qu.4.* ubi Urbanus II. Vitali Presbytero ita ſcribit: *Quod autem uxor cum marito in baptiſmate ſimul non debeat ſuſcipere puerum, nulla authoritate reperitur prohibitum. Sed, ut puritas ſpiritualis paternitatis ab omni labe, & infamia conſervetur immunis, dignum eſſe decernimus, ut utrique inſimul ad hoc aſpirare minimè præſumant.*

QUÆRES II.

An Baptizans, Confirmans, & Patrini contrahant cognationẽ ſpiritualẽ tantùm cum parentibus legitimis, & naturalibus Baptizati, vel Confirmati, an verò etiam cum illegitimis?

CONtrahitur talis cognatio ſpiritualis cum parentibus carnalibus baptizati, vel confirmati, ſivè ſint legitimi, ſivè illegitimi: ſicut etiam jure antiquo inter illos talis contrahebatur cognatio, ut dicit *gl. in c.1. verb. & matrem, de cognat. ſpirit. in 6.* E ideò, qui filium ſuæ concubinę baptizat, non poteſt cum illa matrimonium deinde contrahere ratione cognationis ſpiritualis, *Novar. in ſumm. Bull. par.2. tit. de cognat. ſpir. n.9.* Cum parentibus verò legalibus, puta adoptivis, nulla contrahitur cognatio ſpiritualis, quia nec antiquitùs illa contrahebatur, *Sanch. lib. 7. de matrim. diſp. 54. n. 16.*

QUÆRES III.

An quando Baptiſmus domi verè collatus; iteratur ſolemniter in Eccleſia, ex tali iteratione oriatur cognatio ſpiritualis?

NUlla oritur cognatio, ut deciſum teſtatur *Quintilianus Mandoſius de ſignat. grat. tit. Diſpenſationes matrimoniales. §. magna fuit*, ubi ita dicit: *Magna fuit alias altercatio inter D. Abbreviatores, ſi puer propter neceſſitatem fuit baptizatus domi abſq; ſolemnitate, poſtea ad Eccleſiam delatus iterum baptizatus fuit cũ ſolemnitate, an ex iſto baptiſmo ſolemni contracta fuerit compaternitas. Aliqui erant pro opinione affirmativa, quibus aſſentiebatur Felinus, tunc Rotæ præclariſſimus Auditor, propter Catechiſmum, & alias ſolemnitates in primo baptiſmo omiſſas: Pro opinione negativa concluſum*

M *fuit,*

ſuit, cui etiam adhæſerunt Nicol. de Caſtello, & Cardin. Alexand. & ſic data fuit declaratoria ſub plumbo, continens, nullam compaternitatem, ſeu cognationem ſpiritualem propterea contractam fuiſſe, &c. Idque etiam declaravit Sacra Congregatio, ut refert *Bellarm. ad Trident. ſeſſ. 24. cap. 2. verſ. item quando conſtat*, *Pignatell. tom. 7. conſult. 93. nu. 4. & 14. Julius Capone controv. forenſ. 28. num. 6.*

Ratio hujus eſt, quia hic poſterior Baptiſmus, nec verè eſt Baptiſmus, nec vera ſpiritualis regeneratio; & quoties Baptiſmus, vel Confirmatio ſunt irrita, ex illis nulla oritur ſpiritualis cognatio, *Sanch. lib. 7. diſp. 62. num. 5.*

Hinc infertur, quod quando Baptiſmus iteratur ſub conditione, quia de prioris Baptiſmi veritate dubitatur, tunc manente tali dubio, Eccleſia præſumit cognationem: quod ſi conſtiterit deindè primum Baptiſmum fuiſſe validum, non oritur cognatio ſpiritualis, *Sanch. loc. cit. nu. 6.*

Secundò inferatur, quod quādo Baptiſmus confertur ſecundùm aliquam probabilem opinionem, licèt adſit alia oppoſita etiam probabilis, ex tali baptiſmo oritur cognatio ſpiritualis, quamvis Baptiſmus ſit iterandus ſub conditione, propter dubium valoris primi Baptiſmi.

Nec videtur amplectenda opinio *Sanch. loc. cit. nu. 7.* dum aſſerit, quod ſi ſint duæ opiniones probabiles, quarum altera neget prioris Baptiſmi valorem, altera affirmet, poterit tuta cōſcientia quiſpiam unam harum eligere: & tenendo Baptiſmum non fuiſſe validum, poteſt probabiliter tenere ex illo non naſci cognationem, ſed ex iteratione. Si verò oppoſitam amplectitur opinionem, debet tenere, quod oritur cognatio ſpiritualis ex primo Baptiſmo.

Non, inquam, videtur amplectenda talis opinio, quia ſequeretur, quod tam Baptizans, quàm iterans poſſent tuta conſcientia dicere, quod nullus eorum contraxit cognationem ſpiritualem, ſtante probabilitate utriuſque opinionis, quaſi una ab uno eligitur, alia ab alio: Cognatio igitur ſpiritualis non habetur ex electione opinionis, ſed ex Baptiſmo collato; ideò dicimus, quod ſtante opinione probabili de validitate Baptiſmi, qui illum miniſtravit, contraxit cognationem ſpiritualem; iterans verò ſub conditione, quia non dicitur abſolutè miniſtrare Sacramentū Baptiſmi, ſed dicitur miniſtrare;

ſi non

ſi non eſt miniſtratum, ideò ipſe non contrahit talem cognationem, niſi evidentiſſimè conſtaret primum Baptiſmum nulliter fuiſſe collatum: Eccleſia enim, quæ ſpiritualem cognationem inſtituit, Baptizantem tali cognatione ligavit. Permittit autem in tali caſu rebaptizationem ſub conditione, ad majorem ſecuritatem, quia tractatur de re ſimpliciter neceſſaria ad æternam ſalutem.

QUÆRES IV.

An Laicus in neceſſitate baptizans contrahat cognationem ſpiritualem?

NOn ſolùm ex Baptiſmo ſolemniter à Sacerdote miniſtrato contrahitur ſpiritualis cognatio, ſed etiam ex Baptiſmo in neceſſitate miniſtrato à laico. Ratio eſt, quia ex vero Baptiſmo cõſurgit cognatio ſpiritualis, ſed laicus in tali caſu verum conficit Baptiſmum, ergo, &c. Tantùm enim pater, qui filium ſuum in extremo vitæ poſitum baptizavit, non contrahit cognationem cum ſua uxore, quoad effectum impediendi petitionem, & redditionem debiti, ut habetur in *Can. ad limina. 30. qu. 1.* Si verò pater baptizaret filium concubinæ, tunc cum illa cognationem ſpiritualem cõtraheret, nec poſſet illam in uxorem habere, ut ſupra in Secundo Quæſito dictũ eſt: quia in dicto *Can. ad limina* tantùm favore matrimonii jam contracti determinatur, quod ex Baptiſmo in neceſſitate miniſtrato à patre non naſcatur impedimentum cognationis ſpiritualis, undè concludit: *Et idcircò ſuæ uxori ſibi jam legitimè ſociatæ, impune, quamdiù vixerit, judicamus manere conjunctum*: Videas *Sanch. lib. 7. diſp. 62. nu. 9. & ſeqq. Bonac. de impedim. matr. quæſt. 3. punct. 5. §. 2. nu. 11. Guttier. de matrim. cap. 100. nu. 11. & ſeq.*

QUÆRES V.

An Infidelis, vel Hæreticus ſit capax cognationis ſpiritualis activè, & paſſivè?

CErtum eſt Hęreticum baptizantem, vel ſuſcipientem in Baptiſmo, aut Confirmatione contrahere ſpiritualem cognationem, quia cum ipſe charactere ſit inſignitus, legibus Eccleſiæ ſubjicitur, à qua ſpiritualis cognatio originem habuit: quãvis peccet hęreticus dicta munia exercendo extra caſum neceſſitatis; immò ad officium Patrini non eſt admittendus, *Pi-*

gnatell.to.4.conſult.144.n.15.Ratio eſt, quia hęc cęremonia inſtituta eſt ab Eccleſia, ut baptizatus in fide Catholica inſtruatur, hæreticus autem à via veritatis aberrãs nõ ritè inſtrueret infantẽ, quarè eſt contra Eccleſiæ cõſuetudinẽ ſuſceptorem deſignare hęreticum, quia non inſtructor, ſed corruptor eſſet: & ideò ſi commodè in terris Hæreticorum Patrinus Catholicus haberi nequeat, tenetur Parochus baptizare infantem abſque ullo Patrino; quia cæremoniæ Baptiſmi ſunt omittendæ, quando nequeunt debito modo, & ritè adhiberi.

Nec in dubium revocandum eſt, valeat ne Baptiſmus ab Hæreticis collatus, quando ſecundùm formã Sanctæ Romanæ Eccleſiæ miniſtrarunt. Nam Africanorum Epiſcoporum Cõcilio, cui pręſedit Arippinus Carthaginenſis Epiſcopus, licèt decretum fuiſſet, nullũ prorſus, & invalidũ eſſe tale baptiſma, ideòque ab Eccleſia iterandum, ut teſtatur *Cypr. Epiſt.71.ad Quintinũ*; quod deinde idem Cyprianus Carthaginis Præſul, coactis tribus aliis Africanis Synodis, cõfirmavit, & de hoc Synodicam ſcripſit ad Stephanũ, qui tunc univerſæ Eccleſiæ clavum regebat; Stephanus tamen acceptis litteris à Cypriano, Synodi ſanctionem reprobavit; vetuitque ne quis auderet à contraria Apoſtolica traditione diſcedere, ut refert *Jo: Cabaſſuti. in notit. Concil.* tractando de Conciliis reprobatis circa collatum ab Hæreticis baptiſma, idem etiam determinatur in *Can. à quodam Judæo. Can. ſi qui apud illos hæreticos, Can. nullus autem.* & ſpecialiter de ſententia *Cypriani* mentionẽ facit *Tex. in Can. quomodo exaudit. de conſecrat. diſt.4.*

Tantũ igitur difficultas nũc remanet de infideli, ſcilicet Pagano, vel Judęo, an baptizando, vel ſuſcipiendo ex ſacro fonte, ſpiritualem contrahat cognationem?

In hac difficultate quinque Doctorum ſententię numerantur à *Sanchez lib.7.diſp.60.nu.3*. Prima tenet, infidelem contrahere cognationem ſpiritualem dum baptizat, non verò dum ſacro fonte ſuſcipit: quia infidelis validè baptizare poteſt, at validè *ſuſceptoris* officium exequi non valet, ut ex *Can. in baptiſmate. de conſecr. diſt.4.* ita *Angel. Sot. Ledeſm. Enriq.* relati à *Sanch. loc. cit.*

Secunda ſententia docet, infidelem baptizando non contrahere cognationem ſpiritualem; quia non exercet talem actum nomine proprio, ſed vice Spiritus Sancti: contraheret tamen co-

cognationem ſpiritualem ex hac ſententia, ſi puerū dē ſacro fonte ſuſciperet; quia non alterius, ſed proprio nomine talē actum exerceret. Ita *Guillelmus*, quem citat, & ſequitur *Roſella*.

Tertia ſententia tenet, in utroque caſu infidelem contrahere cognationem ſpiritualem, etiam ſi baptizatus, vel ſuſceptus eſſet filius infidelis: ita *Archidiac*.

Quarta ſententia aſſerit, non baptizatum talem cognationem non contrahere, niſi Cathecumenus ſit, quia Cathecumenus eſt jam baptizatus baptiſmo flaminis, & ideò capax eſt cognationis ſpiritualis: ita *Paludanus*, *& alii*.

Quinta tandem ſententia, quę veriſſima, & tenenda dicitur à *Sanch. loc.cit. num.7.* docet, infidelem, etiam ſi Cathecumenus ſit, nullatenus poſſe talem cognationem contrahere; quia ſicut non habens vitam carnalem non poteſt eſſe carnaliter cognatus, ita non habens vitam ſpiritualem, non poteſt eſſe ſpiritualiter cognatus. Pro hac ſententia ſunt non ſolùm *Theologi*, ſed etiā *Juriſperiti*, quos citat *Sanch.l.cit.*

Ex quo optimè infertur, quod infidelis nec etiam eſt capax cognationis ſpiritualis *Paſſivæ*; & ideò ſi fidelis baptizaret, vel ſuſciperet filium infidelis, contraheret quidem cognationem cum ipſo Puero; ſed non cum Parentibus infidelibus Pueri. Ratio eſt, quia cognatio ſpiritualis eſt relatio mutua; ergo ſi infidelis non eſt capax cognationis ſpiritualis *Activæ*, nec etiam eſt capax cognationis ſpiritualis *Paſſivæ*, ut tenent multi apud *Sanch. d.diſp.60. num.14.*

Verùm tamen eſt, oppoſitam ſententiam etiam probabilem eſſe; non enim inconvenit, quod fidelis ex parte ſua contrahat cognationem ſpiritualem cum Parentibus infidelibus pueri, licèt parentes infideles illam nō contrahant durante infidelitate: nam fidelis cum ſit ſubditus Eccleſiæ eſt ſubjectum capax talis cognationis, pro qua opinione videas *DD.* relatos à *Sanch.l.cit. num.13.*

Mihi tamen magis probabile videtur, quod fidelis baptizando filium infidelis, vel illum ſuſcipiendo non contrahit cognationem ſpiritualem cum parentibus infidelibus pueri; & ideò etiam ſi infidelis deindè convertatur ad fidem non reconvaleſcit cognatio ſpiritualis, quia quod à principio non valet, deindè reconvaleſcere nequit: undè poteſt conſiſtere matrimonium inter fidelem baptizantem, vel ſuſcipientem, & parentes illos infide-

fideles, ſi poſtea baptizetur. Aliter tamen diſcurrendum eſſet ſi ſpiritualis cognatio nō eſſet merè Eccleſiaſtica, ſed eſſet naturalis, ſicuti eſt cognatio naturalis, quæ tempore infidelitatis contrahitur, nam tunc infidelis veniendo ad fidem tenetur ſervare, quod ab Eccleſia eſt definitum de tali cognatione naturali, ut ex dictis conſtat.

QUÆRES VI.

An non confirmatus ſuſcipiens in confirmatione contrahat cognationem ſpiritualem?

ILlā contrahere tenent *9. DD.* penès *Sanch. lib.7. diſp.60. n. 19.* quibus addo *Zerol. in prax. par.1. verb. Chriſma, §. ſexto Patrinus.* Probant. Primò, quia iſte non confirmatus habet per baptiſmum eſſe ſpirituale, & eſt ſubditus Eccleſiæ; ergo eſt capax cognationis ſpiritualis, non ſolùm ſi in Baptiſmo ſuſciperet, ſed etiam ſi in Confirmatione. Secundò, quia licèt Religioſis interdicatur ſuſcipere in Baptiſmo, vel Confirmatione *Can. placuit.8.16.qu.1. Can. non licet.103. & Can. Monachi.104. de cōſecrat. diſt.4.* tamen ſi iſti tenent in Baptiſmo, vel Confirmatione fiunt veri Compatres; quia Monachi baptizare poſſunt, *Can. doctos.16. qu.1.* ſed per Baptiſmum veri cōpatres fiunt, *Can. omnes.30. qu.1.* ergo, &c. Tertiò, quia Epiſcopus non inſignitus Sacramento Confirmationis verè contrahit cognationem ſpiritualem ſi puerum confirmet; ergo idem dicendum ſi non confirmatus teneret in confirmatione.

Oppoſitam ſententiam amplector cum *Sanch. loc. cit. Barboſ. ad Trid. ſeſſ.24. cap.2. n. 8. Piaſec. in prax. p. p. c.2. a.2. n.7. Pignatell. to.1. conſult.10. Jul. Capon. controverſ. foren.28. num.9.* Nam baptizatus poteſt de ſacro fonte ſuſcipere, & cognationem ſpiritualem contrahere, ſecus non baptizatus, qui non contrahit cognationem ſpiritualē baptizando, vel ſuſcipiendo; ergo pariter licèt confirmatus contrahet cognationem ſuſcipiendo in confirmatione, tamen non confirmatus illam non contrahit, ut expreſsè patet ex *Can. in baptiſmate, vel in chriſmate, non poteſt aliū ſuſcipere in filiolum, qui non eſt ipſe baptizatus, vel confirmatus. de cōſec. diſt.4.* ubi *Textus* ſicut loquitur de infideli ſuſcipente in baptiſmo, ita de fideli nō cōfirmato ſuſcipiēte in cōfirmatione, ſed infidelis ſuſcipiēdo in baptiſmo nō cōtrahit cognationē ſpiritualē; ergo nec illā contrahit fidelis non confirmatus ſi ſuſciperet in confirmatione. Con-

Confirmatur, quia in *Pontificali Romano par.1.tit.1.de confirmatione in Rubric.* ſic diſponitur: *Nullus qui non eſt confirmatus poteſt eſſe in confirmatione patrinus.* Ergo expreſsè patet, quod ſuſcipiens in confirmatione debet eſſe confirmatus, ut valeat cognationem ſpiritualem cōtrahere, & ita declaravit *Sacra Congr. Concil. in una Licien.die 13. Junii 1654.* ut refert *Pignatell. l.cit.nu. 3.* Unde patet reſponſio ad primam rationē oppoſitæ ſententię.

Ad ſecundam rationē, admittit *Sanch.* Religioſos cognationem contrahere quando in baptiſmo, vel confirmatione ſuſcipiunt, quia nō reperitur *Textus* iritans factū, ſed tantùm prohibens faciēdum, ut patet ex *Can. non licet.103.de conſecr.diſt.4.* ubi non dicit *Textus* quod *nō poteſt*, ſed quod *non licet*, & ideo peccant ſuſcipiendo in baptiſmo, vel confirmatione, quia faciunt contra prohibitionem Eccleſiæ. *Gloſſ.* tamen in *Can.pervenit.20. 18.q.2.* dicit, quod Monachi poſſunt baptizare, & ſic *fieri compatres baptizando, ſed non levandō, quia in illo major contrahitur familiaritas.*

Ad tertiam, concedit *Sanch.* Epiſcopum non inſignitum Sacramento Confirmationis cōtrahere cognationem quando confirmat, quia verum Sacramentū confert, & poteſtas confirmandi in charactere ordinis Epiſcopalis fundatur, ut docet *Bonac.de confirm.q.unic.pun.2.nu.9.* illam tamen non contrahere quando ſuſcipit in confirmatione, quia verus ſuſceptor non eſt.

QUÆRES VII.

Quando Patrini contrahunt cognationem ſpiritualem?

UT valeāt Patrini cognationem ſpiritualem cōtrahere, requiritur, ut Baptizandum, vel Cōfirmandum teneant, dum dicta ſacramenta conferuntur: undè in illis locis ubi per effuſionem baptizatur, requiritur, ut Patrini puerum teneant, dum aqua effunditur; ubi verò per immerſionē baptizatur, debēt puerum de ſacro fonte levare, vel ſtatim ac à baptizante eſt levatus, eſt tradēdus Patrinis, ut declaratum per *Sac. Congr. die 27. Septembris 1601.* refert *Novar. in ſumma Bullar, par. 2. tit. de cognat.ſpirit.num.5.* In Sacramento verò Confirmationis requiritur, ut teneatur Confirmandus, dum ab Epiſcopo ſacro Chriſmate ungitur; ut colligitur ex tota *cauſa 30.q.1.* & dicit *Sanch. lib.7. diſp.56.n.1.*

Verùm tamen eſt, quod non quicumq; levantes de ſacro fonte talem cognationē contrahunt, ſed tantùm primi levantes, vel ſuſcipientes puerū de manu baptizantis: & ideò exiſtente conſuetudine in Epiſcopatu Abulenſi, ut Commater non tangeret infantem, donec Compater, poſtquam infans eſt baptizatus, & ſuper eum infuſa aqua baptiſmi, ponat illum in manibus Commatris, fuit per *S.Cong.* determinatum, talem mulierem non contrahere cognationem ſpiritualem, quia non tangit infantem in illo actu, dum Sacramentum confertur, vel dum infans de ſacro fonte levatur, de qua declaratione videas *Farinac.par.4.ad Trid.ſeſſ.24. cap.2.*

Hinc deceptus videtur *Julius Capone controv.forenſ.* 28. dum conatur probare, quod cognationem ſpiritualem non contrahit ille, qui in actu quo Parochus aqua vult caput pueri abluere illum accipit de manu obſtetricis, vel Commatris, & ſimul cum Commatre tenet, dum Sacramentum miniſtratur, nam debet illum de manu baptizantis accipere, ad hoc, ut contrahat cognationem.

Decipitur inquam, quia licèt ejus opinio locū habeat, quando Sacramētū Baptiſmi miniſtratur per immerſionem, ut eſt caſus declarat. *Sac.Cong. in una Abulen.* aliter tamen diſcurrēdū eſt quādo tale Sacramentum miniſtratur per effuſionem, quia tunc ſufficit, quod ſuſtineatur puer in illo actu, quo miniſtratur Sacramentum, nam ſacri Canones non tantùm de *Levante* loquuntur, ſed etiam de *Suſcipiente, Accipiente, Tenente*, ut dicit *Sanch. lib.7. diſp.59. nu.4.* & ſe remittit ad dicta in *diſp.56.n.1.*, ubi ſecūdùm noſtrā opinionē loquitur, & nō ſecundū opinionē *Julii Capone*, qui illū pro ſe citat: Requiritur tamen, quod ſuſcipiens nō teneat puerum materialiter, ſcilicet ne puer cadat, ſed ut habeat intentionem faciendi, quod faciunt alii Patrini, *Sanchez lib.7. diſp.58.n.4.& ſeqq.*

Patrini ut contrahant Cognationem debent eſſe deſignati ex *diſpoſit. Trid. l.cit.* & ad ſummū poſſunt eſſe *Unus*, & *Una*, undè duo Viri, vel duæ Mulieres adhiberi non poſſunt. Illi, qui fuerunt deſignati, ſi Puerum de ſacro fonte cū effectu ſuſcipiunt, vel tenent, dum Sacramentum miniſtratur, cognationem ſpiritualem contrahunt, quod ſi alii ultra deſignatos baptizatū tangant, cognationem ſpiritualem non cōtrahunt, ut dicit *Trident. l.cit.* Iſti non deſignati talem cogna-

gnationem non contrahunt, non ſolùm quando cũ deſignatis tangunt, ſed etiam, quando nullus Patrinus fuit deſignatus, quia *Trident.* corrigendo jus antiquũ, appoſuit cõditiones pro tali cognatione contrahenda. Voluit enim, quod unus, vel una, aut ad ſummum unus, & una adhibeatur, cum jure antiquo, tantùm unus, vel una erat adhibendus *can. non plures. de conſecrat. diſt.* 4. Voluit inſuper, quod tantùm deſignati cognationem ſpiritualem contrahant, ſecùs verò non deſignati, quod eſt contra jus antiquum, ut patet ex *cap. fin. de cognat. ſpirit. in 6.* ubi ſi plures, quàm unus, vel una accedebant, omnes cognationem ſpiritualem contrahebant: quod fuit per *Trident.* correctum, ne tale impedimentum multiplicetur: E ut vitetur ſuſceptorum incertitudo, determinavit, quod tantùm deſignati admittantur, quæ incertitudo non tollitur, quãdo non deſignati admittuntur ultra quàm à Concilio fuerunt definiti, ut optimè probat *Sanchez lib. 7. diſput. 57. num.* 12.

Quod omnes tangentes baptizatum contrahant cognationem ſpiritualem, quamvis deſignati non ſint, etiam probabile eſt, & multi illã defendunt ex eo, quia *Trident.* ſolum exprimit caſum, in quo quibusdã deſignatis alii tangunt, non verò loquitur quãdo Patrini deſignati non ſunt; ergo quando non ſunt deſignati Patrini, ſtandum eſt diſpoſitioni juris antiqui, quo definitũ erat omnes tangentes talem cognationem contrahere, *cap. fin. de Cognat. ſpirit. in 6.*

Juxta hanc opinionem optimè ſequitur, quod quando plures, quàm duo ſunt deſignati, ſi omnes illi à Parocho ſimul admittuntur, omnes cognationem ſpiritualem contrahunt, quia *Trident.* ſolùm dicit, quod non contrahunt cognationem ſpiritualẽ, qui cum deſignati non ſint, ſimul cum deſignatis levant: Nõ verò loquitur quando omnes ſunt deſignati, & omnes à Parocho admittuntur, quam ſententiam amplectitur *Sanchez loc. cit. n. 14.* & ita declaraſſe *Sacram Congreg.* refert *Farin. ad Trident. ſeſſ. 24. cap. 2. verſ. quem, vel quos elegerint*, ubi ita dicit: *Congregatio cenſuit, ſi plures ſuſcipiant, omnes contrahere cognationem, ſi non cõſtat, qui priùs tetigerit, ſi plures ſint electi, vel nullus, ſi unus eſt electus ille tantùm contrahit.* Idẽ dicit *Bellarm. ad d. cap. Trident. verſ. item ſi plures ſint electi. Pignatell. to. 7. conſult. 93. nu. 7. Novar. in ſumma Bullar. par. 2. tit. de cognat. ſpirit. nu. 3.* qui *nu. 4.* dicit, quod quando quis deſtinavit duas commatres, vel compatres,

facta Parocho expreſſa declaratione animi ſui, quod non intendebat unam, vel unum ex illis puta B. in commatrem admittere, ſed tantùm id fecit ad tollendas diſſentiones aliquas, & Parochus promiſit, quod nullatenus admitteret dictã B. ad tangendum infantem, ſi tamen dicta B. præter intentionem deſtinantis, & præter promiſſionem Parochi infantẽ in actu baptiſmi tetigit ſimul cum alio, vel alia, etiam cum ipſa contrahitur cognatio ſpiritualis, ut fuit reſolutum per *Sacram Congregationem die 10. Martii 1631. in cauſa Aquen.* de qua delaratione etiã mentionem facit *Barboſa in collect. Bullarum verbo Cognatio ſpiritualis*. Similiter quando in libro Parochi reperiuntur deſcripti duo compatres, vel commatres, nec apparet quis eorum ſit verus compater, tunc ratione incertitudinis uterq; compater habetur *Navar. loc. cit. n. 10.*

Probabile etiam eſt, quod diſpoſitio *Trident.* quę loquitur de Patrinis in baptiſmo, militet etiã de Patrinis in confirmatione, & ideò poſſunt in confirmatione admitti duo Patrini diverſi ſexus, ſicut in baptiſmo admittuntur: & totum id, quod de Patrinis baptiſmi dictum eſt, dici poteſt de Patrinis cõfirmationis, ut probat *Sanch. lib. 7. diſp. 57. n. 9.*

Probabile etiam dicit *Sanch. loc. cit. diſput. 59. n. 4. & 12. Navar. conſil. 6. de Cognat. ſpir. Marant. in Medul. decret. verb. Cognatio ſpiritualis*, quod ſuſcipiens per procuratorem non cõtrahit cognationem, ſicut nec procurator illã contrahit: Quia principalis non levat de ſacro fonte, & talis actus videtur perſonaliter requiſitus, tam per ſacros *Can.* quàm per *Tridentin. Can. omnes quos. 30. quaſt. 1.* Procurator verò, quia pro alio tenet, non habet animum contrahendi cognationem ſpiritualem pro ſe, & ideò nullus illam contrahit. Sed principalem contrahere cognationem ſpiritualem decisũ per *S. Cong.* refert *Novar. l. cit. n. 13. Barboſ. in collect. bullarum verbo Cognatio ſpiritualis.*

Tandem probabile eſt, ſuſcipientem puerum in baptiſmo, non ſolemniter miniſtrato, non contrahere cognationem ſpiritualem: Quia adhibere ſuſceptorem eſt cęremonia ab Eccleſia inſtituta pro baptiſmo ſolemni, ut tenet *Sanch. diſput. 62. nu. 14.* videas *Novar. loc. cit. n. 7. Guttierez de matrim. cap 100. n. 7.* Hæc de impedimẽto cognationis ſpiritualis pro nunc ſint ſatis, licèt multa referendo non examinãdo, & aſſerendo dixerim, ſed in ſecũda parte hujus tractatus, iterũ de tali cognatione ſermo erit.

DI-

DISPUTATIO V.

De impedimento cognationis legalis.

DE adoptione, ex qua legalis cognatio oritur agemus infra in ſecũda parte hujus Tractatus, hìc tantùm de impedimento adoptionis, ſeù cognationis legalis, prout gradus continet breviter agemus. Sed ante omnia præmittenda eſt definitio cognationis legalis, ut dicenda ſine difficultate iñtelligantur.

Definitur legalis cognatio: *Eſt propinquitas ex adoptione proveniens*. Iſta cognatio legalis triplex eſt. Prima eſt in linea recta, inter adoptantem, & adoptatum, ac adoptati deſcendentes, *inſtit. de nupt.* §. *ergo non omnes. l. quin etiam. ff. de ritu nup.* Secunda eſt lateralis, ſeù in linea tranſverſa, inter adoptatum, & filios carnales adoptantis, *inſt. de nup.* §. *inter eas quoq; perſonas. l. per adoptionem. ff. de ritu nupt. cap. unic. de cognat. legal. can. per adoptionem. 30 quæſt. 3.* Tertia eſt per modum cujuſdã legalis affinitatis, ad ſimilitudinem naturalis affinitatis, & datur inter adoptantem, & uxorem adoptati, inter adoptatum, & uxorem adoptantis, *l. adoptivus. 14. ff. de ritu nup. D. Thomas in 4. diſt. 42. qu. 2. art. 3. in corpore. Sanch. lib. 7. diſput. 63. nu. 6. Guttier. de matrim. cap. 102. n. 4. Bonacin. de impedim. matrim. qu. 3. punct. 5. §. 3. n. 4.*

Quod cognatio legalis ſit impedimentũ dirimens matrimonium ex determinatione Eccleſiæ, patet ex *cap. unico. de Cognat. legali. can. ita diligere. 30. q. 3.* ibi: *Nec inter eos, qui natura, & eos, qui adoptione filii ſunt, venerãdæ Romanæ leges matrimonia contrahi permittunt.* Licèt igitur cognatio legalis civilibus legibus ſit introducta, à quibus etiam tale impedimentũ reperitur ſtatutum, tamen jure *can.* prædictæ leges ſunt approbatæ, *can. ita diligere. can. per adoptionem. 30. q. 3. cap. un. de Cognat. legali*, & convenientiſſimè ab Eccleſia ſtatutũ eſt, ut cognatio legalis dirimat ſubſequens matrimonium, quia ex ea oritur quædam conjunctio ſimilis conjunctioni naturali, cum adoptio ſit actus legitimus naturã imitans, *l. adoptiones. ff. de adop.* ubi *DD.* & quia inter conjunctas oritur quædam reverentia, ideò, ut talis reverentia ſervetur, & etiam ut amplius dilatetur amicitia, fuit determinatum, quod ma-

matrimonia cum extraneis contrahantur, & relinquantur taliter cognati.

Præterea lex *Levitico* 18. illas præcipuè perſonas prohibet ad invicem nubere, quæ ordinariè ſimul cohabitant, ne (ut inquit Rebi Moyſes) ſi apud eas carnalis copula liceret, facilis pateret concupiſcentiæ locus, & opportunitas, qua ratione ſicut humanis legibus fuit prohibitũ matrimonium inter tales perſonas, ita Sancta Mater Eccleſia ob eandem rationem tales leges approbavit. Sed

QUÆRES I.

An omnes tres enumeratæ ſpecies cognationis legalis impediant, & dirimant matrimoniũ, & uſque ad quem gradum?

OMnes impediunt, & dirimunt. Et quidem de prima ſpecie cognationis, ſcilicet in linea recta, nullus dubitat, quin ſubſequens matrimonium dirimat inter arrogantem, & perſonas arrogatas, atq; arrogati deſcendentes.. Difficultas tamen eſt de gradu, ideſt uſq; ad quem gradum extendatur talis prohibitio, ſeù tale impedimentum.

Aliqui uſque ad quartum gradum extendunt, ſicut uſque ad quartum gradum fuit reſtrictum impedimentum cõſanguinitatis, ut refert *Sanch. lib.7. diſput.63. n.32. Bonac. de impedim. matrim.q.3.punct.5.§.3.n.4.& 5. Leander par. 2. tract. 9. diſp.12. quæſt.28.*

Alii dicunt, quod cognatio legalis aſcendentium, & deſcẽdentium dirimit matrimonium uſq; ad ſecundum gradũ incluſivè: quia talis cognatio inferior eſt cęteris, & ſic minùs extendi debet, quàm vera conſanguinitas, adeoq; ſatis eſt ſi ſequatur impedimentum affinitatis ex copula illicita, ſe extendens uſque ad ſecundum gradum, ex *Trid. ſeſſ.24. cap.4. de reform. matrim.* ita *Diana par.9. tract.6.reſol.54.*

Alii quos citat, & ſequitur *Sanch.loc.cit.n.31.& 34.* tenent, quod talis cognatio dirimit matrimonium inter adoptantem, & adoptati deſcendentes in infinitum: intelligendo tamen de illis deſcendentibus, qui in poteſtate Filii adoptivi, dum fuit facta adoptio conſtituti erant, cum aliis verò deſcendentibus, qui extra poteſtatem Filii adoptivi erant tempore adoptionis poteſt matrimonium contrahi.

Probant, quia adoptata aliqua Perſona cenſentur adoptati omnes deſcendentes, qui in pote-

te-

teſtate adoptati reperiuntur tẽpore adoptionis, *l. ſi Pater familias. ff. de adop.* ſed cum adoptatis matrimonium contrahi non poteſt, ergo, &c. Cum deſcendẽtibus verò, qui tempore adoptionis reperiuntur extra poteſtatem Filii adoptati, poteſt optimè matrimonium cõſiſtere, quia illi non cenſentur adoptati, & ideò cum illis nulla cognatio naſcitur, quæ valeat matrimonium dirimere. Hac eadem ratione adoptans poteſt matrimonium contrahere cum Filia Filiæ adoptatæ, quia mulier non habet Filios in ſua poteſtate, *inſtit. de adopt.* §. *fœminæ*, & ideò quando mulier adoptatur ejus Filii non tranſeunt in poteſtatẽ Patris adoptantis, *Sanch. loc. cit. n. 35. Gabriel. à S. Vincentio de matrimonio diſput. 6. n. 94. in fine.*

Ex quo inferunt Patroni dictæ ſententiæ, quod legalis cognatio non poteſt dici reſtricta ad quartum gradum, ſicut dicitur reſtricta conſanguinitas, dato, quod conſanguinitas in linea recta etiam ſit reſtricta ad quartum gradum, quia *textus in cap. nõ debet. de conſang. & affin.* ſolùm loquitur de conſanguinitate, & affinitate; ergo non debet extẽdi ad cognationem legalem: aliàs poſſet etiam dici, quod cognatio legalis eſt reſtricta ad ſecundum gradum, ſicut ad ſecũdum gradum affinitas ex fornicatione, fuit reſtricta per *Trid. ſeſſ. 24. cap. 4. de reformat.* quod non eſt admittendum, licèt illam ſententiam defendat *Enriquez lib. 12. de matrim. cap. 12. n. 3.*

Ego tamen dicerem, quod in linea recta adoptionis datur impedimentum cum illis Perſonis, quæ ſub poteſtate adoptati reperiuntur tempore adoptionis; quia dictæ Perſonę ſimul cum adoptato tranſeunt ſub poteſtate adoptantis, & cum eis contrahitur cognatio legalis, ut probat *Sanchez loc. ſupra cit.* Undè nullo modo videtur dicendum, quod talis cognatio in linea recta dirimat matrimonium inter adoptantem, & adoptati deſcẽdentes in infinitum: Sicut nec eſt admittenda ſententia illa, quæ in tali adoptione reſtringit impedimentũ ad quartum gradum; nàm de gradu in iſto caſu non eſt habenda ratio, ſed de adoptione tantùm, nam poſſunt aliqui eſſe in eodem gradu, & tamen cum uno ex illis non datur impedimentum, ut eſt quando adoptatus habet unum Filiũ ſub ſua poteſtate, & alium Filiũ emancipatum, tunc cum Filio emancipato adoptans non contrahit cognationem legalẽ, nec cum illo impedimentum habet,

ſed

ſed tantùm cum illo, qui ſub poteſtate Patris adoptati erat, ut ex probatione adducta à *Sanch.* optimè probatur;ergo in iſto caſu nulla mentio facienda eſt de gradu.

Quantùm ad ſecundam ſpeciem cognationis legalis, quæ ſcilicet datur inter Filios legitimos, & naturales Patris adoptantis, & Filium adoptatum, *Speculator Joan. Andreas, Præpoſ.* & alii relati à *Sanchez lib. 7. diſput. 63. n.* 14. aſſerunt talem ſpeciem cognationis non dirimere, ſed tantùm impedire matrimonium, quia poteſt inter illos matrimonium ſubſiſtere facta ſolutione adoptionis per emancipationem, vel emancipato Filio naturali, ut patet ex *cap. un. de cognat. legali. can. per adoptionem. 30. qu. 3.* ergo non videtur impedimentum validum ad dirimendum matrimonium; nam fruſtra fit ſeparatio inter iſtos Fratres quando poſſunt ſtatim matrimonio copulari ſoluta Patria Poteſtate ex parte unius tantùm.

Dicimus tamen, quod talis ſpecies cognationis dirimit ſubſequens matrimonium, quia in *cap. unic. de cognat. legali* dicitur nuptias conſiſtere non poſſe inter Filium legitimum, & ſororē adoptivam, ſed verbum *non poſſe conſiſtere* ſignificat eſſe diſſolvendos, vel non poſſe permanere; ergo ſecunda ſpecies cognationis legalis, non eſt purū impedimentū impediens: Quod fuit etiam notatum à *gl. in d. cap. un.* ubi in fine dicit non obſtare impedimentum illud eſſe temporale, ſicut etiam hodie non poſſum matrimonium contrahere cum illa, quæ habet Virum, & cras potero mortuo Viro ſuo; ergo impedimentum temporale non facit, quod non ſit dirimens. Inſuper natura negationis eſt deſtruere totum id, quod poſt ſe reperit, & oppoſitum reddere, ut tradunt Summuliſtæ; ergo dum *Textus* dicit, quod nuptiæ *conſiſtere non poſſunt*, ly *non poſſunt* tollit potentiam, & reddit actum nullum. Hęc ſententia defenditur à multis Legiſtis, Canoniſtis, ac Theologis, quos citat, & ſequitur *Sanchez d. diſp. 63. num. 15. Oliver. Textor. de cognat. legali n. 30. & ſeq. Guttierez de matrim. cap. 202. n. 6.*

Quod ſi aliquis plures in Filios, & Filias adoptaret, tunc inter prædictos Filios adoptivos matrimonium conſiſtere poteſt, quia hoc nō invenitur jure prohibitum; prohibitio enim ſolum loquitur de filiis naturalibus, exiſtētibus ſub poteſtate, & adoptivis, non vero de adoptivis, & adoptivis, *gl. in cap. un. de cognat. legali. Bonac. de impedim. matrim. qu. 3. punct. 5. §. 3. n. 7.*

Quan-

Quantùm ad tertiam ſpeciem cognationis legalis,quæ ſcilicet datur inter adoptantem,& Uxorem adoptati, & inter adoptatũ, & Uxorem adoptantis aliqui innominati, apud *Hoſtien.in d.cap. un.*tenent illam non obſtare matrimonio contrahendo; quia de tali cognatione jus Canonicum nullam mentionem fecit, & impedimenta matrimonii tantùm à jure Canonico ſunt recognoſcenda, *Trid.ſeſſ.24.can.3.& 4.*

Communiter alii *DD.* tenent talem cognationem dirimere matrimonium, *Sanchez lib.7. diſput.63.n.13. Oliver. Textor.loc. cit. Pont.de matrim. lib.7.cap.41.* Ratio eſt quia cognatio legalis, licèt ſit introducta de jure Civili, eſt tamen approbata à jure Canonico: Nam in *can.ita diligere.30.qu.3.* approbatur prima ſpecies cognationis legalis in linea aſcendentium: *In cap.un. de cognat. legali. & can.per adoptionem.30.qu.3.* approbatur ſecunda ſpecies cognationis legalis, ſcilicet in linea tranſverſali: De tertia verò ſpecie cognationis legalis non reperitur expreſſa approbatio in jure Canonico, ſed quia Rubrica juris Canonici de cognatione legali generalis eſt, ideò omnes ſpecies cognationis legalis ſub illa intelliguntur comprehenſæ, cum eadem ratio in omnibus militet. Et hodiè conſuetudine Eccleſię dictas tres ſpecies eſſe approbatas tradunt, *Guttier. loc.cit. D.Thomas*, & alii relati à *Sanch. loc.cit.n.17.*

QUÆRES II.

An cognatio legalis ſuperveniens matrimonio jam contracto, vel ſponſalibus, ſit aliquod impedimentum?

ETſi in aliis impedimentis ſimplicitèr dirimẽtibus verificetur, quod ſi præcedit, impedit, & dirimit matrimonium, ſi ſubſequitur tantùm impedit uſum matrimonii, ſcilicet debiti petitionem; tamen hoc verificari non poteſt in adoptione: Quia in aliis impedimentis reperitur *Textus* id determinans; at in cognatione legali talis *Textus* non reperitur, ut concludit *Sanch.lib.7.diſput.63.n.19.*

Verùm tamen eſt, quod cognatio legalis ſuperveniens ſpõſalibus illa dirimit, quia cum ſponſalia ſint futuri matrimonii promiſſio,ſemper ac aliquod impedimentum dirimens ſupervenit ante contractionem matrimonii,facit, quod matrimonium contrahi non poſſit, & ſi contrahitur diſſolvitur, ſicut ſi ſponſalibus ſuperveniret affinitas, vel aliud impedimentum, *Guttier.de matrim.cap.202.n.9.& ſeq.*

QUÆ-

QUÆRES III.

Quamdiù durat impedimentum cognationis legalis.

IMpedimentum Cognationis legalis in prima ſpecie, ſcilicet in linea recta, eſt perpetuum, & durat etiam ſoluta adoptione; quod etiam de tertia ſpecie Cognationis legalis dicimus. Undè etiam ſoluta adoptione non poteſt adoptatus cum adoptante, vel ejus Uxore, ſicut nec adoptans cũ adoptatis, vel Uxore adoptati matrimonium contrahere. Quantùm ad primam ſpeciẽ patet ex *l. quin etiam. 55. ff. de ritu nupt. inſtit. de nupt. §. ergo non omnis.* Quantùm ad tertiã ſpeciem patet ex *l. adoptivus.* 14. *ff. de ritu nupt. Pontius de matrim. lib. 7. cap. 41. n. 3.*

Solùm ſecunda ſpecies cognationis legalis, quæ datur inter filios carnales adoptantis, & filios adoptivos, non eſt impedimentum perpetuum, ſed durat quamdiù manet patria poteſtas, vel reſpectu filii legitimi, & naturalis, vel reſpectu filii adoptivi; undè ſoluta patria poteſtate, vel ex parte utriuſq; vel ex parte unius tantùm, poteſt inter illos matrimonium contrahi, *cap. unic. de cognat. legal. can. per adoptionem. 30. q. 3. l. per adoptionem. 17 ff. de ritu nupt. inſtit. de nupt. §. inter eas. Oliver. Textor. de cogn. legal. n. 30. & ſeq.*

Ratio autem quarè prima, & tertia ſpecies cognationis legalis perpetuò impediunt, ſecùs verò ſecunda ſpecies, deſumi poteſt ex reverentia, quã exhibere debet adoptatus cum ſua uxore, adoptanti, & uxori illius, quæ perpetua eſſe debet. Ceterum impedimentum in ſecunda ſpecie non provenit ex reverentia, ſed ratione filiationis, quæ ex adoptione provenit, ideò illa ſoluta ceſſat impedimentum. Ita *Sanch. lib. 7. de matrim. diſput. 63. nu. 24.* Melius tamen dixiſſet, quod impedimentum in ſecunda ſpecie provenit ex Fraternitate, quæ ex adoptione conſurgit, & parit aliquod civile vinculum, quod durat inter filios naturales, & adoptivos durante patria poteſtate.

Ex dictis infertur primò, quod inter adoptantem, & parentes filii adoptivi, nulla legalis contrahitur cognatio, & ideò inter illos poteſt contrahi matrimonium, ita 20. *Doctores* quos citat, & ſequitur *Sanch. loc. cit. n. 26. Perez de matrim. diſput. 30. ſect. 3. n. 5.*

Infertur ſecundò, quod inter filium legitimum, & naturalem ado-

adoptantis, & filiam filiæ adoptatæ poteſt matrimonium contrahi, quia nullo vinculo colligantur, *Chriſtoph. Port. in tit. de nup. §. fratris. in princip.* Ratio eſt, quia filia filiæ adoptatæ non eſt ſub poteſtate matris, ideò nec etiam eſt ſub poteſtate adoptantis matrem: Deficiente autem patria poteſtate etiam ex parte unius poteſt matrimonium contrahi, ut dictum eſt.

Tertiò infertur, quod quando quis plures in filios adoptavit, nulla cognatio datur inter iſtos fratres adoptivos, quia leges tantùm cognationem ponũt inter adoptatum, & filios legitimos, ac naturales adoptantis, adeoq; quando omnes ſunt filii adoptivi inter illos nulla legalis cognatio datur, licèt omnes ſint ſub poteſtate ejuſdem patris adoptantis: & ita inter illos, & inter eorum filias poteſt matrimonium conſiſtere, ſicut etiã inter filios ſpirituales ejuſdem patris ſpiritualis poteſt matrimonium contrahi, non enim impedimenta ex ſola ſimilitudine rationis inducenda ſunt. Ita cõmuniter *DD.* quos citat, & ſequitur *Sanch. d. diſput. 63. nu. 28. Bonac. de cognat. legali n. 7.* contra *Angelum*, *Aſtens. Petrum de Ledeſma, & Barthol. à Ledeſma.*

Quartò infertur, quod inter filiũ adoptivum, & filiam naturalem tantùm adoptantis poteſt matrimonium contrahi; quia dicta filia naturalis non eſt ſub poteſtate patris; ſed per leges cognatio iſta legalis ſolùm datur inter illos filias, qui ſunt ſub patria poteſtate; ergo, &c. Præterea deficiente patria poteſtate, ſaltèm ex parte unius ex filiis, deficit impedimentum, ut dictum eſt, ſed reſpectu filiæ naturalis deficit patria poteſtas; ergo, &c. *DD.* videri poſſunt apud *Sanch. loc. cit. n. 30. Bonacin. loc. cit. n. 8.*

Ex iſtis rationibus etiam infertur, quod poteſt adoptans matrimonium contrahere cum filia illegitima ſui filii adoptivi, quia reſpectu illius deficit patria poteſtas, ita *Sanchez loc. cit. n. 36.* Alia de adoptione habebis in ſecunda Parte hujus Tractatus.

§. *II.*

De diſpenſationibus matrimonialibus.

IN hoc ſecundo §. ponitur ſecundus caſus, in quo neceſſaria eſt ſcientia cognationum, & numerationis graduum: ſine enim tali ſcientia non poſſunt rectè exprimi gradus cognationũ in Romana Curia pro obtinendis diſpenſationibus in impedimentis provenientibus à cõſanguinitate, vel affinitate, quia ut dicit *Jacobus Pignatelli to.7 conſult.22.n.11. Nonnunquam notæ transmittuntur ad Romanam Curiam ſub multis obſcuritatibus, & æquivocis, quæ non poſſunt explicari, ac reſolvi ab expeditoribus, qui coguntur differre negotium uſq; ad dilucidationem expectandam de partibus, aut expedire cũ periculo gravium errorum, & expenſarum notabili detrimento, ideò viſum eſt opportunè monere, ut in ſimilibus caſibus conficiantur arbores ſcalarum provenentiarum, & tranſmittantur ad Curiam, ubi poſſint examinari à peritis.* Clarius fuit loquutus *Pyrrbus Corrado in prax.diſpenſ. Apoſt.lib.7.cap.* 1. ubi inquit: *Quæ in bumanis actibus ſi perperam fiant, mala, atq; incommoda reperiuntur, ea omnia in ſolam ferè diſpenſationũ matrimonialium executionem, niſi ritè, rectèq; perficiatur acervatim (ut ita dicam) confluunt, & cumulantur: Nemo quandoquidem eſt qui neſciat, quænam ex hoc primo malo, incommoda ceu venenato fonte procedunt. Enimverò hinc natalium defectus in prole, hinc iniquæ ſucceſſiones, atq; promotiones, cæteraq; ad optimum finem minimè conducentia.*

Ut igitur omnia iſta ma la in futurũ effugiantur, claram aperire viam, Divina favente ope, propoſui pro diſpenſationibus matrimonialibus impetrãdis, ac exequendis, ut ita quilibet valeat claram, & diſtinctã ad Rom. Curiã tranſmittere notã gradus cujuſcũq; cognationis, & ut procuratores, vel ſcriptores effugiãt pœnas, quæ à Pio V. ſtatutæ reperiuntur in Bulla motu proprio edita die 5. Decembris 1566. incipit *motu proprio*, ubi puniuntur pœna falſi, & citari poſſunt per edictum omnes procuratores, ſcriptores, &c. qui propriæ ſalutis immemores, ut faciliùs diſpenſationes matrimoniales, & alias gratias, & conceſſiones obtineant, gradus conſanguinita-

tatis, vel affinitatis, aut cognationis ſpiritualis, ac ſcientiam illorum, aliter quàm eis à principio ab ipſis partibus ſignificatũ, vel narratũ fuerit exponunt.

Mea tamen intentio non eſt in præſenti tractatu totam materiam diſpenſationũ matrimonialium contexere, quia de hac re optimè ſcripſit *Sanch. lib. 8. & Pyrrhus Corrad. lib. 6. diſpenſ. Apoſtolic.* ſed tantùm tradam ea, quæ expreſſionem graduum, & cognationum continent, prout hodiè in praxi ſervatur, quod tam Oratoribus, quàm Exequutoribus diſpenſationum utile erit. Sed quia faciliùs intelligũtur quę ordinatè traduntur, ideò pro vero ordine ſervando ſit.

DISPUTATIO I.

De poteſtate diſpenſandi in impedimento Cognationis.

IN præſenti Diſputatione generaliter inquirimus de poteſtate diſpenſandi in impedimento Cognationis, quod nomē generale eſt continens ſub ſe cognationem Naturalem, Civilem, Mixtam, & Spiritualem, & quia iſta impedimenta matrimonium dirimentia, alia ſunt de jure Divino, & naturali ſtatutá, alia ſolo jure Humano, ideò in præſenti diſputatione tantùm examinabo poteſtatem diſpenſandi in dictis impedimentis; in ſequētibus verò examinabimus in quibus gradibus diſpenſari poteſt, quibus ex cauſis, quomodo ſit faciēda expreſſio graduũ, & cognationum in Romana Curia, & quomodo ſit facienda executio diſpenſationis, cum aliis ad iſta pertinētibus. Undè

QUÆRES I.

An Summus Pontifex habeat facultatem diſpenſandi in impedimentis Divino, & Naturali jure matrimonium dirimentibus.

PRo reſolutione pręſētis quęſiti eſt ſupponendum, quod duplex jus Divinum Naturale datur. Primum eſt, quod prærequirit actum humanæ voluntatis, quo ſuppoſito, obligatio ex illo actu conſurgens dicitur juris Naturalis Divini, ſicut eſt obligatio voti, & juramenti, nã facere votum, vel juramentum pendet à voluntate Voventis, vel Jurantis, obſervatio tamen voti, vel juramenti eſt de jure

Naturali Divino *Deuteronom*. 23. *n.*21. ibi: *Cum votum voveris Domino Deo tuo non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus, & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri abſq; peccato eris. Quod autem ſemel egreſſum eſt de labiis tuis, obſervabis, & facies ſicut promiſiſti Domino Deo tuo, & propria voluntate, & ore tuo locutus es.* Et *Numer. cap.* 30. *n.*3. ibi: *Iſte eſt ſermo, quem præcepit Dominus: ſiquis virorum votum Domino voverit, aut ſe conſtrinxerit juramento, non faciet irritum verbum ſuum, ſed omne, quod promiſit implebit.*

Secundum eſt jus Naturale Divinum, quod non prærequirit actum humanæ voluntatis, ſed tantùm ex Divino arbitrio derivatur, & hoc vel dicitur jus *Divinum Naturale*, vel jus *Divinum Poſitivum*: nam ſi Deus præcipit id, quod lege naturali præceptum erat, dicitur jus *Divinum Naturale*; ſi verò præcipit, quod naturali lege ſancitũ non erat, tunc dicitur jus *Divinum Poſitivum*; ut dictum eſt ſupra in *cap.*1. §.1. *diſp.*1. *qu.*4. *fol.* 18. *colum.*1.

In primo jure Naturali Divino poſſunt Prælati diſpenſare non tollendo jus Divinum, ſed tollendo fundamentum obligationis, quam homo actu humano ſibi impoſuit, quo fundamento ſublato, evaneſcit juris Divini obligatio circa illud votum, *D. Thom.*2.2. *quæſt.*88. *a.*10. *ad* 2. & patet ex *lib. Numer. cap.* 30. ubi pater poteſt irritare vota filiorum, & maritus vota uxoris.

Tota difficultas eſt de jure Naturali Divino abſoluto, an Pontifex poſſit in illo diſpẽſare.

Circa iſtam difficultatem tres reperiuntur ſententiæ, ut refert *Sanch. lib.*8. *de matrim. diſp.*6. *n.*3.

Prima tenet Pontificem poſſe diſpenſare in omni jure Divino præter fidei Articulos, ita *Abbas in cap. propoſuit. n.*20. *de conceſ. preben. Dec. conſ.*112. *n.*3. *vol.* 1. *Royas epit. ſucceſſ. cap.*23. *n.*71. Quam opinionem omninò rejiciendam dicit *Sanch. loc. cit.* cum ſit à veritate aliena.

Secunda ſententia tenet Pontificem in jure Naturali Divino propriè diſpenſare non poſſe, ſed tantùm poteſt authoritativè declarare illud jus in tali caſu non obligare. Ratio eſt, quia propriè diſpenſare, eſt tollere, & relaxare obligationem legis, ſeu clarius, diſpenſare circa leges eſt quando data obligatione legis ab ea aliquis eximitur, hoc autem à ſolo ſuperiore, & conditore legis fieri valet, aliàs ſi admitteretur in Pontifice facultas di-

diſpenſandi in uno jure Divino eſſet admittenda in omni jure Divino, cum non ſit major ratio in uno, quàm in alio. Hoc autem nullatenùs eſt admittendum, quia lex Naturalis Divina, humanis magiſtratibus eſt propoſita tanquam certa, & immota regula: quæ certitudo, & immobilitas regulæ, non haberetur, ſi admitteretur in Pontifice facultas diſpenſandi. Ita *D. Thom.* & alii 19. *Doctores* relati à *Sanchez loc. cit. n. 4. Covar. 4. decretal. par. 2. cap. 6. §. 10. nu. 3. & 4.* ubi nervosè hanc ſententiam defendit *Lancellot. Corrad. in templo omniũ judicum lib. 2. cap. 1. §. 4. tit. Papæ poteſtas in matrim. n. 11.* Conceditur autem Pontifici authoritativa interpretatio in aliquo caſu particulari non tanquam actus prudentię, & doctrinę, quia talis interpretatio ab omnibus Viris doctis fieri valet; ſed conceditur talis interpretatio tanquam actus juriſdictionis, quia ille, qui à Pontifice obtinuit diſpenſationem redditur omninò tutus, ac certus, quod Viris doctis non competit.

Tertia ſententia defendit Põtificem aliquando poſſe diſpenſare in jure Naturali Divino, in quantùm per veram diſpẽſationem in aliquo caſu particulari ex urgenti cauſa poteſt tollere obligationem illius legis, non tamen poteſt in univerſum obligationem juris tollere, & jus illud abrogare. Ratio eſt, quia ſicut pro recta Eccleſiæ gubernatione cõceſſa intelligitur Prælatis inferioribus facultas verè, & propriè diſpenſandi in legibus Pontificiis, non in univerſum, ſed in aliquo caſu particulari, quando neceſſitas occurrit: Ita propter eandem rationem, etiam intelligi debet conceſſa facultas Pontifici diſpenſandi in lege Naturali Divina, non in univerſum, ſed in aliquo caſu particulari ex urgenti, & rationabili cauſa. Ita 16. *DD.* relati à *Sanch. lib. 8. diſp. 6. nu. 5.* cui tanquam probabiliori *Sanch.* adhæret, ſed eſt ſibimet contrarius, nam ibidem *n.* 10. dicit: *Veriſſima tamen ſententia eſt in nullo impedimento jure Divino Naturali matrimonium dirimens poſſe Pontificem diſpenſare, nec in caſu aliquo ſpeciali, excepto voto ſolemni Religionis.*

Ad cognoſcendum autem quænam ſint præcepta Naturalia Divina, in quibus Pontifex diſpenſare non poteſt, & quænã ſint illa, in quibus valet diſpenſare, hæc traditur regula. Præcepta Naturalia Divina, quæ nullum ſalutis detrimentum afferre valent, diſpenſationem nõ

re-

recipiunt: Præcepta verò quæ, in aliquo caſu ſolent majus bonum impedire, & in ſalutis ſpiritualis detrimentum vergere, diſpēſationem admittunt in aliquo caſu particulari, juſta exiſtente cauſa, licèt ſecundùm ſe dedeceat illa non implere.

Primi Generis ſunt præcepta Confeſſionis, Baptiſmi, circa quæ Chriſtus non reliquit Eccleſiæ poteſtatem diſpenſandi, quia non expediebat. Quamvis Eccleſia ſit domina utilis Sacramentorum quantùm ad illorum adminiſtrationem. Similitèr non datur diſpenſatio, ut mutentur formæ Sacramentorum, ne filius veneretur parentes, nec datur diſpenſatio in fornicatione, &c.

Secundi generis ſunt Votum, Juramentum, circa quæ Eccleſiæ intelligitur relicta poteſtas verè diſpenſandi in uno, vel altero caſu, quando id, ad majus bonum conducit; ſimiliter præceptum, quod Epiſcopi habent de reſidendo eſt juris Naturalis Divini, in quo Pontifex diſpenſare poteſt. Ita Magiſter *Canus*, & *Catharinus* relati à *Sanchez lóc.cit.n.5.& 6.*

Advertas tamen, quod non ſemper Pontifici intelligitur cōceſſa facultas diſpenſandi in illis præceptis, quæ in aliquo caſu particulari ſolent majus bonum impedire, præſertim quādo huic particulari bono præponderat inviolabilis illius præcepti cuſtodia, ne aperta diſpenſandi via paſſim in tali præcepto diſpenſetur. Hujuſmodi eſt præceptum prohibens, pluralitatem uxorū, in quo Pontifex diſpenſare non poteſt, quia licèt Deus prævideret poſſe occurrere caſus, in quibus diſpenſatio expediens, & rationi conſona eſſet, tamen huic bono præponderat illius præcepti cuſtodia. Similiter, quamvis poſſit occurrere caſus, in quo diſpēſatio in impedimēto juris naturalis eſſet bono communi expediens, & valdè neceſſariâ, ut in matrimonio inter patrem, & filiam, fratrem, & ſororem; tamen ſi talis facultas diſpenſandi eſſet à Deo conceſſa Eccleſiæ, multi inceſtus inter patres, & filias, fornicationes inter fratres, & ſorores paſſim conſurgerent, ſpe obtinendæ diſpenſationis ad contrahendum matrimonium, vel ſaltem adeſſet timor tanti ſceleris: ideò dicendum, quod in hoc caſu Deus talem poteſtatē diſpenſandi Eccleſiæ denegavit, & tantùm facultatē dicta matrimonia ineundi conceſſit, quando eſſet neceſſitas conſervationis Generis humani, qua ratione aliqui Sancti Patres excuſant à culpa filias

Loth,

Loth, quæ à patre fuerunt carnaliter cognitæ, ut dictum eſt ſupra in *§.1.diſput.1.quæſito 1.in fin. Sanch.lib.8.de matrim.diſput. 6.n.10. Bonac. de impedim. matr. qu.4.pun.15.n.1.*

An autem valeat Pontifex diſpenſare in impedimentis cõtentis in *Levit.* 18. patet ex dictis *loc.ſupr.cit.quæſito 4.& 5.*

QUÆRES II.

An Summus Pontifex valeat diſpenſare in impedimentis jure humano dirimentibus?

IN dubium revocandum non eſt, poſſe Pontificem in dictis impedimentis diſpenſare, ut patet ex *Trident.ſeſſ.24.can.3.& de reformat. cap.2. & ſeq. Pignatel. tom.3. conſult.33.n.15.* nam qui legem fecit poteſt illã tollere, & eadem authoritate, qua lex fuit lata, eadem, vel majori tolli poteſt, *cap. innotuit.20.§.quamvis.de elect.* ibi: *Quamvis autem Canon Lateranen.Concilii ab Alexandro prædeceſſore noſtro editus, non legitimè natos adeo perſequatur, quod electionem talium innuit nullam eſſe, nobis tamen per eum adempta non fuit diſpenſandi facultas, cum ea, non fuerat prohibentis intentio, qui ſucceſſoribus ſuis nullum potuit in hac parte præjudicium generare, pari poſt eum, immò eadem poteſtate fungenturis, cum non habeat imperium par in parem, &c.* Et quia impedimenta jure humano dirimentia dicuntur jure communi introducta, ideò tantùm Pontifex, qui poteſt jus commune tollere, vel in tali jure diſpenſare, valet etiam in dictis impedimentis dirimentibus diſpenſare, ita 13. *DD.* relati à *Sanch.lib.8.diſput.6. n.14. Lancellot.Corrad. in templo omnium judicum lib.2. cap.1. §.4. tit. Papæ poteſtas in matrimonio n.11. Bonac. de impedim.matrim. qu 4.punct.15.n.2.*

An autem Epiſcopus valeat in dictis impedimentis diſpenſare, & an Pontifex ſine cauſa poſſit in illis diſpenſare infra erit ſermo.

QUÆRES III.

An Pontifex poſſit diſpenſare in radice matrimonii irritè cõtracti, efficiẽdo diſpenſationẽ retrotrahi, & ita legitimare prolem antea habitam, quo ad ſpiritualia, & temporalia?

UT certum communiter à *DD.* aſſeritur (paucis tamen exceptis) quod ſicut Princeps ſecularis non poteſt legitĩmare quo ad Eccleſiaſtica, quia caret Eccleſiaſtica juriſdictione,

can.

an.lege.diſt.10.cap.per venerabilem. qui filii ſint legitimi, *Peregrinus de fideicom. art.23. n.10.* ita nec Summus Pontifex poteſt legitimare, quo ad bona temporalia, & officia ſecularia extra loca ſuæ juriſdictionis, ut tradit *Sanch. lib.8. de matrim. diſput.7. n.1. Peregrin. de fideicom.art.23. n.1.* Undè *Nicolaus de Milis in ſuo repertorio verbo* Papa *ex doctrina Romani conſil. 200.* dicit: *Quod Papa licet hodiè habeat monarchiam totius mundi, & utrũq; gladium, tamen non poteſt legitimare ad ſucceſſionem hæreditatũ, niſi in terris ſibi ſubiectis, quo ad temporalem juriſdictionem: quod confirmatur ex d.cap.per venerabilem.& cap.cauſam quæ.7.qui filii ſint legitimi.*

Quod Pontifex poſſit in terris Imperii legitimare baſtardos, quo ad temporalia tenent *Hoſtien.in d.cap.per venerabilem.* illumq; ſequitur *Jo:Cal.conſ.3. qui filii ſint legitimi.* Alii diſtingunt, quod in his, quæ ſunt adhæſibilia Perſonæ, puta quod quis poſſit eſſe teſtis, vel Judex, quod poſſit honores, & dignitates habere; admittitur, qui per Papam legitimatur, quia per hoc non fit alteri præjudicium. Quo ad alios verò effectus Perſonæ non adhæſibiles, & alteri præjudiciales, ut in ſucceſsione hæreditatis, &c. non admittitur legitimatus per Pontificem. Hanc diſtinctionẽ amplectitur *Peregrin. loc.cit.nu.4. & 5. & nu.12.* dicit, quod Imperator, quo ad honores, & dignitates ſeculares legitimat quoſcumque, & ubique locorum.

Hæc autem vera eſſe intelliguntur quando Papa non diſpẽſat in radice matrimonii, ſed tãtùm Prolem Natalibus reſtituit, geniture maculam abolendo, quia ſi Papa in radice matrimonii diſpenſaret, tunc ſuccederet, ut filius legitimatus per ſubſequens matrimonium, & haberetur, ut filius verè legitimatus, & non diſpenſatus, quia ut dicit *Peregrin.loc.cit. n.33. & ſequent.* quando omnia jura legitimatis conferũtur dicitur legitimatus, quando verò aliqua conferuntur, & aliqua non, dicitur diſpẽſatus, videas *Pignatel. to.1. conſult.21.num.9.*

Difficultas igitur in præſenti eſt, an ſaltem indirectè valeat Pontifex Perſonas ſuæ juriſdictioni temporali non ſubjectas legitimare, etiam quo ad bona temporalia, diſpenſando ſcilicèt in radice, ideſt origine, & initio matrimonii irritè contracti, revocando impedimentum, quod ipſum irritavit, ac ſi nunquam irritaſſet, & faciendo, ut filii na-

ti

ti ex matrimonio nullo, legitimi habeantur per ſubſequentem diſpenſationem matrimonialẽ, quoad omnia, ita ac ſi à principio eſſent nati ex valido matrimonio.

In hac magna, & celebri controverſia nõ concorditer loquũtur *DD.* quorum tamen dicta ad tres diſtinctas ſententias reduci poſſe videntur.

Prima ſententia aſſerit, Pontificem non poſſe diſpenſare in radice matrimonii, & ſic indirectè legitimare filios, qui ante diſpenſationẽ ex matrimonio nullo ratione impedimenti dirimẽtis procreati erant, ut videre eſt apud *Sanch. lib. 8. de matrim. diſp. 7. n. 3. & in addit. ad Navar. lib. 4. conſil. 2. tit. qui filii ſint legitim.* habetur *Gregor. 13. menſe Novẽbris 1584. negaſſe petitam hanc diſpenſationem, ac addidiſse ſe non poſſe diſpenſare.*

Probant primò, quia Pontifex non poteſt facere, quod factum non ſit factum, juxta *tex. in l. in libello. §. factæ. ff. de capt. & poſtlim. reverſ. can. ſi Paulus. 32. qu. 5.* imò nec etiam Deus poteſt id facere, quia contradictionem implicat. Et licèt Papa, vel Imperator poſſit inducere fictionem, aut prẽſumptionẽ alicujus actus, qui verè non fuit factus, ut fingatur, vel prẽſumatur factus, *cap. is, qui. & cap. tua. de ſponſal. Bart. in l. ſi. is qui pro emptore. ff. de uſucap.* & patet ex *l. poſtliminium. ff. de captiv.* ubi qui revertitur ab hoſtibus fingitur nõ captus, ſicut qui apud hoſtes moritur fingitur mortuus ipſa hora captivitatis; non tamen poteſt facere, quod verè non fuerit captus, quia id contradictionem implicat. Sed filii jam nati ex matrimonio nullo ratione impedimẽti dirimentis jam ſunt illegitimi; ergo Pontifex per ſuam diſpenſationem non poteſt facere, quod illi illegitimi non ſint, nec poteſt reparare damna, quæ ex illegitimitate proveniunt, niſi tantùm in locis ſibi temporaliter ſubjectis.

Probant ſecundò, quia diſpẽſare in radice matrimonii, vel eſt efficere, ut matrimoniũ reddatur ab initio validum, vel eſt tollere effectus ex matrimonio irrito productos. Primum dici non poteſt, quia id Pontificiæ poteſtati non ſubeſt; immò nec poteſt facere, ut ſit validum à tẽpore diſpenſationis conceſſæ, cũ requiratur novus contrahentiũ conſenſus. Secundum fieri non poteſt extra loca propriæ juriſdictionis temporalis, quo ad effectus civiles, licèt quoad Eccleſiaſticos effectus fieri valeat.

Secunda ſentẽtia tenet, quod

P filii,

filii, qui nati ſunt antequã uterq; conjugum ſciret impedimentũ, dicuntur, & ſunt legitimi abſq; ulla Papæ diſpenſatione, quia ignorantia impedimenti efficit filios legitimos, quando matrimonium eſt contractũ factis debitis denunciationibus, & nullo apparente denunciatore, ut clarè probatur in *cap. 2. cap. referente. & cap. ex tenore. ubi gl. qui filii ſint legitimi*. Illi verò filii, qui concepti, & nati ſunt poſtquam uterq; parentum notitiam impedimenti habuerunt, per Pontificem legitimari non poſſunt, ita ut ſint legitimi à tempore, quo fuerunt concepti, & nati per approbationem matrimonii factã à Pontifice, quod probant rationibus ſupra adductis pro prima ſententia, quibus addi poſſunt illæ, quæ adducuntur à *Navar. conſil. 2. n. 2. & ſequentibus, qui filii ſint legitimi.*

Tertia ſententia docet, poſſe Pontificem diſpenſare in radice matrimonii, & facere, ut filii antea nati ſint legitimi quoad Eccleſiaſtica, & ſecularia, nõ ſolùm in terris ſuæ juriſdictioni ſubjectis, ſed etiam in terris imperii, quando iſta concurrunt. Primò, quod filii ſint nati affectu maritali, & quod inter genitores poſſit matrimonium contrahi ſaltem tempore conceptionis filii; quia ſi ſunt nati ſine conjugali effectu, ut ſunt filii ſpurii, adulterini, &c. non poſſunt legitimari per ſubſequens matrimonium, nam tunc deficit conſenſus matrimonii contrahendi, & Papa ſua diſpenſatione defectum conſenſus ſupplere non poteſt, *cap. tanta. qui filii ſint legitimi*. Poſſet tamen Pontifex ſpecialiter illos legitimare, vel quoad ſpiritualia, & Eccleſiaſtica tantùm in terris imperii, vel quoad omnia in terris ſibi ſubjectis, *cap. per venerabilem. 13. qui filii ſint legitimi. Calder. relatus à Nicolao de Milis in ſuo repertorio, Verbo, Papa an poſſit in terris imperii*. Secundò requiritur, quod impedimentum dirimens non ſit Naturale Divinum, ſed ſit impedimentum jure Pontificio introductum, quia quando impedimentum eſt de jure Naturali Divino, Pontifex diſpẽſare non valet, ut ſupra dictum eſt. Quando verò impedimentũ eſt de jure Pontificio, tunc poteſt Pontifex diſpenſare, & impedimentum tollere, & ita poteſt in radice matrimonii diſpẽſare, ut tenent multi relati à *Sanch. lib. 8. diſput. 7. n. 4. Navar. lib. 4. conſil. 2. qui filii ſint legitimi.*

Nec facilem putes reſolutionem præſentis difficultatis (ut quidam arbitrati ſunt) ea ſola ra-

ratione, quia filii nati ſine matrimonio ex ſolo concubinatu, licèt illegitimi dicantur, tamen ſi eorum parentes matrimonio copulentur, per illud ſubſequẽs matrimonium filii legitimi habentur, quia affectu maritali, & ad inſtar uxoris fuit habita mulier, ut expreſsè patet ex *cap. cõqueſtus. 1. cap. cum inter. 2. cap. cauſam quæ. 4. & cap. tanta. 6. qui filii ſint legitimi.* (de qua legitimatione per ſubſequens matrimonium videri poteſt *Petrus Advenas regula 350.*) Ergo etiam filii nati ex matrimonio nullo ratione impedimenti dirimẽtis, licèt ſint illegitimi, *cap. referente. 10. qui filii ſint legitimi*, tamen poſita diſpenſatione Pontificis, per quam matrimonium convalidatur, filii illi legitimi habendi ſunt; cum tanta ſit vis matrimonii, ut qui antea ſunt geniti, poſt contractum matrimonium legitimi habeantur *d. cap. tanta*, & expreſsiùs de cõprobatione matrimonii nulli poſt nativitatem filiorum, loquitur *textus in cap. quod nobis. 9.* ibi: *Si qui autem de clandeſtino matrimonio poſtmodũ ab Eccleſia comprobato generati fuerint, eos legitimos judices filios, & hæredes. qui filii ſint legitimi*. Quę verba *textus* nõ intelliguntur de filiis natis poſt approbationẽ, quia de hoc nulla eſt difficultas, ſed de natis ante approbationẽ, ut dicit *gl. fin. ibidẽ*, & tenent multi relati à *Guttier. de matrim. c. 72. n. 2. §. 3. ſententia.*

Non inquam facilem putes: quia nõ negamus virtutem matrimonii ſe extendere ad filios antea natos, illoſq; legitimare, quando nullum aderat impedimentum contrahendi matrimonium, quia tunc filii nati dicuntur naturales tantùm, & ita per ſubſequens matrimonium legitimari poſſunt. Verùm nos loquimur quando ſcienter conjuges illi matrimonium contraxerunt cum impedimento dirimẽte, & prolem ſuſceperunt; vel ſtante impedimento dirimente, copulam mala fide habuerunt, & filios procrearunt, nam tunc filii non dicuntur naturales, ſed inceſtuoſi, vel, ut alii dicunt, Spurii; & iſti per ſolùm ſubſequens matrimonium, vel per ſolam convalidationem matrimonii, aut diſpenſationem non legitimantur, *cap. tanta. ubi Abb. qui filii ſint legit. Peregr. de fideicom. art. 24. n. 49. & 52.* & patet ex *deciſ. Rotæ 207. p. 1. diverſ.* cujus verba referũtur à *Pyrr. Corrad. in Praxi diſpenſat. Apoſtolic. lib. 8. cap. 2. n. 30.* & ſunt: *Domini tenuerunt diſpenſationem ad effectum legitimationis filiorum valuiſſe, quia gratia Pœnitentiariæ*

continebat duo æque principaliter, mandatum videlicet de diſpenſando, ut Jo:Baptiſta, & Angela manerent in matrimonio contracto, non obſtante quarto conſanguinitatis gradu, quo erant conjuncti, & de legitimando filios jam natos: qui filii jam nati ſtante prædicto conſanguinitatis impedimento, non efficiebantur legitimi ob legitimũ matrimonium ſubſequutum.

Hinc patet, quod quando ſciẽter matrimonium cõtrahitur cũ impedimento dirimente, tunc filii inceſtuoſi ex dicto matrimonio nati non legitimantur per ſubſequentem diſpenſationem, & convalidationem matrimonii; ſicut filii ante matrimonium nati per copulã ſcienter inceſtuoſam, non legitimantur per ſubſequens matrimonium contractũ mediante diſpenſatione Papæ, ſed ulterius requiritur alia diſpenſatio Pontificis, reſpectu illegitimitatis, ut patet ex verbis *Diſpenſationis*, quæ referuntur à *Pyrro Corrad. l.cit.cap.* 1 *n.* 7. ibi: *Matrimoniũ inter ſe publicè ſervata forma Concil. Trid. contrahere, illudq; in facie Eccleſiæ ſolemnizare, & in eo poſtmodum remanere liberè, & licitè valeant, dicta authoritate diſpenſes, prolẽ ſusceptam ſi qua ſit; & ſuſcipiendam exinde legitimam decernendo, &c.* & in multis aliis diſpenſationibus ita legitur.

Idem dicas quando copula fuit habita inter cognatos, vel affines bona fide, ſeù probabiliter ignorantes ſe eſſe cognatos, vel affines, quia in diſpenſatione obtinenda eſt facienda mentio, quod copula fuit ignoranter habita, & diſpenſatio conceditur cum iiſdem clauſulis, cum quibus datur quando copula fuit ſcienter habita, ut dicit *Corrad. l.cit.n.*32. *&* 33. qui *cap.*2. *n.*35. explicando illa verba diſpenſationis, *Legitimam decernendo*, dicit: *Non enim ſufficit diſpenſare vigore harum literarum, ut matrimonium contrahatur, niſi in licentia, ſeù decreto Ordinarii exprimatur, quod etiam legitimaverit prolem antea ſuſceptam, quia illa non remanebit legitima vigore matrimonii, ſicut ea, quæ poſt illud contractum ſuſcipienda erit: nam proles poſt matrimoniũ ſuſcipienda, eſt ex natura rei legitima, tanquam ex vero matrimonio orta, proles verò jam antea ſuſcepta non legitimatur per ſubſequens matrimonium, cum illa ſit ſpuria.*

Quando verò impedimentum dirimens non præcedit copulam matrimonialem, ſed ex ipſa contractione matrimonii oritur impedimentum annullans matrimonium, ut eſt in matrimonio

Clan-

Clandeſtino, tunc per ſolam cõprobationem matrimonii ab Ecclesia factam, filii legitimi judicantur, ut eſt *deciſ. text. in cap. quod nobis. 9. qui filii ſint legit.* Similiter proles infidelium, qui poſtea ad fidem cõvertuntur legitima eſt, & legitima ab Eccleſia reputatur, quamvis parentes in gradu ab Eccleſia prohibito matrimonium cõtraxerunt, *cap. gaudemus. 15. qui filii ſint legit.* quia prohibitio iſta Eccleſiaſtica, non afficiebat infideles tempore contractionis matrimonii.

Reſolutio igitur præsẽtis quæſiti non poteſt unica reſponſione haberi, cum ſub illo plures comprehendantur caſus peculiarem requirentes reſponſionem ideò.

Dico primò, quod filii geniti ex matrimonio verè nullo, ſed contracto in facie Eccleſiæ, vel Eccleſia permittente, utroq; parente, vel ſaltem uno exiſtente in bona fide, & ignorante impedimentum, ut eſt ſi Conjugatus vivente prima uxore contrahit cum ſecunda hoc ignorãte, ſunt verè legitimi etiam ante convalidationem matrimonii, *tex. expreſſ. in cap. cum inter. 2 cap. per-latum. 8. & cap. ex tenore. 14. qui filii ſint legit.* & ita communiter tenent *DD.* ut videre eſt apud *Guttier. de matrim. cap. 71. nu. 2. Navarr. conſil. 2. n. 1. qui filii ſint legit. Petr. Adven. regul. 350. ampliat. 9. & limitat. 3.* Matrimoniũ enim iſtud Putativũ, quoad prolis legitimationẽ, verũ, & legitimũ cẽſetur ex juris diſpoſitione, & filius ex eo procreatus verẽ, & non fictè legitimus eſt, & jura Primogenituræ cõſequitur: undè ſi quid ea lege relictum ſit, ut nõ niſi filio legitimo, atq; ex legitimo matrimonio nato deferatur; filius natus ex tali matrimonio Putativo in facie Eccleſiæ contracto, ut dictum eſt ſuccedit: *Guttier. loc. cit. nu. 3. Covarr. in 4. decretal. de ſponſal. par. 2. cap. 8, §. 2. n. 1. & ſeq. Peregr. de fideicom. art. 24. n. 66. & ſeq.*

Hæc bona fides in dubio ſemper præſumitur, niſi contrarium probetur, & ideò quando matrimonium fuit contractum in facie Eccleſiæ, ſi Actor vult excludere à ſucceſsione filium ex tali matrimonio natũ, ex eo, quia eſt illegitimus propter impedimentum, non auditur, niſi probaverit ſcientiam impedimenti, & malam fidem utriuſq; parentis: immò nec ſufficit contrahentes ſciviſſe affinitatem inter ſe intercedere, ſed inſuper requiritur, quod ſcientiam habeant gradum illum eſſe impeditivum matrimonii, *cap. cum inhibitio. 3. §. ſi quis vero. circa fin. de clandeſt. deſpon. Guttier. loc. cit. n. 4. & ſeq.*

Præ-

Præterea in cauſa matrimoniali præſumitur bona fides, etiã lite pendente ſuper matrimonio, *DD. in cap. 2. qui filii ſint legit.* nam ſemper ac non habetur certa ſcientia impedimenti, poteſt petere, & reddere debitum; ſi verò habetur credulitas probabilis, & diſcreta, ſed non evidens, & manifeſta cognitio, tunc poteſt reddere debitum, ſed poſtulare non debet, ne contra legem conjugii, vel contra judicium conſcientiæ committat offenſam, *text. expreſſus in cap. inquiſitioni tuæ. 44. de ſentẽt. excom. Covar. loc. cit. n. 4. & ſeqq. Peregr. de fideicom. art. 24. n. 70. & ſeqq.*

Dico ſecundò, quod filii nati ex matrimonio Clandeſtino, quod etiam erat nullũ ob aliud latens impedimentum ignoratũ à contrahentibus, ſunt illegitimi, nec parentum ignorantia juvat, *text. expreſſ. in cap. cum inhibitio. §. ſi quis verò. de clandeſt. deſponſat.* ibi: *Si quis verò hujuſmodi clandeſtina, vel interdicta conjugia inire præſumpſerit in gradu prohibito, etiam ignorãter, ſoboles de tali conjunctione ſuſcepta prorſus illegitima cenſeatur, de parentum ignorantia nullũ habitura ſubſidium; cum illi taliter contrahendo, non expertes ſciẽtiæ, vel ſaltem affectatores ignorantiæ videantur*. Sed hodiè jure noviſsimo *Trident.* ſola Clãdeſtinitas facit filios illegitimos, quia *Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. de reform. matr.* nulla eſſe declarat matrimonia Clandeſtina.

Expedit autẽ hic cognoſcere, quando matrimonium dicitur Clandeſtinè contractũ, & quando non, ut valeas deindè determinare qui filii ſint legitimi, & qui non.

Clandeſtinè igitur contrahere dicitur, non ſolùm qui non contrahit in facie Eccleſiæ, ſed etiam qui contrahit omiſsis denunciationibus *d. cap. cum inhibitio*: quamvis, ut dicatur in facie Eccleſiæ contrahere, ſatis aliqui putant eſſe ſi matrimoniũ coram amicis, & conſanguineis celebretur, ut refert *Guttier. de matrim. c. 71. n. 8.* qui *n. 11. & ſeq.* dicit, quod ex diuturnitate tẽporis matrimonii celebrati, præſumitur legitimè, & in facie Eccleſiæ, pręcedẽtibus denunciationibus celebratũ, ac proindè filii ex eo nati ſunt legitimi, licèt poſteà detegatur impedimentum dirimens, ignoratũ tamen ab utroq; vel altero parente: & ita ex curſu decennii cohabitationis conjugum, prẽſumuntur intercefsiſſe denunciationes.

Hinc patet, quod quando matrimonium eſt Clandeſtinè contra-

tractum, ſed nullum aliud adeſt impedimentum dirimens, tunc de jure antiquo filii ex tali matrimonio nati illegitimi non cẽſentur, ut patet ex verbis *tex. in d. cap. inhibitio. §. ſi quis verò*, ibi: *In gradu prohibito*, & tenent *Guttierez de matrim. cap. 73. n. 2.* & ſequentibus; contra *Sanch. lib. 3. de matrim. diſput. 42. n. 6.* Undè matrimonium Clandeſtinè contractũ non pręmiſsis, nec remiſsis per Ordinarium denunciationibus, non facit filios illegitimos, quia in ſtricta juris diſpoſitione matrimonium eſt validum, ut tenet *Guttierez l. cit. Barb. ad Trident. ſeſſ. 24. cap. 1. de reformat. n. 28. Diana part. 3. tract. 4. de Sacram. reſol. 241. Innocent. in cap. cum inhibitio. nu. 2. verſ. tamen. de Clandeſt. deſponſat.* ibi: *Hæc conſtitutio non judicat illegitimos propter ceſſationem denunciationis, niſi illos, qui in caſu prohibito ſunt conjuncti.*

Iſta tamen tunc procedunt, quando matrimonium eſt contractũ in facie Eccleſiæ, *Auguſt. Berous qu. 107. Duegn. regul. 350. limit. 12.* Et tunc aliqui dicunt matrimonium eſſe contractũ in facie Eccleſiæ, quando publicè eſt contractum coram amicis, & conſanguineis, vel coram Parocho, & teſtibus, ut præcipit *Trident.* ita *Borgninus Cavalcan. p. 2. dec. 12. n. 19. & 20.* quem videas, quia dicit, quod ita in patria ſua fuit *Sac. Concil.* intellectum, & ita ibi practicatur. Alii verò tenent, tunc eſſe contractum in facie Eccleſiæ, quando ſunt factæ publicationes ſecundùm tenorem *d. cap. cum inhibitio*; adeòque deficientibus denunciationibus filii ſunt illegitimi: videas *Innocent. loc. cit.* Sed *Guttier. l. cit.* dicit veriorem opinionem eſſe, & tenendam tàm in ſtricta juris diſputatione, quàm in praxi, filios natos ex matrimonio coram Parocho, & teſtibus celebrato abſque denunciationibus, eſſe legitimos, ſivè dicatur tale matrimonium Clandeſtinum, ſivè nõ, dummodò non adſit aliud impedimentum dirimens; quia tale matrimonium eſt validum, & verum, cum denunciationes nõ ſint de eſſentia ad valorem matrimonii. Nec requiritur, ut matrimonium contrahatur in ipſa materiali Eccleſia: licèt ob decentiam Sacramenti poſsint ab Ordinario, vel delegato hortari, ſed non cogi contrahentes, ut in Eccleſia matrimoniũ celebrent, undè non poſſunt Ordinarii prohibere, ne matrimonia domi celebrentur, ut per *Sac. Congregat.* reſolutũ tradit *Corrad. in Praxi diſpenſationum Apoſtolicarum lib. 7. cap. 7. n. 31.*

Dico

Dico tertiò, quod matrimonium Clandeſtinum, nullum etiam ob latens impedimentum ignoratum, ſi ſit approbatum ab Eccleſia, tanquam validum legitimos nō facit filios natos ante approbationem, ſed ſolùm natos poſt approbationem, ſed ante detectionem impedimenti, quia filii nati ex copula mala fide utriuſque conjugis habita, poſt detectionem impedimenti ſunt illegitimi.

Hoc dictum plures partes habet. Prima dicit, quod filii nati ante approbationē, legitimi non habentur per ipſam approbationem in caſu poſito. Secūda dicit, quod filii nati poſt approbationē, ſed ante detectionē impedimenti, legitimi habentur. Et tertia dicit, quod filii mala fide cōcepti, poſt detectionem impedimenti illegitimi habentur.

Quantùm ad primam partem, licèt aliqui legitimos dicant filios illos, ex *cap. quod nobis. 9. qui filii ſint legit.* ubi matrimonium Clandeſtinum, alias bona fide contractum, ideſt ſine ſcientia impedimēti dirimentis, poſtquam ab Eccleſia eſt approbatum legitimat filios antea natos, & ita probabilior *DD.* opinio tenet, ut videre eſt apud *Guttier. de matrim. cap. 72. nu. 2. verſic. 3. ſententia*, ſicut filius natus ex conjugato, & ſoluta omninò ignorante virum eſſe cōjugatum ſecuto inter eos matrimonio valido fit, & eſt legitimus, ut tenet *Gloſ. in cap. tanta verbo aliam. qui filii ſint legitimi*, argumento *textus in cap. ex tenore. eodem tit.* quam ſequuntur *Hoſtien.* & alii *DD.* relati à *Guttier. loc. cit. n. 3.*

Verùm ego hanc *Gloſ.* opinionem non admitto, quia *text. in cap. ex tenore.* loquitur de filio ſuſcepto cum adulterio, ex matrimonio tamen bona fide contracto in facie Eccleſiæ, ibi: *Intelligentes, quod pater prædicti R. matrem ipſius in facie Eccleſiæ, ignaram quod ipſe aliam ſibi matrimonialiter copulaſſet, duxerit in uxorem, & dum ipſa Conjux ipſius legitima putaretur, dictum R. ſuſcepit ex eadem, in favorem prolis potiùs declinamus memoratum R. legitimum reputantes.*

Ex quibus verbis *textus* clarè patet, quod ſolùm legitimi reputantur filii nati ex tali matrimonio bona fide contracto, licèt ex adulterio ſint nati; non tamen dicit *text.* quod legitimantur illi filii, qui ex adulterio ſunt progeniti, per matrimoniū, quod deindè inter illos adulteros contrahitur, ſiquidem filii antea nati ex adulterio non legitimantur per ſubſequens matri-

trimonium cum non ſint naturales, ut patet ex *text. in cap. tanta. qui filii ſint legit.* & tradit *Petr. Adven. regul. 350. limitat. 3.*

Nec juvat diſtinctio *Gloſ. in d. cap. tanta.* dum dicit, quod id verum eſt, quando mulier eſt conſcia adulterii, ſecùs quando eſt ignara. Quia ad hoc ut filius valeat per ſubſequens matrimoniũ legitimari, requiritur, quod ſit natus ex coitu, qui poterat eſſe conjugalis inter parentes ſi conſenſus ab eis fuiſſet præſtitus, *Covar. in 4. decretal. par. 2. cap. 8. §. 2. n. 2.* Sed tunc temporis matrimonium contrahi non poterat; ergo per ſubſequens matrimonium, non legitimatur filius: ſicut filii concepti ex inceſtu ignoranter cum concubina commiſſo, non efficiuntur legitimi matrimonio ſecuto inter eorum parentes adhuc durante ignorantia, ut probat *Soccin. Jun. vol. 2. conſil. 31. num. 41. & 74.* & hanc ſententiam tenet *Covar. loc. cit. n. 17. in fin. Berous in quæſt. familiar. 107. n. 2.*

Nec obſtat *text. in cap. quod nobis. 9. qui filii ſint legit.* quia *Textus* intelligitur, quando ab Eccleſia fuit comprobatum matrimonium clandeſtinum, quod excepta ratione clandeſtinitatis aliud impedimentum, & obſtaculum non habebat, & ideò filii antea nati legitimi habentur: matrimonia enim clandeſtina ab Eccleſia prohibentur, & illegitima dicuntur *Cauſa 30. quæſt. 5.* tamen quando aliud impedimentum non adeſt, vera conjugia ſunt de jure antiquo, & ab Eccleſia comprobantur, *can. ſi quis Divinis. §. his ità. 30. qu. 5.* quæ comprobatio Eccleſiæ non facit matrimonium, ſed declarat matrimonium fuiſſe contractum, nec facit filios legitimos, ſed declarat illos legitimos, quia ex vero matrimonio nati, ut loquitur *text. in cap. 1. & cap. quod nobis. qui filii ſint legit.* ſicut etiam tanta eſt vis matrimonii, quod filii antea geniti, poſt contractum matrimonium legitimi habentur, & judicantur *cap. tanta, eodem tit.* Quando verò filii ſunt nati ex matrimonio putativo, tunc *Textus* non dicit, quod legitimi judicantur, ſed utitur alia formula loquendi dicendo, quod legitimi reputantur, *cap. penult. & fin. qui filii ſint legit.*

Jure tamen novo *Trident. ſeſſ. 24. cap. 1. de reformat. matrim.* tãtùm irrita, & nulla declarantur matrimonia, quæ ſine Parocho, & teſtibus ſunt contracta, non verò quæ ſine denunciationibus, *Barboſ. ad Trid. l. cit. nu. 28. Pyrrhus Corrad. lib. 7. diſpenſat. Apoſtolic. cap. 7. n. 20.* & taliter eſt

Q nul-

nullum matrimonium contractũ ſine Parocho, vel ſine alio Sacerdote de ipſius Parochi, ſeù Ordinarii licentia; quod etiam ſi partes per multum tempus cohabitaverint, ut veri conjuges, poſſunt propria auctoritate diſcedere, & alteri nubere, *Navar.de clandeſt.deſponſat.conſil.3. n.2. & conſil.5.*

Quando verò ultra rationem clandeſtinitatis adeſt aliud impedimẽtum dirimens matrimonium, tunc per ſolam approbationem matrimonii clandeſtini non legitimantur filii ante approbationem nati, quia illi filii non ſolùm ſunt nati ex matrimonio clandeſtino, ſed etiam ex matrimonio nullo ratione alterius impedimẽti occulti, ideò illegitimi dicuntur, *cap. cum inhibitio. §. ſi quis verò.de clandeſt. deſponſat.* Approbatio autem Eccleſiæ, ſolùm ordinatur ad tollendum obſtaculum clandeſtinitatis, & ad publicè declarandum matrimonium validũ, ideò non poteſt filios taliter illegitimos legitimos facere. Cæterum filii, qui naſcuntur poſtquam tale matrimonium fuit ab Eccleſia approbatum legitimi reputantur, etiam ſi àdſit aliud impedimentum occultum, quia ſunt nati ex matrimonio putativè valido, & ad legitimitatem filii ſufficit, quod matrimonium ſit contractum à parentibus bona fide, & publicè ſine contradictione Eccleſiæ, *cap.cum inter. cap.perlatum.8. in fin.* ibi: *Filios quos ſuſtulit de alio, ad cujus copulam authoritate prædicti Epiſcopi migravit legitimos judicetis, eos hac occaſione ab hæreditate non patientes excludi.* & *cap. ex tenore.14.qui filii ſint legit.* Excuſantur enim filii ab illegitimitate, vel per Eccleſiæ permiſſionem, quãdo ſcilicet Eccleſia permittit contractionem matrimonii, licèt adſit impedimentũ occultum, vel per paternam ignorantiam impedimenti, *cap.referente. 10. qui filii ſint legitim.* ſed talis paterna ignorantia non debet eſſe conjuncta cum clandeſtinitate, ut dictum eſt ex *cap. cum inhibitio. §. ſi quis verò. de clandeſtina deſponſat.*

Secunda pars noſtri dicti, ſcilicet, quod filii concepti, & nati poſtquam matrimoniũ clandeſtinum nullum ob latens impedimentum ignoratum, fuit ab Eccleſia, tanquam validum approbatum ſint legitimi, etiam ſi deinde impedimentum detegatur communiter à *DD.* defenditur, ut videre eſt apud *Guttier. de matrim. cap.72.nu.1.* & patet ex dictis, quia tunc ex putativo matrimonio naſcuntur, & filii

nati

nati ex matrimonio putativo legitimi habentur, ut dictum eſt.

Tertia pars noſtri dicti, ſcilicet, quod filii mala fide concepti, poſt detectionem impedimenti illegitimi habentur, ex jam traditis patet, & habetur in *cap. inquiſitioni tuæ. 44. de ſententia excommunicationis*, nam tunc parentes exiſtunt in mala fide, & cognoſcunt matrimoniũ eſſe nullum, ideò filii geniti poſt talem ſcientiam illegitimi ſunt.

Dico quartò, quod filii inceſtuoſi ſuſcepti ſub tractatu matrimonii contrahendi cum diſpenſatione Papæ obtinenda, vel nati ex matrimonio mala fide contracto, non legitimantur per ſolam diſpenſationem obtentam à Pontifice circa impedimentum illud dirimens, ut patet ex deciſione *Rotæ 207. p. 1.* diverſorum relata à *Pyrrho Corrado in praxi diſpenſationum Apoſtolicarum, lib. 8. cap. 2. n. 30.* cujus verba ſupra à nobis fuerunt relata in præſenti Quæſito.

Dico tandem, quod dicti filii inceſtuoſi ſuſcepti ſub tractatu matrimonii contrahendi cum diſpenſatione Papæ obtinenda, vel nati ex matrimonio, mala fide utriuſque conjugis contracto, legitimantur, quoad temporalia, & ſucceſſionem majoratus extra Terras Eccleſiæ per ſubſequens matrimonium, poſtea de novo celebratum, diſpẽſatione Papæ, habente iſtam clauſulam: *Prolem ſuſceptam ſi qua forte ſit, & ſuſcipiendam legitimam decernendo declaramus*, ita *Navarra conſil. 2. qui filii ſint legitim. Nicolaus de Milis in repertorio verbo Papa, an poſſit. Sãchez lib. 8. de matrim. diſput. 7. n. 4. Guttierez de matrim. cap. 74.* & communiter alii, paucis exceptis, ut videre eſt apud citatos Auctores.

Dicit tamen *Guttierez loc. cit. n. 19.* quod quando matrimoniũ irritum ſcienter de facto eſt cõtractum, ſecuta poſtea diſpenſatione Papæ ad contrahendum de novo matrimonium in facie Eccleſiæ, addita clauſula: *Prolem ſuſceptam ſi qua ſit, & ſuſcipiendam exinde legitimam decernendo*, proles jam nata licèt ſit legitimata, non tamen excludit à ſucceſſione fideicommiſſi, vel majoratus, cæteros agnatos legitimos, niſi Papa diſpenſaſſet in radice matrimonii, ideſt legitimaſſet matrimonium, & prolem: quæ approbatio matrimonii quaſi ab initio abſque aliquo impedimento eſſet contractum, non habetur per ſupradictam diſpenſationem, ex qua potiùs tale matrimonium improbatur, quia conceditur diſpenſatio, ut

poſſint inter ſe matrimonium ſervata forma *Concilii Trident.* de novo contrahere, & in facie Eccleſiæ ſolemnizare, & in eo poſtmodũ permanere,&c. Si verò Pontifex diſpenſat, ut nõ obſtante impedimento,in prædicto ſic contracto matrimonio remanere, ſeù illud inter eos publicè ſervata forma *Concilii Trident.* de novo contrahere, illudque in facie Eccleſiæ ſolemnizare, & in eo poſtmodum ſimiliter remanere liberè, & licitè, valeant tunc intelligatur diſpenſatum in radice matrimonii, ut pluries contra *Sanchez lib. 8. diſput.7.n.25.* per Dominos de Rota deciſum refert idem *Guttier. loc.cit. nu.34. Corradus lib.8. diſpenſationum Apoſtolicarum cap.2. n.51.* ubi rationem ponit, quia Pontifex diſpenſando, quod conjuges poſſint in matrimonio, ita nulliter contracto remanere, dicitur illud omninò approbare, & confirmare,nec in hoc caſu requiritur novus conſenſus, ſed ſufficit naturalis ab initio præſtitus ex *cap. cum locũ. cap. cum apud. & cap. tua. de ſponſalibus*, idque confirmat ex approbatione matrimonii in radice, quæ fit poſt mortem alterius ex conjugibus, ubi non poteſt ſubſequi novus conſenſus.

Quod autem Pontifex valeat in radice matrimonii diſpenſare, Probatur,quia licèt Pontifex præciſo matrimonio non poſſit quoad temporalia legitimare filios illegitimos exiſtentes extra ſuam temporalem juriſdictionem, *cap. cauſam quæ. 7. & cap. per venerabilem. 13. qui filii ſint legitimi*, poteſt tamen illos legitimos facere, vel declarare etiam quoad temporalia, inquantùm poteſt diſpenſando in impedimento jure humano dirimenti, validam facere contractionem matrimonii; ergo etiã poteſt ſua diſpenſatione revocare impedimentum dirimens jure humano in aliquo caſu particulari, & facere, quod matrimonium antea nulliter contractum ſit validum, & quod filii ex eo progeniti ſint legitimi. Antecedens, quoad ſecundam partem, patet, quia ſicut Pontifex poteſt determinare aliqua impedimẽta, cum quibus ſi matrimonia cõtrahantur eſſent invalida,& filii nati ex tali matrimonio nullo eſſent illegitimi, niſi bona fides ſaltèm unius cõtrahentis adeſſet, ut dictum eſt; ita poteſt dicta impedimenta tollere, & facere, ut matrimonia validè, & licitè contrahantur, & quod filii ex dictis matrimoniis procreati ſint verè legitimi, ſicut de facto filios natu-

rales

rales legitimos declaravit Pontifex, quādo eorū genitores matrimonium contrahunt, ut reperitur diſpoſitum in *cap.* 1. *& cap. tanta. qui filii ſint legitimi.*

Conſequentia verò probatur, quia poteſt Pontifex ſuam legē irritare, & revocare, quoad effectus, qui ex ea jure humano ſecuntur, non ſolùm in futurum, ideſt ne incurrantur dicti effectus, ſed etiam quoad effectus jam incurſos, abolendo illos, ac ſi talis lex nunquam fuiſſet edita, ut patet ex *Clement. unica, de Immunit. Eccleſiarum*, ubi Clemens V. revocavit conſtitutionem Bonifacii VIII. etiā quoad effectus antea incurſos, ibi: *Nos, de conſilio fratrum noſtrorum, Conſtitutionem, & declarationem, ſeù declarationes prædictas, & quidquid ex eis ſecutū eſt, vel ob eas penitùs revocamus, & eas haberi volumus pro infectis*, ubi *Gloſ.* cōmuniter recepta, *verbo Pro infectis*, dicit, quod tanta eſt poteſtas Pontificis circa ea, quæ ſunt juris poſitivi, ut poſſit illa revocare prout ex tunc, quando edita ſunt, & omnes effectus præteritos abolere, ac ſi nunquam edita fuiſſent, ut etiam fecit Pius V. in regula edita anno 1566. die 20. Auguſti ad declarationē *Concilii Trident. de compatern. & affinit. & fornicat. ac matrim. deſuper contractis, & contrahendis*, quæ incipit *Sāctiſſimus in Chriſto Pater*, ubi definitur, quod perſonę, quæ ante Concilium cognationem contraxerunt ſecundùm antiquos Canones, ratione cujus matrimonia contrahere non poterant, ſi non ſint in Concilio comprehenſæ, valent ſine diſpēſatione contrahere, & matrimonia contracta valere. Ergo etiā poteſt Pontifex diſpenſare in radice matrimonii, ideſt in initio ipſius, revocando impedimētū, quod ipſum irritavit, ac ſi nūquā irritaſſet, quo caſu proles eſſet verè legitima, quoad omnia.

Confirmatur: ideò filii habiti ex copula in gradu prohibito non legitimantur per ſubſequēs matrimonium, ſicut legitimantur alii filii, qui naturales tantùm dicuntur, quia eis obſtat impedimentum illud canonicū, ratione cujus filii taliter ſuſcepti, naturales tantùm non dicūtur, ut tradunt cōmuniter *DD. in cap. tanta. qui filii ſint legitimi.* Sed Pontifex, qui tale impedimentū induxit poteſt illud tollere, prout ex tunc, ideſt pro eo tempore, quo fuerunt filii concepti, & ſic illos, ut naturales tantùm habere; ergo poteſt illos per ſubſequens matrimoniū legitimos facere, ſicut, & reliqui

filiï naturales taliter legitimantur. Aliæ rationes videri poſſunt apud *Navar.de ſponſal.conſ.* 14. & apud ſupracitatos Auctores.

Advertas tamen, quod non quælibet diſpenſatio Pontificis circa impedimentum dirimens dicitur diſpenſatio in radice matrimonii, quia dupliciter Pōtifex diſpenſare poteſt. Primò poteſt diſpenſare, quod matrimonium non obſtante impedimento dirimenti, ratione cujus antea fuit irritè, & nulliter contractum, iterum contrahatur, & tunc non dicitur diſpenſatio in radice matrimonii, quia tunc vult, quod matrimonium de novo publicè contrahatur, ſervata forma *Concilii Trident.* & ſic nō diſpenſat, *prout ex tunc*, ſed *prout ex nunc*, & talis diſpenſatio non porrigitur ad legitimationem prolis, quæ ante diſpenſationē eſt nata; diſpenſatio enim ſolùm fuit ad matrimonium cōtrahendum, & de prole nulla fuit facta mentio. Nec poteſt dici, quod in conſequentiam proles legitimatur, quia cum ſit ſpuria non poteſt in conſequentiam legitimari, *Covar. in 4. decretalium part.2.cap.8.§.8.n.13. Sanchez lib.7. diſput.7. nu.18.* Si verò proles ante diſpenſationē concepta naſcatur poſt diſpenſationem expeditam, ſed antequam contrahatur matrimoniū, tunc quia eſſet naturalis, cum impedimentum per diſpenſationem jam ſit ſublatum, legitimatur per ſubſequens matrimonium, ut optimè probat *Sanch. loc.cit. n.29.* Immò ſi fuit addita clauſula: *Prolem ſuſceptam, ſi qua ſit, & ſuſcipiendam exindè legitimam decernendo*, non tamen ex hoc dicitur diſpenſatio in radice matrimonii, nec *prout ex tunc*, & proles non poteſt dici ſuſcepta de legitimo matrimonio, ut probat *Guttierez de matrim.cap.74.à n.19.* ſed talis legitimatio prolis tollit ſolas inhabilitates canonicas, ſeù quo ad ſpiritualia tantùm, non verò civiles, ut dicit *cit. Doctor loc.cit.n.21.&ſeqq.* qui tamen *n.34.* oppoſitū deciſum per Dominos de Rota refert, videas *Corrad.lib.8.diſpenſationum Apoſtolicarum cap.2.n.51.*

Secundò Pontifex diſpenſare valet, ut maneant in matrimonio contracto, non obſtante impedimento, quod ab ipſo auferfertur *prout ex tunc*, & in tali caſu dicitur diſpenſatio in radice matrimonii, quia ut dicit *Corrad.lib.8.cap.3.n.46.* idem Pontifex in literis hujuſmodi diſpēſationis concedit ipſis oratoribus, ut poſſint in eorum ſic contra-

tracto matrimonio remanere, ac proindè illud approbat, *prout ex tunc*, ac ſi matrimonium ab initio validum fuiſſet, & antiquus ſtylus Sacrę Pœnitentiariæ erat, taliter diſpenſandi, ut in contracto matrimonio remanere poſſent, quando matrimonium fuit bona fide, & publicè contractum, ſed deindè fuit impedimentum detectum, *Navar. de ſponſalibus conſil.* 14.*n.*2.

Verùm tamen eſt, quod hodie ſemper Romana ſedes diſpenſat, ut *matrimonium inter ſe, de novo publicè ſervata forma Concilii contrahant, illudque in facie Eccleſiæ ſolemnizent, & in eo poſtmodum remanere liberè, & licitè valeat*, & additur: *Prolem ſuſceptam ſi qua ſit, & ſuſcipiendam exinde legitimam decernendo*, ratione cujus particulæ Pōtifex dicitur diſpenſare in radice matrimonii, ut dicit *Corrad. lib. 8. diſpenſat. Apoſtolic. cap. 3. n.*46. explicando particulam illam: *Prolem ſuſceptam, & ſuſcipiendam exinde, legitimam decernendo*, cujus verba ſunt: *Patet ex hoc, quod Papa ita legitimando prolem ex matrimonio clandeſtinè, & de facto cōtracto diſpēſat etiam in radice matrimonii; ita quod filii ex hujuſmodi matrimonio nati legitimi reputentur, etiā in præjudicium venientium ab inteſtato: cum poſſit idem Papa removere impedimentum, quo oratores ad matrimonium contrahendum inter ſe detinentur, cum tale impedimentum ſit Jure Canonico ſtatutum, quod magis patet, quādo idem Pontifex in literis hujuſmodi diſpenſationis concedit ipſis oratoribus, ut poſſint in eorum ſic contracto matrimonio remanere, ac proinde illud approbando, prout ex tunc, nimirum perinde ac ſi matrimonium ab initio validum contraxiſſent*, & citat inter alios *Sanchez lib.*8.*diſput.*7.*n.*4.

Verùm *Sanchez lib.*7.*diſput.*7. *n.*20.21.&23. dicit, quod quādo Pontifex diſpenſat in matrimonio irrito, ut de novo celebretur, & diſpenſat ſimpliciter, cum prole ſuſcepta ex eo matrimonio, non cenſetur in radice matrimonii diſpenſare, nec omninò prolem legitimare, ſed ſolùm quoad ſpiritualia, etiam ſi diſpenſatio ſit circa perſonas temporali Papæ juriſdictioni ſubjectas: Cum enim diſpenſatio ſit ſtricti juris, non eſt intelligenda de omni legitimatione, ſed de ea, quæ convenit Papæ, ut Papa eſt, ideſt in ſpiritualibus, & etiam quia Pontifex illam nō legitimavit in ratione matrimonii præcedentis, nec ſe matrimonium legitimare explicavit. Ad hoc autē, ut proles in radice

ma-

matrimonii intelligatur legitimata, requiritur, quod Pontifex ipſum matrimonium legitimet. Sicut nec etiam legitima cenſetur proles, jam nata ex matrimonio nullo, quando Pontifex non legitimat matrimoniũ contractum, nec diſpenſat, ut ab initio contractus legitimum cẽſeatur matrimoniũ, ſed tantùm concedit licentiam perſeverandi in jam contracto, *Covar. in 4. decretal. p. 2. cap.* 8. §. *8. n.* 13. Ratio eſt, quia in dicta licentia perſeverandi in jam contracto nulla mentio facta eſt de legitimatione prolis, ut ſupponimus, nec dicta verba radicem matrimonii reſpiciunt, ut in conſequentiam legitimetur proles, ſed referuntur ad meram diſpenſationem in impedimento, ut eo ſublato liceat in poſterum conjugibus in priori matrimonio permanere, non eo modo, quo initum eſt, quia tale matrimonium eſt iniquum, & irritum, ſed præſtito novo conſenſu expreſſè, vel tacitè poſt diſpenſationem. Ita etiam tenet *Sanch. lib. 8. diſput. 7. n. 25.* contra aliquos, quos refert *n.* 24.

Stylus autem Sacræ Pœnitentiariæ, de quo ſupra, in iſtis diſpenſationibus, ideò fuit mutatus, & reſcribitur, ut *matrimonium de novo inter ſe, &c.* quia per ſolam diſpenſationem Pontificis non validatur matrimonium, quod à principio erat nullum ob aliquod impedimentum dirimens, ſed requiritur novus conſenſus. Ratio eſt, quia inter illos, in quibus eſt aliquod impedimentum dirimens, non poteſt eſſe legitimus conſenſus; ergo non poteſt dici, quod confirmatur conſenſus per ſublationem impedimenti; immò Pontifex facere non poteſt, ut conſenſus, qui à principio illegitimus, & nullus fuit, ſit legitimus, & validus, quia hoc eſſet quodãmodo ſupplere conſenſum, ut benè probat *Navar. de ſponſal. conſil. 14. n. 7. verſic. Theologi autem, & nu. 8. &* 11. *Corrad. in praxi diſpenſat. Apoſtol. lib. 8. c. 3. n. 35. & cap. 4. n. 62.* Et ideò hodie in hac forma reſcribitur: *Quod, impedimento quarti conſanguinitatis gradus hujuſmodi, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis nequaquã obſtantibus, matrimonium inter ſe, de novo, publicè, ſervata forma Concilii, contrahere, illudque in facie Eccleſiæ ſolemnizare, & in eo poſtmodum remanere liberè, & licitè valeant, auctoritate noſtra diſpenſes: prolem ſuſceptam ſi qua ſit, & ſuſcipiẽdã ex inde legitimã decernẽdo.*

Sed hìc advertas, quod non eodem

eodem modo eſt præſtandus cõſenſus, quando diſpenſatio eſt conceſſa ſuper publico impedimento, ac quando diſpenſatio eſt ſuper impedimento occulto, & matrimonium eſt de novo cõtrahendum ſervata forma *Concilii Trident.* quia quando impedimentum eſt publicum, & diſpenſatio conceditur ſuper publico impedimento; Matrimonium eſt de novo contrahendũ, coram Parocho, & teſtibus præmiſſis denunciationibus, vel remiſſis à Delegato, nam poteſt eſſe, quod inter impetrantes diſpenſationem adſit aliud impedimentum ultra expreſſum in litteris, & ideò ſunt præmittendę denunciationes, quæ poſſunt ex cauſa remitti à Delegato, ſicut poſsũt ab Ordinario remitti, *Corrad. lib. 7. cap. 7. n. 17.*

Quando verò impedimentum eſt occultum, & matrimonium, quod fuit publicè contractum coram Parocho, & teſtibus, præmiſſis etiam denunciationibus, eſt renovandum ratione impedimenti dirimentis, tunc non requiruntur denunciationes, nec requiritur præſentia Parochi, & teſtium; idque ad evitanda ſcandala, & inconvenientia, quæ poſſent ſequi, ſed ſatis eſt ſi conſenſus ſecretò pręſtetur: Requiritur tamen, ut conjux, qui, vel quæ ignorabat, in genere intelligat adeſſe impedimentum dirimens matrimonium, & quod requiritur, ut denuò mutuo conſenſum pręſtent ad hoc, ut matrimoniũ valeat. Ita per Pontificem declaratum refert *Cardin. Alciat. Propœnitentiarius*: videas *Navar. de ſponſal. conſil. 14. in fin. Corrad. in prax. diſpenſat. Apoſtolic. lib. 8. cap. 3. n. 42. & ſeqq. & lib. 7. cap. 7. n. 8. & 9.* ubi dicit, quod ita de facto in Sacra Pœnitentiaria ſervatur, nam poſtquam in illius litteris narratum fuit Oratores ſcientes impedimentum, nihilominus matrimonium contraxiſſe, mandatur Confeſſario per ipſos Oratores eligendo, quatenus adimpletis cæteris in dictis litteris expreſsis, cum eiſdem, de nullitate tamen prioris conſenſus certioratis, quod præmiſsis nõ obſtãtibus matrimoniũ inter ſe de novo ſecretè ad evitanda ſcandala cõtrahere, & in eo poſtmodum remanere, licitè valeant miſericorditer diſpenſet, in foro conſcientiæ tantùm. Hæc ille.

Duo tamen advertit idem *Corrad. loc. cit. num. 11. & ſeq.* Primò quod ſuperiùs dicta loca ſibi vendicant, quando Parochus, & teſtes impedimẽtum illud ignorabant, quia ſi ſcientiam impedimenti haberent, quantumcũque aliàs eſſet occultum, neceſ-

ſariò repetendus eſſet conſenſus coram Parocho, & teſtibus. Secundò, quod dum petitur diſpenſatio à Sacra Pœnitentiaria ſuper occulto impedimento, non ſufficit illud eſſe occultum tantummodò tempore impetrationis diſpenſationis ſuper eo, ſed opus eſt, quod nullus adſit timor, ut in futurum poſsit aliquo modo publicum fieri, aliàs Major Pœnitentiarius remittit ſupplicationē ad Datariam, ut Oratores petant ſecum diſpenſari in utroque foro, quia non occultū, ſed manifeſtum dicitur, quod poteſt probari, & tantùm occultum dicitur, quod non conſtat publicè, nec facilè conſtare poteſt, nec adeſt periculum, ut in foro externo detegatur.

Ex dictis jam optimè intelligitur, quando Papa cenſetur in radice matrimonii irriti diſpenſare, & quando non. Sed prò clariori intelligentia præſentis diſpenſationis.

Advertas, quod quando matrimonium non eſt contractum, & petitur à Pontifice diſpenſatio ad illud contrahendum explicata copula, tunc licèt in diſpenſatione apponatur clauſula apponi ſolita de ſtylo Curiæ, quæ eſt: *Ut non obſtante impedimento, matrimonium inter ſe contrahere liberè, & licitè valeant, authoritate noſtra diſpenſes, prolem ſuſceptā ſi qua ſit, & ſuſcipiendam legitimam decernendo, in foro conſcientiæ tantùm* (quæ ultima verba *in foro conſcientiæ tantùm*, tunc apponuntur, quando diſpenſatio obtinetur à Pœnitentiaria, ſecus quandò à Dataria) non tamen virtute dictę clauſulę dicitur diſpenſatum in radice matrimonii, nec proles ante diſpenſationem ſuſcepta dicitur legitimata, quoad temporalia, ſed quoad ſpiritualia tantùm, quia quando proles habita fuit non præcedēte matrimonio etiam irrito, ideſt non in figura matrimonii, ſed ex concubitu omninò fornicario, & inceſtuoſo, non poteſt Pontifex illā legitimare, quoad temporalia, & ſecularia extra locum ſuæ temporalis juriſdictionis: nam cum nulla ſit matrimonii radix, in qua directè diſpenſando, legitimet indirectè, & per quandam conſequentiam, ſi Pontifex in tali caſu illam quoad temporalia legitimaret, eſſet directa legitimatio, *Sanchez de matrimon. lib. 7. diſput. 7. num. 7. & 14.* ubi probabiliter putat virtute dictæ clauſulæ prolem ſuſceptam non legitimari quoad temporalia, etiam in locis ſuæ temporali juriſdictioni ſubjectis, non ſolùm quia talis clauſula eſt communis omnibus diſpenſationibus, ubi-

que

que degentium; ergo non cenſetur diverſo modo apponi erga quosdam, quam erga alios: ſed etiam quia in tali caſu Pontifex non diſpenſat, & legitimat, ut eſt Dominus temporalis oppidorum, ſed ut eſt Paſtor totius Eccleſiæ; atqui legitimatio, quo ad temporalia non incumbit illi, quando non diſpenſat in radice matrimonii, nec diſpenſat, ut Dominus temporalis eſt; ergo per dicta verba generalia, & de communi ſtylo Curiæ apponi ſolita in omnibus diſpenſationibus, ubi de copula eſt facta mentio, non cenſetur facta legitimatio, quoad temporalia etiam in locis temporalis juriſdictionis Pontificis.

Hinc quando Ordinario, vel Confeſſario eſt commiſſa facultas diſpenſandi in impedimento matrimonii cum dicta clauſula, ſi talis Ordinarius, vel Confeſſarius diſpenſet in impedimento, & ſic matrimonium validè contrahitur, ſi non explicuit, ſe quoque diſpenſare, ut proles antecedenter habita ſit legitima, nō remanet legitimata, ſed tantùm proles ſuſcipienda poſt matrimonium initum erit legitima, & naturalis, quoad omnia, quia ex vero matrimonio naſcitur; nec proles ſuſcepta legitimatur per ſubſequens matrimonium, eo quod purè naturalis non eſt, juxta notata in *cap. tanta. qui filii ſint legitimi. Sanch. loc. cit. nu. 16.* Ordinarius autem, vel Confeſſarius, qui omiſit declarare, prolem ſuſceptam eſſe legitimam virtute Pontificiæ diſpenſationis, poterit illam deindè legitimare, quia non dum officio plenè functus eſt, & partem ſibi cōmiſſam omiſit; undè etiam ſi Ordinarius depoſuerit officium, vel objerit, vel abſens fuerit, ſucceſſor in officio poterit id exequi; ſimiliter ſi Cōfeſſarius mortuus ſit, vel abſens poterit adiri alius Confeſſarius Magiſter in Theologia, vel Doctor in jure Canonico ex approbatis ab Ordinario, ut probat *Sanch. l. c. n. 17.*

Tunc igitur diſpenſatio in radice matrimonii dicitur facta, quando Pontifex explicat, ſe diſpenſare in matrimonio irritè contracto, *ut ex tunc*, ideſt, ut ab initio contractus legitimus cenſeatur, quia clarioribus verbis ſuam mentem diſpenſandi in radice matrimonii explicare nō potuit; ita omnes *DD.* ut teſtatur *Sanch. lib. 8. diſp. 7. n. 22.* Similiter quando Pontifex legitimat matrimonium, & prolem ſuſceptā; tunc cenſetur diſpenſatum in radice matrimonii, & conſequenter proles legitimata quoad omnia, ita probabiliter tenet idē

Sanch.l.cit. n. 28. quia dicta verba Pontificis nihil aliud ſonant, quam tale matrimonium ratum habere, & approbare, ita ac ſi ab initio abſque aliquo impedimẽto eſſet contractum, dum etiam de prole genita mentio facta eſt; quod ſi de prole nulla ſit facta mentio, tunc non cenſetur diſpẽſatum in radice matrimonii, niſi fuerit additum, *ut ex tunc:* videas etiam *Peregr. de fideicomm. art.24 n.78.& ſeqq.*

Argumenta, quæ pro contraria opinione adducuntur contra iſtam legitimationem, quæ fit per Pontificis diſpenſationem in radice matrimonii optimè ſolvuntur ex dictis, & ex traditis per *Sanch.lib.8. diſp.7.n.4.& 13.* & per *Gonzalez in cap.per venerabilem. qui filii ſint legitim.* per *Guttierez de matrim. cap.74.n.6.* ubi dicit, quod tanta eſt poteſtas Papæ, quoad effectum juris poſitivi, quod poteſt tollere conſtitutionem, etiam quoad effectus prætcritos, adeò quod excommunicatus vigore *Clem.unic.de conſanguin.& affin.* non indigeat abſolutione, & poteſt non ſolùm ea, quæ facta ſunt habere pro infectis, quoad effectum, ſed etiam nõ factum haberi pro facto: ideò non eſt nobis ulterius circa illa immorandum.

Ex dictis infert *Sanch.loc.cit. n.15.* quem ſequitur *Guttierez de matrim.cap.74.n.2.* quod obtenta diſpenſatione, & legitimatione prolis, ſi parentes pœnitentia ducti matrimonium non contraherent, proles ſuſcepta nullatenus foret legitima, quia in favorem matrimonii ineundi inter parentes prolis conceſſit Pontifex talem diſpenſationem, nullatenus alias conceſſurus, quia nulla alia occurrit ratio reddens juſtam talem legitimationem; undè legitimatio facta per Ordinarium, vel Confeſſarium pendet à matrimonio poſtea ineundo, quo non contracto ceſſat legitimatio, quia ceſſante cauſa, ceſſat effectus.

QUÆRES IV.

An Pontifex valeat in radice matrimonii diſpenſare quando conjuges, qui matrimonium irritum contraxerunt ſunt mortui?

PRæſens quæſtio *maxima*, *& maximo digniſſima Cotburno* dicitur à *Navar.conſil.2.in princ. qui filii ſint legitimi:* & quidem certum eſt, magnam eſſe quæſtionem, pendet enim ex illa, alterius quæſtionis deciſio, *an ſcilicet filii, qui poſt mortem parentum à Pontifice legitimantur, in ra-*

radice matrimonii diſpenſando, ſint admittendi ad ſucceſſionem, ut pleno jure legitimi, an potius ut legitimati per Principis reſcriptum; & an extra terras Pontificiæ juriſdictioni ſubjectas intelligantur legitimati in ſpiritualibus tantùm, an etiam in temporalibus.

Non loquimur in præſenti, quando parentes bona fide, & publicè contraxerunt, ſemper in tali bona fide manendo, nam tunc filii legitimi ſunt, & habentur poſt mortem parentum, & etiam in eorum vita, non ex diſpenſatione Pontificis, ſed ex juris diſpoſitione, cum ex putativo matrimonio ſint nati, ut eſt caſus in *cap. pervenit.* 11. *qui filii ſint legitim.* ſimiliter non procedit difficultas de legitimatione per reſcriptum, nam Pontifex poteſt filios ita legitimare poſt mortem parentum, dummodò non in præjudiciũ tertii, ut probat *Calderinus conſil. 4. qui filii ſint legitim.* Solum dubium vertitur, an valeat legitimare filios poſt mortem parentum, diſpenſando in radice matrimonii nulliter contracti.

Circa hanc difficultatem, affirmativã ſententiam tenet *Sanch.* & alii ab ipſo relati *lib. 8. de matrim. diſp. 7. n. 6.* probat, quia talis diſpenſatio nõ innititur abolitioni prioris impedimenti dirimentis, ut validè nunc contrahatur matrimonium, quia hoc eſt impoſſibile, cum ſupponantur conjuges mortui, vel ſaltè unus mortuus, & matrimonium nullũ corroborari non poteſt, niſi poſt diſpenſationẽ interveniat novus conſenſus conjugum; ſed innititur revocationi legis Eccleſiaſticæ, qua prius matrimonium irritum habebatur, quæ revocatio intelligitur facta, *ex tunc* quando matrimonium contractum eſt, ita ut aboleantur effectus inde producti.

Hoc verùm putat citatus Doctor, quãdo nõ adeſt præjudiciũ tertii; nam ſi ſit auferenda hæreditas parentum illius prolis ab agnatis, vel aliis filiis, qui in eam ſucceſſerant, & poſſeſſionem ejus apprehenderant, tunc talis legitimatio non procedit, niſi ex certa ſcientia Pontifex vellet derogare juri alteri quæſito; vel quãdo ex voluntate patris, de cujus ſucceſſione agitur, qui adhuc ſuperſtes eſt, fuit petita diſpenſatio, & legitimatio in præjudiciũ tertii venientis ab inteſtato, ut etiam tenet *Guttier. de matrim. cap. 74. n. 9.* qui tamen *n. 10.* verius putat non poſſe fieri prædictam legitimationem matrimonii poſt mortem utriuſque, vel alterius conjugum in præjudicium

cium juris, jam tertio acquiſiti, nam etiam Gregor.XIII. menſe Novembris 1584. negavit petitam diſpenſationem, & addidit *non poſſe diſpenſare*.

Verùm *Sanch.l.cit.n.*13. dicit, non conſtare de tali reſponſo Gregorii: vel taliter dixit tanquam *Doctor* privatus, fortè quia alterius opinionis erat: vel, ut dicit *Corrad.lib.8. diſpenſat.Apoſtol. cap.2.n.*27. Gregorius dixit, *ſe non poſſe diſpenſare*, ideſt nolle diſpenſare ſine cauſa, quamvis re vera id poſſet etiam in præjudicium tertii; nam Papa de plenitudine poteſtatis poteſt revocare legem de non contrahendo in gradu prohibito, etiam poſt quam fuit contractũ in tali gradu; id tamen facere non poteſt abſque peccato, quando deficit aliqua magna, & juſta cauſa, cũ idem Pontifex non debeat uti plenitudine poteſtatis ſine cauſa, licèt poſſet ita uti, ut valeat actus, *Corrad.loc.cit.*

Ego autem circa præſentem quæſtionem dicerem (ſalva correctione, & cenſura Sanctæ Matris Eccleſiæ, cui in omnibus me ſubjicio) quod Pontifex, & ſi in caſu poſito poſt mortem parentũ poſſit filios ex matrimonio nullo progenitos legitimare, non tamẽ poteſt illos legitimare diſpenſando in radice matrimonii nulliter contracti.

Probatur, quia facta diſpenſatione in radice matrimonii, filii legitimantur *prout ex tunc*, & habentur ac ſi eſſent nati ex legitimo, & valido matrimonio; nam diſpenſatio in radice facit matrimonium valere *prout ex tunc*, ideſt tempore contractionis matrimonii; quia pro eo tempore vult Pontifex tollere impedimẽtum: ſed quando conjuges ſunt mortui non poſſunt filii legitimari *prout ex tunc*, ergo quando conjuges ſunt mortui, non poſſunt filii haberi, ac ſi eſſent nati ex legitimo, & valido matrimonio. Probatur minor, quia quando Pontifex diſpenſat in radice matrimonii, non ſupplet defectum conſenſus, ſed tantùm tollit impedimentum, & obſtaculum, ratione cujus matrimonium erat nullum, & ideò poſt diſpenſationem, vel requiritur novus conſenſus conjugum, ut tenet *Sanch.lib.8. diſput.7.nu.*25. vel ſufficit naturalis conſenſus ab initio præſtitus, continuatus tamen pro eo tempore, quo Pontifex diſpenſat, quia conſenſus præſtitus ante diſpenſationem erat nullus, ut tenet *Corrad.lib.8. diſpenſ.Apoſtol. cap.2. n.*35. *&* 51. ſed quando conjuges ſunt mortui conſenſus poni non valet, nec poteſt continuari tempore diſpen-

ſpen-

ſpenſationis; ergo, &c.

Confirmatur, quia juxtà communiſſimam Theologorum, & aliquorum Canoniſtarum ſentẽtiam, quando ſtante aliquo impedimẽto dirimente aliqui matrimonium contrahunt per verba de præſenti ſub hac conditione *ſi Papa diſpenſaverit*, poſita diſpenſatione requiritur novus conſenſus, ſine quo matrimoniũ nullo modo confirmari poteſt, quia inter illos, in quibus eſt aliquod impedimentum dirimens contractũ, non poteſt eſſe legitimus conſenſus, & ſic poſtea confirmari non poteſt per ſolã ſublationem impedimenti, ut optimè probat *Navar. de ſponſal. conſil. 14. n. 7.* ſed quando conjuges ſunt mortui novus conſenſus haberi non poteſt; ergo nullo modo tale matrimonium confirmari poteſt; ergo nec dici poteſt diſpenſatio facta in radice matrimonii.

Confirmatur ulterius alia ratione ejuſdem *Navar. l. cit.* quia matrimoniũ Chriſtianorum eſt Sacramentum, quod ſi à principio fuit nullum, non poteſt ab ulla humana poteſtate confirmari, quia ſi hoc eſſe poſſet, diceremus, Papam id, quod non erat Sacramentum poſſe facere Sacramentum, quod eſt falſum: ſed matrimonium contractum ſtante aliquo impedimento dirimente non poteſt dici Sacramentum; ergo neceſſariò poſt ſublatum impedimentum adhibendus eſt novus conſenſus legitimus, ut fuit per tres ſignaturas deciſum, ſed hìc novus conſenſus haberi non poteſt poſt mortem conjugum; ergo non poteſt à Pontifice approbari, ut etiam tenet *Pignatell. tom. 3. conſult. 33. n. 15.* dum in noſtro caſu loquendo dicit: *id dumtaxat, quoad effectus merè civiles, non autem quoad valorem Sacramenti.*

Hìc tamen advertas, quod quia gratia diſpenſationis conceſſa ad validandum matrimonium nulliter inter conjũctos contractum, & ad legitimandam prolem continet duo æquè principaliter, videlicet mandatum de diſpenſando, ut illi, qui nulliter, & de facto contraxerunt maneant in matrimonio contracto, & poteſtatem legitimandi prolem; ideò ſi quoad primum non potuit effectum habere propter ſupervenientem mortem alterius ex parentibus, valet tamen ipſa gratia, & poteſt executioni mandari, quoad legitimationem prolis, prout deciſum per *Rotam Romanam* refert *Quaranta in Summa Bullar. verbo Matrimoniales diſpenſationes, in fine.*

QUÆ-

QUÆRES V.

An Epiſcopus, vel Legatus Pontificis, valeat in aliquo caſu particulari diſpenſare in impedimentis jure humano dirimentibus?

ABſolutè loquendo, Epiſcopus, vel Pontificis Legatus in dictis impedimentis propria authoritate diſpenſare non valent, quia inferior non poteſt legem ſuperioris tollere, *Clem. ne Romani. de electione*, facit *textus in cap. cum inferior. de majoritate, & obed.* ſed impedimenta dirimentia ſunt introducta à Pontifice, qui alium ſuperiorem præter Deum non recognoſcit; ergo non poteſt Epiſcopus, vel Legatus Pontificis in dictis impedimentis diſpenſare, *Guttierez de matrim. cap. 49. num. 6.*

Cõfirmatur, quia Legatus Pontificis circa diſpenſationes, illa poteſt in ſua provincia tantùm, quæ poteſt Epiſcopus in ſua Diœceſi: ſed Epiſcopus in dictis impedimentis diſpenſare non valet; ergo nec Legatus à latere, ita *Sanch. lib. 8. diſp. 6. n. 15. Guttierez de matrim. cap. 122. num. 3. Corrad. in prax. diſpenſat. Apoſtol. lib. 7. cap. 7. n. 47.* undè *Sacra Congreg. Concilii ſuper cap. 5. ſeſſ. 24. de reformatione matrimonii*, ſic ait: *Epiſcopus authoritate ordinaria non habet facultatem in gradibus affinitatis, ſeù conſanguinitatis à jure prohibitis contrahentes matrimonia diſpenſandi*, de qua declaratione *Corradus loco citat.*

Ad quæſitum tamen dicimus, quod quando lex humana à Superiore lata poteſt abſque gravi onere ſervari expectando diſpẽſationem à Superiore, non poteſt Epiſcopus in tali lege diſpenſare, ſed recurrendum eſt ad Superiorem, ne inferior Superioris jura deleat: quando verò lex Superioris ſervari nequit, niſi cum graviſſimo onere, & damno vitæ, infamiæ, &c. tunc intrat regula: *leges non obligant cum gravi onere, can. erit diſt. 4.* & ideò poteſt Epiſcopus in tali caſu diſpenſare in impedimentis dirimentibus, non ſolùm antequam contrahatur matrimoniũ, ſed etiam poſtquam eſt contractum matrimonium, in foro conſcientiæ tantùm.

Antequam contrahatur matrimonium Epiſcopus diſpenſare poteſt in dictis impedimentis, quando urgentiſſima ratio id poſtulat, puta ſi mulier, quando omnia ad nuptias ſunt parata, accedit ad Confeſſarium, & manifeſtat, ſe habere aliquod impedimentum dirimens, quod dete-

tegere infamiam notabilẽ produceret; nec poſſet aliquo modo differri contractio matrimonii pro recurſu habendo ad Põtificem, vel ad habentem à Pontifice facultatem diſpenſandi in impedimento occulto, eò quod vehemens ſuſpicio oriretur de aliquo crimine, tunc poteſt Epiſcopus diſpenſare in impedimẽto lege Pontificia, vel Concilii ſtatuto, quia magnum periculum eſſet in mora; & non ſupponitur voluntas Superioris in tali urgentiſſimo caſu relinquere contrahentes deſtitutos opportuno remedio, *Sanchez lib.*2. *diſput.*40. *nu.7. Bonac. de imped. matrim.q.3.punct.*15.*n.6.Leand. de matrim. diſp.*24. *qu.*7. *Perez de matrim diſp.44.ſect.6.n.3. Pignatell. tom.3. conſult.33. n.4.& ſeq. Piaſecius in prax. p.2. cap.1. artic.3.n.11.in fin.Diana part.2. tract.16. Miſcellan.reſol.19.in fin.* Eſt cõtra *Guttier.de matrim. cap.49.n.11.* & alios, quos refert *Diana l. c.* poteſt tamen iſto honeſto colore retardari contractio matrimonii, & interim ad Pontificem recurri pro diſpenſatione, puta ſi Confeſſarius faciat illam vovere caſtitatem ad tempus, ſcilicet ad menſem, deindè mulier illa dicat ſuis cõſanguineis, ſe eſſe alligatam voto caſtitatis, & quod Confeſſarius ſibi præcepit, ut à nuptiis abſtineret, donec impetretur à Pontifice diſpenſatio voti; debet tamen tacere votum fuiſſe ad tempus, quia in tali voto Epiſcopus diſpenſare valet, *Sanch.* & *Bonacina locis citatis.*

Quomodo autem ſe gerere debeat Parochus, quando impedimentum dirimens in confeſſione agnovit, & contrahentes nolunt à contractione deſiſtere, & diſpenſationem interim petere ponit, *Borgin in.Cavalc. p.2.deciſ.12.n.10.* ubi dicit, quod debet differre quantùm poteſt, ſi autem neceſſe eſt, ut procedat ad contractionem matrimonii, vel propter ſcandalum Populi, vel propter coactionem Superioris, conſilium eſt, ut iſte Parochus Confeſſor faciat per Vicarium celebrare matrimoniũ.

Poteſt etiam Epiſcopus poſt contractũ matrimonium diſpẽſare in impedimento dirimente, quando concurrunt ſequentes circumſtantiæ: Prima, ut matrimonium ſit jam contractum: Secunda, ut ſit contractum cum ignorantia impedimenti: Tertia, ut ſit conſummatũ matrimoniũ: Quarta, ut impedimẽtum ſit occultum: Quinta, quod contrahẽtes ſint adeò pauperes, quod nõ poſſint ire, vel mittere ad Summum Pontificem, vel ad alium

talem facultatē diſpenſandi habentem: Et ſexta, quod ſi fieret ſeparatio, ſcandala veriſimiliter exoriri poſſent, *Sanch.lib.2.diſp.40.& lib.8.diſp.6.n.16.& 20.Bonac.de impedimentis matrim.q.4.punct.15.n.4.& de legibus diſp.1.q.2 punct.1.n.19. Guttier.de matrim.cap.49.n.6.Corrad.lib.8.diſpenſat.Apoſtolic. cap.4. n.35. ubi n.41.* dicit,hoc fuiſſe approbatū à Sixto V. nam Epiſcopus Aſtēſis oblata ſibi urgenti cauſa diſpenſavit, qui deindè certioravit Cardinalem Cuſentin Prodatarium, à quo facto verbo cū Sanctiſſimo, fuit eidem Epiſcopo reſcriptum,ſibi licuiſſe in hujuſmodi caſu diſpenſare, eumq; prudenter egiſſe ſtante aſſerta neceſſitate; idem docet *Zerola in prax.p.1. verbo Diſpenſatio,§. ad quintum,* ubi dicit,quod dum ipſe talem caſum haberet, taliter fuit ei ab urbe reſponſum. Eſt contra *Sotum, Cordubam, Alphonſum à Vera cruce, & Medinam,* quos citat *Guttierez loc. cit.num.5.*

Cum divitibus poteſt etiam Epiſcopus diſpenſare cōcurrente urgenti neceſſitate, puta ſi longiſſimè diſtent ab urbe,& eſſet magnum periculum incontinentiæ, tamdiù expectare *Corrad. loc.cit.nu.35.Candid. de matrim.tom.2.diſp.28.art.16.dub.3.§.12. Guttier. de matrim.cap.49.n.10.Sanch.lib.2.de matrim.diſp.40.n.5.* ubi dicit idem eſſe ſi impedimentum eſſet ex parte fœminæ, quæ conſanguineo viri ante contractionem matrimonii copulata eſt, nec poteſt impedimentum viro detegere, quia vitæ jacturam patietur, nec poteſt à viro abſque ſcandalo ſeparari, vel ei debitum negare, tunc enim quia periculum eſt in mora conſulendi Pontificem, nec commodus recurſus eſt ad Pontificem, ut ſupponitur, poterit Epiſcopus diſpenſare.

Ratio horum eſt, quia ſtantibus ſupradictis circumſtantiis adeſt urgentiſſima neceſſitas cōcedendi Epiſcopo facultatem diſpenſandi, ne videlicet cōtrahentes, qui in prædicto caſu Sūmum Pontificem conſulere nequeunt, opportuno remedio deſtituti remaneant, cum abſque ſcandalo ſeparari non poſſint; adeoque æquitas ſuadet, mentē legiſlatoris non eſſe, ut in eo caſu Epiſcopus nequeat diſpenſare; licèt enim Epiſcopus non valeat contra Canones, & Concilia diſpenſare auctoritate ordinaria, niſi in caſibus jure expreſſis; in multis tamen caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis diſpenſare poteſt, videlicet ubi adeſt magna neceſſitas, aut peri-

ri-

riculum ſcandali, ſi diſpenſatio differatur, & in tali caſu diſpenſatio intelligitur facta cum tacito conſenſu Sedis Apoſtolicæ, ut probat *Corradus l.c. & Sanch. l.c. Barboſ. ad Trid. ſeſſ.* 1. *n.* 4. ubi cum aliis dicit, Epiſcopum poſſe diſpenſare ſuper Concilium ex magna cauſa neceſſitatis, vel utilitatis, quando Concilium, vel permittit diſpenſare, vel loquitur imperſonaliter, vel vetando, vel permittendo, vel imponendo aliquam pœnam.

Poſſe etiam Epiſcopum diſpenſare in impedimento occulto, quod poſt contractionem factum eſt publicum, ſi ex ſeparatione immineant damna, & ſcãdala, tenet *Perez de matrim. diſput.* 43. *ſect.* 6. *n.* 6. quia cum tanto onere recurrendi ad Papam lex humana non obligat; nam lex humana debet fovere non coercere bonum publicum animæ, & corporis.

Ego verò ad Pontificem recurrendum exiſtimo, quia ceſſant circũſtantiæ ſuperiùs enumeratæ, nec ex ſeparatione oritur ſcandalum, quando impedimentum jam factum eſt publicum: undè ſemper ac pro diſpẽſatione poteſt ad Pontificẽ haberi recurſus, non debet Epiſcopus diſpenſare, etiam poſtquam fuit cõtractum matrimonium cum ſolemnitatibus requiſitis à Trid. *Guttier. de matrim cap.* 40. *num.* 12. Nec poteſt Epiſcopus talem facultatẽ ſibi aſſumere virtute *Trident. ſeſſ.* 24. *cap.* 5. *de reform. matrim.* ubi legitur: *Si verò ſolemnitatibus adhibitis impedimentum aliquod ſubeſſe poſtea cognoſcatur, cujus ille probabilem ignorantiã habuit, tunc faciliùs cum eo, & gratis diſpenſari poterit*, *Guttier. de matrim. cap.* 112. *n.* 7. non inquam poteſt talem facultatem ſibi aſſumere, quia licèt Concilium generaliter loquatur dicendo, quod *gratis diſpenſari poterit*, nõ explicando à quo ſit concedenda diſpenſatio, non tamen intelligitur cõceſſa facultas Epiſcopo, quia *Text. Concilii* ſemper de Pontifice loquitur, dicendo illi expedire, ut nunquam diſpenſet cum iis, qui mala fide dicta matrimonia iniere, ſecus quando bona fide, & ita conſuetudine explicatum eſſe decretum Concilii, dicit *Sanch. lib.* 8. *diſput.* 6. *n.* 19. *Barboſ. ad dictum caput* 5. *Trident. num.* 4.

Et quamvis idem *Sanch. loc. c. diſput.* 5. dicat, quod quando Canon, vel lex Superioris, aut conſtitutio Concilii generalis permittit, ut in eo diſpenſari poſsit, vel imperſonaliter de diſpenſatione loquitur dicẽdo,

niſi in eo diſpenſetur, non explicando à quo ſit diſpenſandum, videtur facultas diſpenſandi cõceſſa Epiſcopo, tamen *diſput.6. n.19.* de hac ſua doctrina mẽtionem faciẽdo, ſubdit, quod *abſque dubio tenendum eſt, non poſſe Epiſcopum diſpenſare.*

Ex dictis infertur, quod quãdo Epiſcopus poteſt Summum Pontificem per literas certiorẽ facere, vel poteſt inopiæ partiũ ſuis redditibus, & pecuniis occurrere, tenetur Summum Pontificem admonere, vel ſupplere pauperiem partium, ſi commodè poteſt, quia non dicitur adeſſe neceſſitas diſpenſandi, quando non adeſt periculum in mora, & ad Summum Pontificem poteſt acceſſus haberi per literas Epiſcopi, qui poteſt, & tenetur neceſſitati pauperum ſubvenire, cum Pater pauperum nũcupetur, & ſit, *Bonac. de legibus diſp.1.q.2.p.1.n.19.* Oppoſitum tamen tenet *Diana p.1.tract.10. de legibus reſolut.37.* ubi dicit, quod ſua ſententia in praxi ſervatur, & à *Doctoribus* amplectitur.

Infertur ulterius, quod ſi matrimonium ſit mala fide contractum, non poteſt Epiſcopus in impedimento occulto diſpenſare, *Trid.ſeſſ.24.cap.5.de reform. matrim. Sanch. lib.2.diſp.40.n.4.* ubi id limitat, quando unus ex contrahentibus eſſet in bona fide, *Pignatell. tom.3. conſult.33. n.14.* quia æquum non eſt, puniri innocentem ob alterius delictũ, & ſic poteſt Epiſcopus diſpenſare, quando concurrunt conditiones ſuperiùs enumeratæ: imò quod poſſit Epiſcopus diſpenſare etiam quando mala fide eſt contractum matrimonium, concurrente periculo, vel ſcandalo ſpirituali, vel temporali, tenet *Alphonſus Moſcoſo in ſumma tract.10. cap.29.n.22.* quam opinionem probabilem dicit *Villalob.in ſumma tom.1. tract.14.diffic.25.n.4.* ſed contrariam probabiliorem appellat, ut videre eſt apud *Dianam p.5.tract.14. Miſcel.2.reſol.18.*

Quæ dicta ſunt de Epiſcopo intelliguntur etiam de Capitulo Sede vacante, quia habet Epiſcopalem juriſdictionem, *Sanch. lib.8 de matrim.diſp.2.n.10.Diana p.4.tract.4.miſcel.reſolut.211.* Quid autem dicendum ſit de Abbatibus, & aliis Prælatis habentibus juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, latè docet *Diana p.7.tract.2. reſolut.4.* ubi pro utraque parte diſcurrit.

QUÆRES VI.

An Epiſcopus poſsit alteri delegare facultatem diſpenſandi in impedimẽtis occultis matrimonium dirimentibus, in caſibus, in quibus ipſe ratione imminentis neceſsitatis, vel alias diſpenſare poteſt?

AFfirmat *Sanch. lib.2. diſput. 40.n.14. Guttier. de matrimon. cap.49.n.16.* quia jurisdictio ordinaria competens perpetuò dignitati, vel officio etiam ratione privilegii, vel Canonis delegari poteſt; ſed jurisdictio Principis voluntaria privilegio, commiſſione legis, aut Canonis competens perpetuò, non perſonæ, ſed dignitati non eſt delegata, ſed ordinaria, *Bartol. in l. ambitioſa n.34. ff. de decretis ab ordine faciendis*; ergo talis poteſtas poteſt ab Epiſcopo delegari, quia ei competit perpetuò ratione dignitatis, & officii: Major patet, nam in caſu ſpeciali, in quo ratione urgentis neceſſitatis competit Epiſcopo ex officiò abſolvere impeditos ire Romã, ut abſolutionem obtineant ab excommunicatione contracta propter Clerici percuſſionem poteſt Epiſcopus talẽ facultatẽ delegare, ut expreſsè habetur in *cap. fin. de offic. Judic. ordinar.* ubi *Gloſa, Felin. & Innoc.* ergo, &c. aliter tamen iſti diſcurrunt, quãdo nudum miniſterium eſt commiſſum, ut eſt quando jurisdictio à Principe data eſt per reſcriptum, nam tunc non poteſt alteri per Delegatum committi, *Covar. lib.3. var. cap.20. nu.6.* vel quando res commiſſa eſſet tanti momenti, ut per alium expediri nõ poſſet, qualis eſt poteſtas cõferendi beneficia vacatura, quã poteſtatem tantùm Vicario ſuo generali poteſt Epiſcopus delegare, *Gloſa in cap. deliberatione verbo Cuicunque de offic. legat. in 6. Covar. loc. cit.*

Hinc nõ obſtat *Tex. in cap. ult. §. fin. de offic. Judic. Deleg.* quia *Text.* loquitur quando eſt commiſſum certum miniſterium, non verò quando eſt commiſſa jurisdictio, ut apertè loquitur *Text.* In caſu autem noſtro non dicitur commiſſum miniſterium, ſed jurisdictio, quia perpetuò ratione officii, & dignitatis competit Epiſcopo talis facultas.

Nec ſecundò obſtat *Trid. ſeſſ. 24. cap.6. de reformat.* ubi concedendo Epiſcopis caſus occultos Summo Pontifici reſervatos, explicat, quod delinquentes quoſcunque ſibi ſubditos in Diœceſi

ceſſi ſua per ſe ipſos, aut Vicariũ ad id ſpecialiter deputatum in foro conſcientiæ gratis abſolvere poſſint; ergo alteri non poſſunt talem facultatem delegare: Nam Concilium non dicit, Epiſcopum non poſſe hos caſus delegare, ſed tantùm Vicarium Epiſcopi non habere ex generali commiſſione Vicariatus hos caſus, niſi ſpecialiter committantur: poterit tamen Epiſcopus ſuo Vicario generali, vel alteri generaliter delegare facultatẽ in caſibus ſibi competentibus antequam eveniant, dummodò de ipſis caſibus occultis in mandato, & delegatione ſpecialem, & expreſſam mentionem faciat, ita *Sanch. lib. 2. diſp. 40. n. 17. Guttier. de matrim. cap. 99. nu. 19. & ſeqq.* faciunt tradita per *Dianam p. 7. tract. 2. reſolut. 12. & 13.*

QUÆRES VII.

An Vicarius Generalis Epiſcopi valeat diſpenſare in impedimentis matrimonii in eo caſu, quo Epiſcopus diſpenſare poteſt?

RESolutio hujus dubii ex dictis colligi poteſt, nam ex generali commiſſione Vicariatus non habet Vicarius poteſtatem diſpenſandi, ſed requiritur ſpecialis commiſſio, *Sbroz. lib. 2. de Vicario Epiſcopi, qu. 35. n. 3. Sanch. l. cit. n. 12. Guttier. l. c. n. 18. & 21. & lib. 1. Can. qq. cap. 19. n. 15. Corradus lib. 8. diſpenſation. Apoſtolicar. cap. 4. n. 42.* præſertim quando facultas diſpenſandi conceditur *Epiſcopo*, quia ſi cõcederetur *Ordinario*, tunc poſſet Vicarius diſpenſare, cum nomine *Ordinarii* veniat tàm Epiſcopus, quàm Vicarius Generalis, ut probat *Guttierez l. c.* Dicit tamen *Sanch. loc. c. n. 9.* quod habens privilegium diſpenſandi in caſibus Epiſcopalibus, etiam matrimonialibus, non poteſt diſpenſare in caſibus Epiſcopo cõpetentibus, non jure Ordinario, ſed ratione urgentis neceſſitatis, quia hi non dicuntur caſus Epiſcopales, ſed verè ad Pontificem pertinent, & ex quadam juris interpretatione Epiſcopo cenſentur permiſſi.

Nec valet dicere, quod *Sanch.* ſibimet contradicere videtur, nã in eodem loco *n. 14.* dicit, Epiſcopum poſſe talem facultatem diſpenſandi in impedimẽtis matrimonium dirimentibus alteri delegare, & rationem reddit: *quia jurisdictio ex Principis privilegio competens non perſonæ, ſed perpetuò dignitati, vel officio non eſt delegata, ſed Ordinaria, & poteſtatis Ordinariæ jura habet, & ſe-*

ſequitur: ergo cum hæc poteſtas ſit Ordinaria, poterit delegari: Si ergo talis poteſtas Ordinaria eſt, habens privilegium in caſibus Epiſcopalibus etiam matrimonialibus, poterit diſpenſare, ſicut poteſt Epiſcopus talem facultatem alteri delegare:

Non inquam valet, quia habens privilegium in caſibus Epiſcopalibus, poteſt tantùm in caſibus Epiſcopo competentibus *jure proprio* diſpenſare, ſecus verò in caſibus Epiſcopo competentibus *ex privilegio conceſſo eidem dignitati*; nam tunc talis facultas tantùm delegari valet, non ſolùm ſuo Vicario, ſed etiam alteri; niſi res Epiſcopo commiſſa eſſet tanti momenti, ut per aliũ expediri nequeat, qualis eſt poteſtas conferendi beneficia, quam ſoli Vicario ſuo generali poteſt Epiſcopus ſpecialiter delegare, *Sanch. lib.2. diſp. 40.n.16.& ſequenti.*

QUÆRES VIII.

An Epiſcopus valeat diſpenſare in impedimento dirimente, quod ſupervenit matrimonio in ordine ad privationem petitionis debiti, & ita diſpenſare in affinitate, & cognatione ſpirituali, quæ matrimonio ſuperveniunt.

COmmuniter *DD.* aſſerunt, poſſe Epiſcopum diſpenſare, ut per *Garziam de beneficiis p.11.cap.15.nu.355. Dianam p.2. tract.16. Miſcell. reſolut.19.* Oppoſitum tamen tenet, *Corrad. lib. 8. diſpenſat. Apoſtolic. cap.1. n.55. ubi n.60.* dicit, quod ſolùm ratione præſcriptæ conſuetudinis (ſi daretur) poſſent Epiſcopi diſpenſare, qua deficiente ad Pontificem recurrendum ſi impedimentum ſit publicum: ſi verò impedimentum ſit occultum, diſpenſatio peti poteſt per officium Sacræ Pœnitentiariæ; & ita dicit, eſſe notorium ſtylum Curiæ, per quem ita tenuerunt omnes Domini Abbreviatores majoris Præſidentiæ Cancellariæ Apoſtolicæ, & ſæpiſſimè pro hujuſmodi diſpenſationibus impetrandis porriguntur Summo Pontifici ſupplicationes, ubi *nu.56.* ponit formulam ſupplicationis, quam pro Tironibus ſubiicio, & eſt.

Beatiſſime Pater: Exponitur humi-

militer S.V. pro parte devoti illius Oratoris N.N. Laici Neap. quod alias poſtquam dictus Orator matrimonium cum devota veſtra B.B. muliere etiam Neapolit. per verba de præſenti publicè ſervata forma Concilii Trid. contraxerat, illudque in facie Eccleſiæ ſollemnizaverat, & carnali copula conſummaverat, veſana libidine victus, devotam veſtram D. dictæ B. ſororem Germanam, adhuc carnaliter cognovit, & ex ea prolem ſuſcepit, qua propter coram Judice ſeculari accuſatus in quaſdam pœnas, quas jam perſoluit condemnatus fuit: Cum autem, Pater Sancte, dictus Orator præmiſſa commiſiſſe plurimum doluerit, & doleat, & à ſimilibus committendis abſtinere, Deo dante firmiter propoſuerit, & proponat, cupiatque propterea in matrimonio cum prædicta B.B. ut prefertur contracto remanere: ideò ſupplicat humiliter S.V. Orator præfatus, quatenus ejus ſtatui in præmiſſis opportunè providendo, ſibique ſpecialem gratiam faciendo, ipſum Oratorem ab excommunicationis ſententia, quam propter præmiſſa incurrit, inceſtus reatu, & exceſſibus hujuſmodi in utroque foro abſolvere, ac cum eodem Oratore quod affinitate ex præmiſſis proveniente hujuſmodi non obſtante in matrimonio prædicto cum præfata B. ut prefertur contracto remanere, debitumque conjugale reddere, & petere licitè valeat, diſpenſare: prolem ex dicta B. ſuſceptam, ſi qua ſit, & ſuſcipiendam exindè, legitimam decernendo dignemini de gratia ſpeciali, non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque cum clauſulis opportunis.

Verùm, quod ex conſuetudine poſſit Epiſcopus diſpẽſare, tenet *Guttier. lib. 1. Canonic. qq. cap. 23. n. 15. & ſeqq. & de matrim. c. 123. n 15.* ubi dicit, *quod licèt in rigore juris defendi valeat non poſſe Epiſcopum in tali caſu, conſuetudine tamen, & praxi communi introductum eſt, ut poſſit ſemper in hoc Epiſcopus diſpenſare, prout paſſim Epiſcopi in hoc diſpenſant juxta communem ſententiam, & affirmationem Theologorum, & Juriſperitorum, quos congerit numero infinito, & ſequitur, dicens, hoc eſſe probabilius, & tenendum Thomas Sanchez lib. 8. diſp. 12. n. 13. id amplians n. 14. ut procedat etiamſi ad quoſcunque potentes diſpenſare ſit facillimus aditus:* Præterea idem *Guttierez lib. 1. Canonic. qq. cap. 23. nu. 17.* dicit, *quod diſpenſare ſimpliciter in affinitate, ideſt non ad ſolum uſum matrimonii contracti, ſed etiam ad contrahendum matrimonium cum*

cum affine ſolius eſt Romani Pontificis; ſed diſpenſare in affinitate ſecundùm quid, ideſt non ad contrahendum matrimonium de novo cum affine, ſed ad uſum matrimonii non eſt ſolius Romani Pontificis, ſed etiam Epiſcoporum eſt, & *n. 19.* dicit, *quod ob vitandum periculum animæ inceſtuoſi ſimul cũ uxore cohabitantis, & quia jus hoc caſu diſpenſationem Summo Pontifici ſpecialiter non reſervavit, nec Epiſcopi ab ea ſint cohibiti, rectè Epiſcopus poteſt in dicto caſu diſpenſare, quoad effectum tantùm exigendi debitum ab uxore, cui per inceſtum effectus eſt affinis, ut habet communis opinio, quam ſequor, ac libenter probo, & juxtà eam jam conſului, quinimò, & judicavi cum eſſem Ordinarius hujus Epiſcopatus Civitatenſ. Sede vacãte Epiſcopali: Conceſſi enim facultatem cuidam Confeſſario diſpenſandi ſuper hujuſmodi caſu.*

Ex hoc patet, quod opinio *Corradi*, licèt probabilis ſit, tamen in praxi oppoſitum ſervatur, & communiter Epiſcopi diſpenſant, ſicut etiam poteſt Epiſcopus diſpenſare cum conjuge ad petendum debitum, qui cum ſua conjuge contraxit cognationem ſpiritualem, & ita conſuetudo probat, ut dicit *Guttierez de matrim. cap. 123. n. 16.*

Unum tamen videtur obſtare in rigore juris contra opinionẽ, quam amplectitur *Guttier.* quod inferior non poteſt diſpenſare in lege ſuperioris, quamvis ei non ſit interdictũ, ut tenet *Diana. p. 3. tract. 6. Miſcel. reſol. 72. circa finem.* Sed quia *Guttierez* in cõſuetudine ſe fundat, ideò ejus opinionem in praxi ſequi poſſumus, cũ cõſuetudo contra jus introducta teneat, dummodò de jure Canonico ſit præſcripta ſpatio 40. annorum, & ſit rationabilis, *Abb. & DD. in cap. fin. de conſuetud.* & hoc modo nõ obſtat *Tex. in can. Conſuetudinis. diſt. 11.* ubi habetur, quod conſuetudo non vincit rationem, nec legem: nam quando conſuetudo eſt rationabilis, & legitimè præſcripta, vincit jus poſitivum, *d. cap. fin. de conſuet.*

Advertas tamen, quod juxtà ſententiam *Dianæ p. 3. tract. 5. Miſcel. reſol. 12.* quando quis ſcienter acceſſit ad conſanguineam uxoris ſuæ, ſed ignorabat prohibitionem, & pœnam juris, ſtante dicta ignorantia, poteſt ſine diſpenſatione petere debitũ, idque etiam verum dicit, ſi ſciebat prohibitum eſſe à jure ad illã accedere, ſed ignorabat pœnam, quamvis ignorantia ſit vincibilis, & mortaliter culpabilis, dummodò non ſit craſſa, ut dicit ibidem *reſol. 13.* Videas *Baucii*

tract. de Prudentia Confeſſarii à n.19.uſq;ad 20.*&* *n.*50.*quæſit.*10.

QUÆRES IX.

An Epiſcopus poſſit diſpenſare in impedimento dirimente, quando eſt obtenta diſpenſatio in illo, ſed ſubreptitiè?

SUbreptitia dicitur diſpenſatio, quando verum, quod erat exprimendum tacetur, vel quãdo falſum exprimitur, prout infra in tertia Diſputatione in primo Quæſito dicetur, & tunc ipſo jure diſpenſatio vitiatur, *Guttier. de matrim. cap.74. n.25.* Videndum modo eſt, an Epiſcopus valeat diſpenſare, quando à Romano Pontifice fuit obtenta diſpenſatio, ſed ſubreptitiè.

Præſens dubium ponitur à *Sanch. lib.8. diſp.6. n.21.* ubi nihil reſolvit, ſed ſe remittit ad dicta per ipſum *lib. 2. diſput. 38. n.12.* ubi conatur reſolutionẽ deducere ex *Text. in cap. quia circa.6. de conſang. & affinit.* dicendo, quod dum in citato *Tex.* dicitur, *diſſimulare poteris, ut remaneant in copula ſic contracta, cum ex ſeparatione (ſicut aſſeris) grave videas ſcandalum imminere*, nec Pontifex diſpenſat, nec Epiſcopo videtur conceſſa facultas diſpenſandi, & revalidandi diſpenſationem ſubreptitiam: quia *Textus*, tantùm dicit, Epiſcopum diſſimulare poſſe, ut illi remaneant in matrimonio mediante diſpenſatione ſubreptitia contracto, ſi ex ſeparatione grave immineat ſcandalum; ergo Pontifex non diſpenſat: nec diſſimulatio illa habet vim diſpẽſationis, quia ſi vim diſpenſationis haberet, ut licitè in matrimonio permanere poſſent, deberent de novo matrimonium contrahere, quia ſola diſpenſatione non poſſunt permanere in matrimonio: Hac ratione probat etiam citatus *Doctor*, quod Epiſcopo non eſt conceſſa facultas diſpenſandi, & revalidandi diſpenſationẽ impetratam ex falſa cauſa, quãdo virtute illius contractum eſt matrimonium, & eſt ſcandalum in ſeparatione, nam *tex.* nihil de diſpenſatione dicit, ſed de diſſimulatione loquitur;& ſi Epiſcopo talis facultas diſpenſandi eſſet conceſſa, deberet Epiſcopus prius diſpenſare, & poſtea conjuges illi iterum matrimonium contrahere: undè dicit, quod legitimus ſenſus, & intellectus dicti *Textus* eſt, quod cõjuges bona fide exiſtimabant, ſe legitimè conjunctos eſſe, & ex veritatis detectione timebatur grave ſcãdalum, ideò Pontifex tacendum, & diſſimulandum eſſe dicit, illoſque in matrimonio illo putativo, & invincibili ignorantia

excuſato permittendos eſſe: hæc *Sanchez.*

Verùm longè errat citatus *Doctor* circa intelligentiam dicti *Text.* nam ipſe putat, quod poſt obtentam diſpenſationem ſubreptitiam fuit matrimonium cõtractum, cum tamen alius ſit caſus dicti *Text.* nam ibi dicitur, quod quidam nobilis contraxit matrimonium cum quadam muliere, quæ illi quinto conſanguinitatis gradu attigebat (in hoc gradu antiquitus prohibita erat contractio matrimonii) de qua filiam unicam ſuſcepit, poſt mortem dictæ filiæ recurſum habuit ad Pontificem, ut favore dictæ filiæ, quam de tali muliere ſuſceperat, diſpenſationẽ concedere dignaretur, ut cum illa muliere remanere poſſet; obtinuit à Pontifice diſpenſationem, ſed Epiſcopus loci videns diſpenſationem ex falſa cauſa fuiſſe obtentam dubitavit executionem dare diſpenſationi, id ſignificavit Pontifici, addendo, quod ex ſeparatione illorum magnum ſcandalum imminebat, Pontifex reſcripſit, quod poterit Epiſcopus diſſimulare, ut remaneant in copula ſic contracta propter ſcandalum, quod imminebat, ſi ſepararentur, & talis diſſimulatio eſt loco diſpenſationis, ut dicit *Gloſa in citat. cap. quia circa*, ubi Innocentius IV. dicit: *Non intelligas, quod hic obtenta fuit diſpenſatio ſuper matrimonio, ſed data fuit alicui poteſtas diſpenſandi, & illi cui commiſſa erat diſpenſatio, timuit, & benè ad diſpenſationem procedere, quia cauſa diſpenſationis ceſſabat*, & infra: *Sed iſta diſſimulatio habet vim diſpenſationis, ità quod de cætero non poteſt ſeparari ipſum matrimoniũ, nam ſtultum eſset dicere, quod manent in adulterio:* Hæc ille.

Ad quæſitum ergo dicimus, quod obtenta diſpẽſatione ſubreptitia, ſi virtute dictæ diſpenſationis ſit jam matrimonium contractum, ſi deindè detegatur, cauſam fuiſſe falſam, certum eſt, matrimonium non ſubſiſtere, ſed iterum ad Pontificem recurrendum pro opportuno remedio, interim tamen debent à copula abſtinere: poterit tamen Pontifex denegare diſpenſationem, & præcipere, ut ſeparentur, ſi grave ſcandalum non immineat, ſicut novo jure *Trident. ſeſs.* 24. *cap.* 5. ſi quis intra gradus prohibitos ſcienter matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparatur, & ſpe diſpenſationis conſequendæ caret: ſi tamen ſubreptio ſit occulta, nec ſit facilis recurſus ad Pontificem, immineatque grave ſcandalũ, damnumve ſi diſpenſatio iterum ſit expe-

ſtanda à Romano Pontifice, poterit Epiſcopus diſpenſare, ut tenent aliqui relati à *Sanch.lib. 2.diſput.38.n.12.* & patet ex dictis.

QUÆRES X.

In dubio, An res egeat diſpenſatione, poteſt ne Epiſcopus declarare, diſpenſationem non deſiderari, vel ad cautelam diſpenſare?

AFfirmat *Emmanuel Sà in sũma verbo Diſpenſatio.nu.* 1. ſed meliùs *DD.* infra citandi cũ hac diſtinctione loquũtur: vel res eſt omninò dubia, an interveniat impedimentum nec ne, vel non eſt omninò dubia, quia præſumptio urget pro impedimento. Si primum, tunc non requiritur diſpenſatio, quia in tali dubio præſumptio ſtat pro libertate ad cõtrahendum matrimonium: poſſet tamen Epiſcopus gratia tollendi ſcandala, vel ſcrupula declarare non opus eſſe diſpenſatione, vel ad cautelam diſpenſare, quamvis hæc non ſit vera diſpẽſatio, quia ſi poſtea contracto matrimonio conſtaret de impedimento dirimenti, neceſſaria eſſet diſpenſatio Summi Pontificis; nam nullibi reperitur, poſſe Epiſcopum in caſu dubio impedimenti dirimentis diſpenſare, ſed potius eſt quædam prudentialis declaratio, quam etiam vir doctus facere poteſt. Si ſecundum, eſt neceſſaria diſpenſatio Pontificis, nec poteſt Epiſcopus diſpenſare; puta ſi quis habuit copulam cum Berta, & dubitat, an ſeminaverit, vel an ſemen inciderit intra, vel extra vas, ac proindè an contraxerit affinitatẽ cum ſorore illius, tunc cum tali dubio non poterit ſororem illius cum Epiſcopi diſpenſatione ducere, ita *Sanch. de matrim.lib.8. diſp.6. n.18. Guttierez de matrim cap.122.nu.5. Corrad. lib. 7. diſpenſat. Apoſtolic. cap. 5. nu. 65. Bonac. de legibus diſput.1. qu.2. punct.1.n.18.* Oppoſitum tamen defendit *Diana p.4.tract. 3.reſol. 46.* & rationem aſſignat, quia in tali caſu adeſt præsũptio pro libertate, & etiam quia caſus dubius non videtur Pontifici reſervatus, adeoq; Epiſcopi diſpenſatio ſufficit ſecũdùm ipſum, ut clariùs loquitur *p. 3. tract. 6. Miſcel.reſol.82.*

Addit etiam *Corradus loc.cit. n. 56.* quod in noſtra Curia Archiepiſcopali Neapolitana practicatum fuit, quod quando opponitur aliquod impedimentum ad contrahendũm, ſivè per malitiam, ſivè quocunque alio modo, & facta diligenti inquiſitione

ne

ne non conſtat de impedimento, ſit decretum declaratorium per Curiam: quod *ex quo non conſtat de tali impedimento, liceat matrimonium contrahere:* quæ quidem declaratio non videtur ſemper Ordinario permiſſa, ſed ſolùm in caſibus non ita arduis, quia in arduis ad Summum Pontificem recurrendum eſt mediātè ſupplicatione, quam pro tironibus ſubiicio, ut in occurrenti caſu, mutatis mutandis, valeant illam formare.

Beatiſſime Pater. Exponitur humiliter S. V. pro parte devotorũ illius Oratorum N. & N. Neapolit. Diœceſis, quod ipſi, ex certis rationabilibus cauſis animos eorum moventibus, cupiunt invicem matrimonialiter copulari: & licèt nullum eis Canonicum obſtet impedimentum, quominus id facere poſſint; quia tamen à nonnullis, id forſan ægrè ferentibus, falsò aſſertum fuit, dictã Oratricẽ eſſe uxoris dicti Oratoris jam defunctæ ſororem, ex illicito coitu procreatam, quominus contrahant impediuntur: Supplicant, &c. Oratores præfati, quatenus eis in præmiſſis opportunè providendo, ſibiq; ſpecialem gratiam faciendo, Ordinario loci, vel ejus Vicario in ſpiritualibus generali committere, & mandare, ut ſe de præmiſſis diligenter informet; & niſi, inquiſita per eum ſuper præmiſſis diligentiùs veritate, coram eo legitimè probatum fuerit, Oratricem prædictam eſſe uxoris præfati Oratoris jam defunctæ ſororem ex illicito coitu procreatam, ut præfertur, eandem imputationem Apoſtolica Authoritate reiiciat, eaque nõ obſtante Oratores prædictos, dummodò nullum eis Canonicum obſtet impedimentum, matrimonium inter ſe publicè, ſervata forma Concilii Trid. contrahere, illudque in facie Eccleſiæ ſolemnizare, & in eo poſtmodum remanere liberè, & licitè valere dicta authoritate declaret dignemini de gratia ſpeciali. Nõ obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunq; cum clauſulis opportunis, &c.

Quando verò matrimonium eſt jam contractum, & oritur dubium de impedimento aliquo dirimenti, etiam eſt recurrendũ ad Summum Pontificem mediāte ſupplicatione, quam ponit *Corradus l.c.* quam formulam nõ admitto, quia in illa fit mentio, quod factis publicationibus in Civitate Averſana fuit propoſitum impedimentum dirimens, & deindè contraxerunt; nam vel impedimentum non erat diſcuſſum, & non poterant cõtrahere, vel erat diſcuſſum, & cognitum, quod non erat impedimentum, & tunc

& tunc non poterat Ordinarius Averſanus prætextu nullitatis matrimonii eos Sacramentorum Eccleſiaſticorum participatione privare, nec ex eo quod dubium de novo fuit ſuſcitatum poterat eos communione privare, obſtāte *Textu in cap. inquiſitioni tuæ. 44. de ſententia excommunicationis*, quem *Textum* examinat *Guttierez de matrim. cap.49. nu. 23. & ſeqq.* ideò alio modo eſt formanda ſupplicatio, quam ex dictis formare poteris mutando, quæ mutanda ſunt.

QUÆRES XI.

Si inter DD. variæ adſint opiniones, quibuſdā aſſerentibus id eſſe impedimentum, aliis verò negantibus: poteſt ne Epiſcopus in tali caſu diſpenſare?

NUllam requiri diſpenſationem aſſerit *Sanchez lib. 8. diſput.6. nu.*18. ſi opinio negans ſit verè probabilis, quamvis affirmans ſit probabilior, & ita poteſt ille ſequendo opinionem probabilem contrahere matrimonium, quia in moralibus ſatis eſt minus probabilem ſententiā ſequi, ſi tamen verè probabilis ſit.

Ego autem probabiliorem ſententiam ſequendam aſſero; ut etiam tenet *Guttierez de matrim.cap.*122.*n.*5. & ad Romanū Pontificem recurrendum, niſi adſint circumſtantiæ illæ, quæ in quinto Quæſito ſupra poſitæ ſunt: ratione quarū poterit Epiſcopus diſpenſare, nam nullibi reperitur Epiſcopum in caſu dubio impedimenti dirimentis diſpenſare poſſe, ſed tantùm poteſt declarare, quod in tali caſu nullum adeſt impedimentum; quæ prudentialis declaratio etiam à viro docto fieri valet, quando caſus non eſt ita arduus, aliàs pro tali declaratione eſt omnino recurrendum ad Summum Pontificem, *Corradus lib. 7. diſpenſat. Apoſtolic. cap.* 5. *num.* 65. *& ſeqq.*

Quando verò adeſt fama, quod inter contrahentes adeſt impedimentum talis gradus, tunc requiritur diſpenſatio, quia fama cum aſſignatione gradus magis prævalet, quàm duo teſtes, quorum unus ſine juramento deponit de impedimento, quod ab ipſo ſcitur, & alter jurat, verùm non deponit de ſcientia, ſed de auditu, *Corrad.lib.8.cap.4.n.*32. *& ſeqq.*

QUÆ-

QUÆRES XII.

An Epiſcopus diſpenſare valeat in impedimentis non dirimentibus?

POſſe Epiſcopum diſpenſare in dictis impedimentis, excepto voto caſtitatis perpetuæ, voto religionis, & impedimento priorum ſponſalium, tenent *Sanchez de matrim. lib. 7. diſput.* 17. *n.*10. *& ſeqq. Bonac. de impedim. matrim. q.*4. *punct.* 15. *n.* 3. *Zerola p.* 1. *praxis verbo Diſpenſatio.* §. 8. *Piaſecius in prax. p.* 2. *cap.* 1. *art.* 3. *num.* 11.

Dixi excepto voto caſtitatis perpetuæ, quia in voto caſtitatis ad tempus poteſt Epiſcopus diſpenſare, ut dictum eſt ſupra in quinto Quæſito, *Sanch. lib.* 8. *diſp.* 9. *n.* 6. *& diſput.* 10. Dixi excepto impedimento priorum ſponſalium, quia cum dicta ſponſalia jure naturali Divino obligent ad ſervandã fidem præſtitam, eodem jure impediunt contractionem matrimonii, & ideò non poteſt Epiſcopus in illis diſpenſare, ſicut poteſt in aliis, quæ jure humano impediunt, *Sanchez loc. cit. n.* 13.

DISPUTATIO II.

De juſtis cauſis diſpenſandi in impedimentis matrimonium dirimentibus.

ET ſi Pontifex valeat de plenitudine poteſtatis tollere omnia impedimenta jure humano definita, tamen quia dicta impedimenta ad bonum commune ſunt introducta, non debet Pontifex ſine aliqua juſta cauſa in caſu aliquo particulari diſpenſare in dictis impedimentis, *Corrad. lib.* 1. *diſpenſat. Apoſtolic. cap.* 1. *n.* 6. *lib.* 7. *cap.* 2. *n.* 1. *& lib.* 8. *cap.* 2. *n.* 57. quia diſpenſatio aliud non eſt, quàm juris communis relaxatio facta cum cauſa juſta, & rationabili ab eo, qui habet jus diſpenſandi, ut communiter tradunt *DD.* Scio tamen, quod *Diana*, & alii apud ipſum *par.* 1. *tract.* 10. *de legibus reſol.* 32. *&* 35. tenent, ſuperiorem diſpenſantem in propria lege ſine juſta cauſa non peccare mortaliter, ſed tantùm venialiter, ſecluſo ſcãdalo, & gravi alterius damno; non ſemper tamen ad juſtam diſpenſationẽ requiritur, ut cauſa

ſa directè ad bonum commune referatur, ſed ſatis ſi indirectè, prout bonum partis redundat in bonum totius, ut loquitur *Sanch.lib.8. diſp.19. n.1.* & patet ex *Can. requiritis. §. niſi rigor* 1. *q.7.* & ex uſu Eccleſiæ, quæ paſſim in impedimentis diſpenſat ob privatū bonum, puta ob mulieris inopiam, vel ob alias particulares cauſas, ut infra patebit, & ideò in *Trid.ſeſſ.24.cap.5. de reformat.matrim.* dicitur: *In contrahendis matrimoniis, vel nulla omninò detur diſpenſatio, vel rarò, id ex cauſa, & gratis concedatur;* ſolùm in ſecūdo gradu requirit publicam cauſam, ut patet ex eodem *cap.5.* ibi: *In ſecundo gradu nunquam diſpenſetur, niſi inter Magnos Principes, & ob publicam cauſam.*

Cum igitur diſpenſationes in impedimentis dirimentibus non concedantur, niſi cum cauſæ cognitione, ideò videndum eſt, quænam ſunt juſtæ cauſæ de ſtylo Romanæ Curiæ receptæ, quibus Summus Pontifex diſpenſare ſolet: ſed quia aliæ ſunt cauſæ, quando nulla præceſſit copula inter contrahentes, & aliæ ſunt cauſæ, quando inter illos copula præceſſit, ideò ut abſque confuſione procedatur.

QUÆRES I.

Quænam ſunt cauſæ de ſtylo Romanæ Curiæ pro diſpenſationibus matrimonialibus obtinendis, quando copula non præceſſit?

JUre communi cauſæ, ex quibus concedebantur diſpenſationes duæ erant, ſcilicet *Evitatio ſcandalorum, & Proles ſubſequuta*, ut patet ex *cap.quia circa. de conſang. & affinit.* & advertit *Corrad. lib. 7. cap. 2. num. 3.* ubi ſubdit, quod hodiè aliæ permultæ ſunt à *Sacra Congreg. Concil.Trid.* declaratæ, & approbatæ, cum quibus ſuper hujuſmodi impedimentis diù per Sūmum Pontificem diſpenſari cōſuevit, quæ cauſæ numerantur à *Corrado l.c.n.6.& ſeqq. Quaranta in ſumma Bull.verbo Diſpenſationes matrimoniales, Zerola in praxi verbo Diſpenſatio n.1.*

Prima cauſa eſt *Anguſtia loci*, quando ſcilicet Oratrix in ſua patria propter anguſtiam loci virum ſibi non conſanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere poſſit, invenire non poteſt, undè debet ſupplicationem Summo Pontifici porrigere iſto, vel conſimili modo.

Beatiſſime Pater. Exponitur humi-

militer S.V. pro parte devotorũ illius Oratorũ N.N. Laici, & N.N. Mulieris, Neapolitanæ Diœceſis, ex loco N. ortorum. Quod cum dicta Oratrix in dicto loco propter illius anguſtiam virum ſibi non conſanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere poſsit invenire nequeat; Cupiunt Oratores præfati invicem matrimonialiter copulari. Sed quia tertio, & quarto à communi ſtipite provenientibus conſanguinitatis gradibus invicem ſunt conjuncti, deſiderium eorum hac in parte adimplere non poſſunt abſque Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione. Supplicant igitur humiliter E.S.V. Oratores præfati, quatenus cum eiſdem Oratoribus, quod impedimento quarti conſanguinitatis gradus bujuſmodi non obſtante matrimonium inter ſe publicè ſervata forma Concilii Trid. contrahere, illudque in facie Eccleſiæ ſolemnizare, & in eo poſtmodum remanere liberè, & licitè valeant, diſpenſare; diſtantiam verò tertii gradus prædicti eis non obſtare declarare, prolem ſuſcipiendam exindè legitimam nunciando, dignemini, de gratia ſpeciali. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque, cum clauſulis opportunis.

Et cum abſolutione à cenſuris ad effectum, &c. & de diſpenſatione, declaratione, nunciatione, aliiſque præmiſſis, ut ſupra latiſſimè extendēdis, & quod cognominum, affinitatis, aliorumque neceſſariorum major, & verior ſpecificatio, & expreſſio fieri poſſit in literis per officium minoris gratiæ expediendis, & committatur Ordinario, ſivè ejus Vicario in ſpiritualibus generali, qui depoſita, &c. diſpenſet, ut ſupra.

Secunda cauſa eſt *Propter Anguſtiam locorum*, quando ſcilicet Oratores ſunt ex duobus locis orti, & tunc debent in ſupplicatione exprimere, *quod cum Oratrix in locis ex quibus ipſa, & Orator prædictus orti exiſtunt, in dicta Diœceſi exiſtentibus, etiam de uno ad alium ſe transferendo, propter illorum anguſtiam, virum ſibi non conſanguineum, vel affinē paris conditionis, cui nubere poſſit, invenire nequit*. Si verò Oratrix domicilium in alio loco etiã alterius Diœceſis contraxit, debet petere diſpenſationem ob anguſtiam utriuſque loci, ſcilicet originis, & domicilii, cum clauſula conſueta, *factis proclamationibus etiam in Parochiali Eccleſia originis Oratricis, &c. Corrad. lib.7.cap.2.n.9.*

Tertia cauſa eſt *propter Anguſtiam loci, & Incompetentiam dotis, ſimul*, & tunc ponitur clau-

ſula, *& ſi extra*, undè Oratrix debet exponere, *quod in dicto loco propter illius anguſtiam virum paris conditionis, cui nubere poſsit invenire nequit, & ſi extra dictũ locum, vel dicta loca nubere cogeretur, dos, quam ipſa habet non eſſet competens, neque ſufficiens, ut cum ea virum, cui juxta ſtatus ſui conditionem nubere poſſet, invenire valeret, &c.* Ponitur hæc clauſula, *& ſi extra*, ad hoc ut faciliorē reddat Pontificem ad diſpenſandum, quia duriſſimum eſt cogi fœminam extra propriũ oppidum nubere, ne Patris, & Matris, ac Conſanguineorum conſortio deſtituta, acerbam, ac ſolitariam vitam tranſigere cogatur, & ideò Sacra Congregatio Cardinalium ad inſtantiam Archiepiſcopi Mediolanēſis die 18. Novembris 1570. declarãdo reſcripſit: *Clauſula illa, quæ diſpēſationibus occaſione dotis incompetentiæ apponi ſolet, videlicet, quia virum ſibi non conſanguineum, vel affinem paris conditionis invenire nequit, verificatur, & juſtificatur per diligentiam dumtaxat præſtitam in ipſo loco mulieris, & non in locis circumvicinis, Sanch. lib. 8. diſput. 19. n. 13.*

Advertas, quod hæc clauſula, *& ſi extra*, non ſemper ponitur, ſed ſolùm quando contrahentes eſſent in ſecundo, & tertio gradu à communi ſtipite, vel quando eſſent in ſecundo, & tertio gradu ex uno ſtipite, & quarto ex altero, quia quo propinquior eſt gradus, eo urgentior requiritur cauſa ad diſpenſandum, *Corrad. lib. 7. cap. 2. n. 11. & ſeqq.* Sed quando in dicto caſu ſecundi, & tertii gradus exprimitur qualitas perſonarum Oratorum, videlicet, quod ſunt nobiles, aut principales Cives, vel ſaltem ex honeſtis familiis (non tamen eſt exprimendum an Orator ſit Comes, Baro, &c.) & exprimitur cauſa *ob anguſtiam loci*, tunc non requiritur clauſula, *& ſi extra, Corrad. l. c. nu. 15.* & clariùs de hoc loquitur *n.* 115.

Quarta cauſa eſt *propter Incōpetentiam dotis*, ſeù *propter Paupertatem mulieris*, & ideò eſt exprimendum, *quod cum Oratrix dotem habeat minùs competentem juxta ſtatus ſui conditionem, cum qua virum ſibi non conſanguineũ, vel affinem paris conditionis, cui nubere poſsit, invenire nequeat, & dictus Orator intendat illam cum dicta minus competente dote in uxorem ducere, &c.*

Quinta cauſa, quia *mulier eſt indotata*, undè debet exponere, *quod cum dicta Oratrix indotata exiſtat, & dictus Orator illam ſic indotatam in uxorem ducere, ac uſque ad quantitatem ſecundùm*

Ora-

Oratricis qualitatem competenter ex integro dotare intendat, &c.

Hæc cauſa per SS. Dominum Alexandrum Septimum fuit admiſſa pro Nobilibus etiam in ſecundo, nec non in primo, & ſecundo gradibus, maximè concurrente alia cauſa, ut dicit *Corrad. in addition. ad cap. 2. lib. 7. n. 75.* Sed hoc augmentum dotis non ſemper requiritur, ſed tantùm quando diſpenſatio petitur in quibuſdã gradibus proximioribus, puta in ſecundo, & tertio, vel in tertio tantùm, ſivè conſanguinitatis, ſivè affinitatis, & in ſecundo, & quarto gradibus à communi ſtipite diſtantibus, & in primo publicæ honeſtatis juſtitiæ; non tamen requiritur quando diſtantia eſt in tertio, & quarto gradu, etiam à cõmuni ſtipite, *Corrad lib. 7. cap. 2. num. 37.*

Sexta cauſa eſt, *propter Dotem cum augmento*, ſeù quando alius auget dotem, ut cum tali conjuncto contrahat; undè debet exponere, *quod cum dicta Oratrix habeat dotem minùs competentem juxtà ſtatus ſui conditionem, cum qua virum paris conditionis, cui nubere poſſit invenire nequeat, & quidam Oratricis conſanguineus, ad id alias non obligatus, illius dotẽ, ita tamen, ut Oratori nubat, & non alias, uſque ad quantitatem, ſecundùm ejuſdem Oratricis qualitatem competenter augere, dictuſque Orator illam cum dicta minùs competenti dote, & illius augmento in uxorem ducere intendat, &c.*

Advertas, quod quando diſpenſatio petitur ob incompetẽtiam dotis, non ſemper eſt faciẽda mentio de *augmento dotis*, ſed ſolùm quando petitur diſpẽſatio in gradibus proximioribus puta in 2. & 3., vel in 3. tantùm gradu conſanguinitatis, ſivè affinitatis, ſicut etiam in 2. & 4. gradu à communi ſtipite, & in primo publicæ honeſtatis juſtitia, ſecùs verò ſi Oratores eſſent in 3. & 4. gradu etiam ab eodẽ ſtipite, *Corrad. lib. 7. cap. 2. n. 37.*

Septima cauſa eſt, *propter Lites ſuper ſucceſſione bonorum*, puta ſi in ſupplicatione exponatur, *quod cum Oratrix gravem litem ſuper ſucceſſione bonorum magni momẽti ſuſtineat, & ne ob defectum viri, qui litem hujuſmodi proſequatur, & defendat, ipſam liti hujuſmodi ſuccumbere contingat, dictuſque Orator illã in uxorem ducere, litemq; hujuſmodi in ſe ſuſcipere, defendere ac propriis expenſis proſequi intendat, &c.*

Octava eſt, *propter Dotem litibus involutam*, puta ſi mulier exponat, *quod habet dotem litibus involutam, & dictus Orator,*

qui ad eam proſequendam habilis exiſtit illam in uxorem ducere, liteſque hujuſmodi in ſe ſuſcipere, &c. Advertas tamen, quod iſtæ duæ cauſæ, ſcilicet ſeptima, & octava non admittuntur abſolutè in omnibus gradibus, ſed tantùm in remotioribus, puta in quarto, vel in tertio, & quarto, ut dicit *Corrad. loc. cit. num. 60.*

Nona cauſa eſt, *propter Lites ſuper rebus magni momenti*, undè in ſupplicatione eſt exponendũ, *quod cum inter dictos Oratores, ſivè eorum parentes, graves lites ſuper rebus magni momenti ortæ jam ſint, & ad præſens vigeant, aliundè tamen, quam ex cauſa matrimonii contrahendi inter dictos Oratores provenientes & ante illius tractatum ortæ, certumq; ſit, quod ſi Oratores ipſi invicem matrimonialiter copularentur lites, & controverſiæ hujuſmodi omninò componerentur, pro illis igitur componendis, ac pro bono pacis cupiunt, &c.* hæc cauſa fuit admiſſa etiam in ſecundo, imò in primo, & ſecundo gradibus, ſed cum alia cauſa, ut dicit *Corrad. in additionibus ad cap. 2. lib. 7. num. 75.*

Decima cauſa eſt *propter Inimicitias*, undè in ſupplicatione eſt dicendum, *quod cum inter dictorum Oratores parentes, conſanguineos, vel affines, graves inimicitiæ ortæ jam ſint, & de præſenti vigeant, aliundè tamen, quàm ex cauſa matrimonii inter eos contrahendi provenientes, & ante illius tractatum exortæ, certumque ſit, quod ſi Oratores ipſi invicem matrimonialiter copularentur, inimicitiæ hujuſmodi omninò componerentur, pro illis igitur componendis, ac pro bono pacis cupiunt Oratores prædicti invicem matrimonialiter copulari, &c.*

Advertas, quod quando ſunt graves inimicitiæ, cum periculo vitæ, diſpenſatur etiam in gradibus propinquioribus cum perſonis qualificatis, ut practicatum refert *Corrad. loc. c. n. 75. in fin. & n. 76.* ponit diſpenſationem Urbani VIII. quæ eſt. *Oblatæ nobis nuper pro parte dilectorum filiorũ Franciſci de Summa Clerici, ad laicalia vota aſpirantis, & Beatricis etiam de Summa mulieris Neapolitanæ, dilecti filii nobilis viri Nicolai Mariæ ſimiliter de Summa Domini in temporalibus, Principis nuncupati, Collis, & dicti Franciſci fratris Germani natæ, petitio continebat. Quod multis ab hinc annis, inter ipſum Franciſcum, & Nicolaum Mariam Principem ſubortis, & ſucceſſivè continuatis gravibus litibus, cõtroverſiis, & diſſentionibus civilibus, earum occaſione, etiam capitalis inimi-*

micitia inter eos; cum periculo vitę contracta fuit, & licèt pluries medio diverſarum perſonarum de litibus prædictis, & pace, ac mutua reconciliatione inter eos componẽdis, actum fuerit, adhuc tamen aliquis modus opportunus ad id peragendum inveniri nequivit. Noviſſimè verò dilectus etiam filius nobilis vir, modernus Prorex Neapolitanus, negotium litium compoſitionis, reconciliationis, & pacis hujuſmodi inter eos, ſua authoritate promovens, nec illud aliter concludi poſſe animadvertens, arbitratus eſt inter Franciſcum, & Beatricem prædictos, matrimoniũ contrahendum fore, & reſolutionẽ hujuſmodi ambæ partes ſub ſpe obtinendæ à nobis diſpenſationis ſuper impedimentis primi, & ſecundi conſanguinitatis graduum, à communi ſtipite, & ex eo provenientibus, quia dictus Franciſcus eſt ipſius Beatricis Patruus, quibus invicem ſunt conjuncti, amplexi ſunt. Cum autem ſicut eadem petitio ſubjungebat, niſi contractus matrimonii hujuſmodi inter dictos exponentes, qui verè de nobili, & antiquiori familia Regni Neapolitani orti ſunt, effectuetur, nedum lites, controverſiæ, & differentiæ prædictæ reviviſcerẽt, ſed etiam major inter eos inimicitia cum vitæ periculo hujuſmodi, & populi ſcandalo ſuſcitarentur, & bona dicti Nicolai-Mariæ Principis, filios maſculos non habentis, in extraneos tranſirẽt. Cupiunt Frãciſcus, & Beatrix prædicti invicem matrimonialiter copulari, ſed ſtantibus impedimentis hujuſmodi, deſiderium eorum, hac in parte adimplere non poſſunt abſque Sedis Apoſtolicæ diſpẽſatione: Nobis propterea humiliter ſupplicare fecerunt, tàm dictus Franciſcus, & Beatrix, quàm pro eis dictus Prorex, & dilecti filii Electi Civitatis Neapolitanæ, ut in præmiſſis opportunè providere, &c. dignaremur. Nos igitur, &c.

Undecima cauſa eſt, *pro Confirmatione pacis*, undè in ſupplicatione eſt dicendum, *quod cum alias inter dictam Oratricem, ac Oratorem ipſum, nec non eorum parentes, cõſanguineos, vel affines, graves inimicitiæ viguerint, aliũde tamen, quàm ex cauſa matrimonii inter Oratores contrahendi, provenientes, & antè illius tractatum exortæ, & licèt inter ipſos pax de recenti inita fuerit, nihilominus pro illius firmiori confirmatione Oratores prædicti cupiunt, &c.*

Duodecima cauſa eſt, *pro Oratrice Gravata filiis*, undè debet dicere, *quod cum dicta Oratrix vidua, & tot filiis ex alio viro procreatis gravata exiſtat, & dictus Orator illam in uxorem ducere,*

re, *dictoſque ejus filios alere*, *&* *gubernare intendat*, *cupiunt*, *&c.* Sed hæc cauſa hodiè in Dataria non admittitur, poſſet tamen admitti, ſi cum ipſa aliæ concurrerent cauſæ.

Decimatertia eſt, *pro Oratrice excedente 24. annum*, undè debet dicere, *quod cum dicta Oratrix 24. annum*, *& ultra ſuæ ætatis agens*, *hactenùs virũ paris cõditionis cui nubere poſſet non invenit*, *cupiunt*, *&c.* Quæ cauſa paſſim admittitur pro obtinenda diſpenſatione in quibuſcunque gradibus; verùm tamen eſt, quod ſola non ſufficit pro gradibus proximioribus, puta prò ſecundo, ſeù primo, & ſecundo, ut dicit *Corrad. lib. 7. cap. 2. n. 83.* qui *n. 85.* dicit, quod talis cauſa locum non habet, nec admittitur in muliere vidua, quæ vellet ad ſecundas nuptias convolare. Si verò diſpenſatio eſſet ſuper ſecundo, & tertio gradibus, tunc ſola dicta cauſa ſufficit, quia ut dicit *Corrad. l. cit. ſub n. 93.* in petitione diſpenſationis ſuper ſecundo, & tertio gradibus non ſufficit una ſola cauſa allegata, niſi aliquid aliud addatur, puta ſi allegatur dotis competentis defectus, tenetur Oratricis dotẽ competenter augere; & ſi penitùs exiſtit indotata, tenetur illam ex integro dotare: ſi allegetur loci anguſtia, eſt addenda clauſula, *& ſi extra*; ſed ſi petitur diſpenſatio propter inimicitias, vel pro confirmatione pacis, vel quia Oratrix excedit 24. annum, nulla alia cauſa requiritur, quia quælibet ex illis, eſt urgens cauſa ex ſe ſola ſufficiens, & minor compoſitio exigitur, quam in aliis: hæc *Corrad.*

Decimaquarta cauſa eſt, *quando locus eſt ad littus maris*, undè debet exponere, *quod cum dictus locus ad littus maris ſitus exiſtat, ac propterea continuis invaſionibus piratarum*, *ac infidelium obnoxius*, *& ſic externi homines cum difficultate*, *ſeù non ita libenter ad contrahendum cum ejuſdem loci habitatoribus ad illũ accedere velint*, *cupiunt*, *&c.*

Decimaquinta cauſa eſt, *ut bona conſerventur in familia*, quę cauſa non ita de facili admittitur in gradibus propinquioribus, puta in 2. vel 1. & 2. gradibus, *Corrad. l. c. n. 101.* Undè poteſt exponere, *quod cùm Oratrix unica B. primogeniti*, *& indubitati ſucceſſoris Domini in temporalibus ſtatus N. Neapolitanæ Diæceſis nata exiſtat*, *& tam ipſa*, *quàm Orator*, *qui ſupradicti B. frater Germanus exiſtit*, *ſtatum hujuſmodi poſt ejuſdem B. obitum ad ſe de jure ſpectare prætendat*, *& propterea ſi Oratrix alii*, *quàm*

Ora-

Oratori nuberet, graves lites inter eoſdē Oratores, cū maximo utriuſque partis diſpendio, orirentur; ad obviandum litibus hujuſmodi, ac pro bono pacis, & ne ſtatus hujuſmodi, ac eorum bona ad aliam familiam tranſeant, cupiunt Oratores prædicti, qui verè de nobili genere procreati exiſtunt, invicem matrimonialiter copulari, &c. vel poteſt exponere, *quod ipſi alias ſcientes, ſe primo, & ſecundo conſanguinitatis gradibus à communi ſtipite, ex eo provenientibus, quod dictus N. eſt ipſius Bertæ Patruus, invicem eſſe conjunctos, ne eorum bona, quæ magni momenti exiſtunt ad extraneas familias tranſeant, de matrimonio inter ſe contrahendo tractarunt, & inſimul cohabitantes converſati ſunt, carnali tamen copula inter eos minimè ſubſequuta. Cum autem præmiſſa publica exiſtant, & propterea niſi matrimonium contraheretur, honor, & fama dictæ Bertæ veriſimiliter detrimentum pateretur, graviaq; deindè ſcandala poſſent veriſimiliter oriri: cupiunt N. & Berta prædicti, qui de nobili genere procreati exiſtunt, invicem matrimonialiter copulari, ſed ſtātibus impedimentis hujuſmodi deſiderium eorum, &c.*

Decimaſexta cauſa eſt, *ob excellentiam meritorum*, undè ſunt exponenda merita, ſervitia, & præclara geſta, ratione cujus moveri valet animus Pontificis ad diſpenſandum.

Decimaſeptima eſt, *pro Illuſtris familiæ conſervatione*, undè debet exponere, *quod Oratores de Illuſtri familia N. exiſtunt, valdeque expediat pro illius conſervatione, ut Oratrix Oratori, & nō alteri nubat: cupiunt Oratores præfati invicē matrimonialiter copulari, ſed quia, &c.* quę cauſa non ita de facili admittitur in gradibus propinquioribus, puta in primo, vel primo, & ſecundo gradibus.

Decimaoctava cauſa eſt, *ex certis rationabilibus cauſis*, undè poteſt ita exponere, *B. P. Exponitur humiliter S. V. pro parte devotorum illius Oratorum, Caroli N. laici, & Bertæ N. mulieris Neapolitanæ, quod ipſi, qui verè de nobili genere procreati exiſtunt, ex certis rationabilibus cauſis animos eorum moventibus, cupiunt invicem matrimonialiter copulari, ſed quia primo affinitatis gradu ex eo proveniente, quia alias dictus Orator duxit in uxorem dictæ Oratricis ſororem Germanā jam defunctam, invicem ſe attinent, deſiderium eorum hac in parte adimplere non poſſunt abſq; Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione. Supplicant humiliter E. S. V. Oratores prædicti, quatenùs cum eiſdem*

dem Oratoribus, quod impedimento primi affinitatis gradus hujuſmodi non obſtante, matrimonium inter ſe publicè ſervata forma Cõcilii Trid. contrahere, illudque in facie Eccleſiæ ſolemnizare, & in eo poſtmodum remanere liberè, & licitè valeant, diſpenſare. Prolem ſuſcipiendam exindè legitimam nunciando, dignemini de gratia ſpeciali. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſq; contrariis quibuſcunq; cum clauſulis opportunis.

Decimanona cauſa eſt, *ratione paritatis cultus*, & pro Belgis exponi poteſt, *quod Oratores orthodoxæ fidei cultores exiſtunt, ac Deo dante ſub obedientia S.R.E. vivere, & mori intendunt, & in illis partibus, in quibus multi adſunt hæretici non poſſunt animos ſingulorum explorare, & qui Catholicam religionem verè profitentur non facilè innoteſcit, propterea ne contingat eos cum hęreticis matrimoniũ contrahere, cupiunt Oratores prædicti invicem matrimonialiter copulari, ſed quia, &c.* eodem modo exponi poteſt pro Germania, vel etiam poteſt exponi, *quod Orator relictis hęreticæ pravitatis erroribus, hæreſim ipſam publicæ abjuravit, & cupiens N.N. mulierem, ejuſq; liberos, hęretica pravitate infectos, ad fidem Catholicam revocare, de matrimonio cum illa cõtrahendo tractavit, ſed quia tertio conſanguinitatis gradu illi conjunctus exiſtit, deſiderium ſuum hac in parte adimplere nequit abſq; Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione: Supplicat igitur humiliter E.S.V. Orator præfatus, quatenus ſibi ſpecialem gratiam faciendo, ſecum ut poſtquã dicta N.N. hæreſim prædictam publicè abjuravit, & ſub obedientia S.R.E. conſtanter vivere, & mori velle profeſſa fuerit, quod impedimento tertii conſanguinitatis hujuſmodi non obſtante, matrimonium cum ea publicè ſervata forma Concil. Trid. contrahere, illudque in facie Eccleſiæ ſolemnizare, & in eo poſtmodum remanere liberè, & licitè valeant, diſpenſare. Prolem ſuſceptã, & ſuſcipiendam exindè legitimam nunciando, dignemini de gratia ſpeciali. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunq; cum clauſulis opportunis.*

Iſtæ ſunt cauſæ, ex quibus ſolent Summi Pontifices diſpenſare in impedimentis dirimentibus, & licèt aliquas ſupplicationũ formulas poſui ex *Corrad.* illę tamen ſunt loco exempli, & inſtructionis, nam quilibet, prout caſus erit, poterit ſuam ſupplicationem formare.

QUÆ-

QUÆRES II.

Quænam ſunt cauſæ de ſtylo Romanæ Curiæ pro diſpenſationibus matrimonialibus, quando copula præceſſit, vel ſine copula adeſt infamia?

CErtum eſt, quod quando quis intra gradus prohibitos ſcienter matrimonium contrahere præſumit, debet carere ſpe diſpenſationis, ut patet ex *Trid. ſeſſ. 24. cap. 5. de reform.* & ex *Clem. eos, qui. De conſang. & affinit.* habetur pœna excommunicationis contra taliter contrahentes; idem ſtatuit Clemens VII. anno 1524. & Pius IV. ann. 1555. quæ Conſtitutiones per extenſum referuntur à *Corrad. lib. 8. diſpenſat. Apoſtolic. cap. 3. n. 4. &* 5. Poteſt tamẽ Pontifex diſpenſare ex urgentiſſima cauſa pro bono publico, undè Paulus IV. in citata ſua Conſtitutione dicit, *quod in dicto caſu non conceditur diſpenſatio, niſi ex cauſa urgentiſſima pro bono publico, & à jure conſiderata, & per nos tantùm, & non alium approbanda, & quod diſpenſationes ex alia cauſa noſtris temporibus perpetuò exulabunt: quod nobis licere non patimur, noſtris ſucceſſoribus indicantes, &c.*

Quando verò copula ſine matrimonio præceſſit inter ligatos aliquo Canonico impedimento dirimenti, de facili conceditur à Pontifice diſpenſatio, dummodò copula non ſit fraudulenter, & conſultò commiſſa, pro facilitanda ſcilicet diſpenſatione; idque ne ſalubri animarum remedio deſtituti remaneant, & ad evitanda ſcandala, quæ indè oriri poſſent: quando verò copula fuit admiſſa pro facilitanda diſpenſatione, non ita de facili conceditur diſpenſatio, quia ſe indignum diſpenſatione reddidit; nec juſtum eſt, ut ex delicto, pro quo potius pœnam merentur, commodum diſpenſationis reportent.

Videndum nunc remanet, ex quibus cauſis ſoleat Summus Pontifex diſpenſare, quando ſine matrimonio fuit habita copula inter ligatos aliquo Canonico impedimento, & quamvis Sũmus Pontifex valeat quãlibet cauſam ſibi rationabilem, & benè viſam admittere, tamen unica eſt frequentior cauſa, ſcilicet *ne mulier diffamata, & innupta remaneat*; undè in ſupplicatione eſt exponendum, *quod ipſi alias ſcientes, ſe tertio conſanguinitatis gradu E.G. invicem eſſe conjunctos, non quidem peccandi data opera, ut crimine admiſſo*

hæc cauſa foret S.V. & Sedem Apoſtolicam ad miſericordiam, & gratiam erga ipſos faciliores reddendi, ſed ſolùm veſana libidine victus Oratricem cognovit. Cum autem Pater Sancte niſi matrimonium inter dictos Oratores contrahatur, dicta mulier diffamata, & innupta remaneret, graviaq; exindè ſcandala poſſent veriſimiliter exoriri, cupiunt, &c. quod ſi ex tali copula filii ſint procreati poteſt peti, quod proles ſuſcepta, & ſuſcipienda exindè legitima declaretur, quia per ſolùm ſubſequens matrimoniũ non legitimatur, ut ſupra dictũ eſt in præcedenti Diſputatione.

Quando verò copula non præceſſit, ſed de ipſa infamia, vel ſuſpicio habetur, poteſt ſic formari ſupplicatio. *Beatiſſime Pater. Exponitur humiliter S.V. pro parte devotorum illius Oratorum N.N. laici, & N.N. mulieris Neapolitanæ. Quod ipſi aliàs ſcientes, ſe ſecundo in linea æquali conſanguinitatis gradu eſſe conjunctos, non quidem peccandi data opera, ut crimine admiſſo hæc cauſa foret S.V. & Sedem Apoſtolicam erga ipſos faciliores reddendi, de matrimonio inter ſe contrahendo tractarunt, vel ſequè deoſculati ſunt* ſi oſcula intervenerunt, *& ſub ſpe futuri matrimonii inſimul familiariter converſati ſunt, carnali tamen copula inter eos minimè ſubſequuta. Cum autẽ Pater Sancte præmiſſa publica exiſtant, & niſi matrimonium inter eos contrahatur, dicta Oratrix, graviter diffamata, & innupta remaneret. Cupiunt Oratores præfati invicem matrimonialiter copulari: ſed ſtante impedimento hujuſmodi, deſiderium eorum hac in parte adimplere non poſſunt abſque Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione. Supplicant igitur humiliter E.S.V. Oratores præfati, quatenus cum eiſdem Oratoribus, quod impedimento ſecundi conſanguinitatis gradus hujuſmodi non obſtante, matrimonium inter ſe publicè ſervata forma Concilii Trid. contrahere, illudque in facie Eccleſiæ ſolemnizare, & in eo poſtmodum remanere liberè, & licitè valeant diſpenſare, prolem ſuſcipiendam exindè legitimam nunciando, dignemini de gratia ſpeciali, non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque, cum clauſulis opportunis.*

Advertas tamen, quod ſecundùm aliquos, propter oſculum tantùm non remanet fœmina diffamata, & ideò ex hoc capite non conceditur diſpenſatio: quia aut mulier à ſuo conſanguineo deoſculatur cauſa amoris, & cõjunctionis ſanguinis, cùm conſen-

ſenſu ipſius mulieris, & tunc nullum oritur malum, nulla infamia, nam etiam Piſiſtratus Athenienſis Tirãnus, cum Adoleſcens quidam amore captus, ejus filiam oſculatus eſſet, uxori hortanti, ut ab eo capitale ſupplicium ſumeretur, reſpondit: *Si eos, qui nos amant interficiamus, quid his faciemus, quibus odio ſumus?* aut conſanguineus oſculatur mulierem invitam, & per vim, & tunc non exiſtente conſenſu mulieris, illæſa remanet illius fama, & ita nunquam verificatur, quod intercedit infamia, ut habeatur cauſa ſufficiens ad diſpenſandum, *Corrad. lib. 7. diſpenſat. Apoſtolic. cap. 3. n. 9. & 10.*

Verùm, quod propter oſculũ non remanet mulier diffamata, non tranſit ſine difficultate. Siquidem oſculum licèt ſit ſignum pacis, amoris, benevolentiæ, atque honoris, *l. 1. C. de domeſtic. & protector. lib. 12.* ubi *Andreas de Barulo* talem *Text.* notat pro cõſuetudine mulierũ, quæ ad invicem oſculantur, cum ſe ſalutant, ut etiam faciunt fratres, & ſcholares, *Cepol. conſil. civil. 2. n. 16.* tamen non ſemper oſculũ eſt ſignum honoris, & honeſti amoris, ſed multoties eſt ſignum ánimi Venerei; undè *Angel. in tract. de maleſic. verbo Che hai adulterato la mia donna n. 9.* dicit, quod laicus oſculans mulierem præſumitur, quod animo Venereo fecit, ſecùs de Clerico loquitur *gloſ. in Can. abſit. 11. q. 3.* quia præſumitur, quod charitate, & bono zelo oſculatus fuit. Sed à tali charitate, & zelo eſt omninò abſtinendum, ut etiam dicet *Angel. l. c. in fin.* ubi *Auguſt. de Arimino n. 18.* ſolùm excludit oſcula inter conſanguineos, quæ non præſumuntur animo Venereo, niſi expreſsè cõſtaret, quod animo Venereo fuit oſculatus. Undè patet, quod non ſemper oſculum eſt ſignũ honeſti amoris, nam multoties eſt delictum, & arbitrariè punitur: Quamvis in hac Civitate Neap. pœna capitis puniatur, *Gramm. conſil. 48.* qui ex *Valer. Max.* refert, quod Publius Mevius occidit ſervum ſuum deoſculantem ſuam filiam. Verùm tamen eſt, quod quando virgo invita deoſculatur non maculatur virginitas mentis, & corporis, *Gramm. loc. cit.*

Quando verò copula fuit habita ſub ſpe faciliùs conſequendæ diſpenſationis, tunc id neceſſariò eſt exprimendum in ſupplicatione, hoc modo, *Beatiſſime Pater. Exponitur humiliter S. V. pro parte devotorum illius Oratorum N. & N. &c. quod ipſis alias, ſcientibus, ſe ſecundo, & tertio à*

communi ſtipite provenientibus conſanguinitatis gradibus invicẽ eſſe conjunctos, Orator præfatus ſub ſpe faciliùs obtinendæ à S.V. diſpenſationis, carnis fragilitate devictus, Oratricem, nullam ſpem eamdem S.V. & Sedem Apoſtolicã ad miſericordiam, & gratiam erga eam facilioris reddendi habentem, carnaliter cognovit; cum autem Pater Sancte, niſi matrimonium inter dictos Oratores cõtraheretur, &c. Supplicant, &c.

In iſto caſu, quando copula fuit habita ſub ſpe faciliùs obtinendæ diſpẽſationis, inter clauſulas, quæ apponuntur in literis diſpenſationis, apponitur iſta, *& cum decreto, quod Orator, alter alteri ſupervivens, perpetuò abſq; ſpe conjugii remaneat*: præterea in officio componendarum in Dataria Apoſtolica duplex ſolvitur, ut plurimum, compoſitio in publicos uſus convertenda; & etiam imponitur gravis pœnitentia ſalutaris, quæ ab exequutore duplicatur, vel triplicatur, *Corrad. lib.8. diſpenſ. Apoſtolic. cap.1. n.*15. *&* 17. dicens, quod ſi diſpenſatio hæc petitur *in forma pauperum*, tunc per exequutorem etiam duplicabitur, vel triplicabitur pœnitentia publica, eiſdem Oratoribus injungenda, præter pœnitentiam jam à Papa duplicatam circa collationem operum, & ita licèt aliis injungatur, ut una vice die Dominico manere debeant ante fores Eccleſiæ; iſtis injungitur, ut per duas, aut tres vices maneant ante januas Eccleſiæ Matricis, ſeù Parochialis die Dominico, ſeù feſtivo.

Advertas, quod ſi unus tantùm talem ſpem habuit, id eſt exprimendum in ſupplicatione, ut ipſe tantùm ſentiat pœnã proprii delicti, quia alter qui hanc ſpem non cõcepit, debet eſſe immunis à pœna, quæ contra delinquentem eſt impoſita, *Corrad. l.c. n.*18. *& ſeqq. ubi n.*27. dicit, quod non obſtante illa clauſula, *& cũ decreto, quod Orator alter alteri, &c.* poterit ſuperſtes impetrare diſpenſationem ad denuò contrahendum, ſi legitima cauſa interveniat, puta ſi diffidat, poſſe continenter vivere, & *n.*28. ponit formulam ſupplicationis, quæ eſt.

Beatiſſime Pater. Exponitur humiliter S.V. pro parte devoti illius Oratoris N. laici Neapolit. Diœceſis, quod alias ipſe, cum ejus uxore prædefuncta, à Sede Apoſtolica literas diſpenſationis, ſeù mandati de diſpenſando ſuper impedimẽto tertii conſanguinitatis gradus, quo invicem erant conjuncti, cum clauſula, quod alter eorum alteri ſupervivens, perpetuò abſque ſpe

con-

conjugii remanere, obtinuerunt, prout in literis prædictis continetur; & quia deindè uxor Oratoris prædicta, ſicut Domino placuit, ab humanis deceſſit, relicto ipſo Oratore, qui continenter vivere poſſe diffidens, cupit propterea ad ſecunda vota tranſire: Supplicat igitur humiliter E. S. V. Orator prædictus, quatenùs ſibi ſpecialem gratiam faciendo, cum eodem, ut clauſula in prædictis literis appoſita, non obſtante, matrimonium cum alia muliere, nullo aliàs ſibi jure prohibita, publicè ſervata forma Concil. Trid. contrahere, illudque in facie Eccleſiæ ſolemnizare, & in eo poſtmodum remanere liberè, & licitè valeat, diſpenſare dignemini. Non obſtantibus, &c.

Quod ſi non obſtante dicta clauſula, *quod Orator alter alteri ſupervivens, &c.* matrimonium contraxit, tunc ſupplicatio hoc modo eſt concipienda.

Beatiſſime Pater. Exponitur, &c. quod alias ipſe Orator, & quondam N. ejus uxor prædefuncta literas diſpenſationis, ſeù mandati de diſpenſando ſuper impedimento tertii conſanguinitatis gradus, quo invicem erant conjuncti à Sede Apoſtolica obtinuerunt, cum clauſula, quod Oratorū alter alteri ſupervivens, perpetuò abſque ſpe conjugii remaneret, prout in dictis literis continetur; & deindè prædicta N. vita functa, clauſula hujuſmodi non obſtante, Orator continenter vivere poſſe non ſperans, non quidem peccandi data opera, &c. matrimoniū cū dicta B. Oratrice, nullo ſibi aliàs jure prohibita, & hujuſmodi clauſulæ ignara, per verba de præſenti publicè, &c. & cōſummavit, prolemq; ſuſcepit: Cum autē, Pater Sancte, dicti Oratores in hujuſmodi matrimonio remanere non poſſint abſque Sedis prædictæ diſpenſatione, & ſi divortium inter eos fieret, gravia exindè ſcandala poſſent veriſimiliter exoriri: Supplicāt igitur, &c. quatenùs dictum Oratorem ab excommunicationis ſententia, &c. in utroque foro abſolvere, ac cum eiſdem Oratoribus, quod clauſula in dictis literis appoſita, nō obſtante, in dict. matrimonio remanere, &c. diſpenſare. Prolemq; ſuſceptam, & ſuſcipiendam, &c. decernendo dignemini, &c. non obſtantibus, &c.

QUÆRES III.

Quid faciendum, quando matrimonium ſcienter eſt contractum in gradibus prohibitis?

Ex dictis in præcedenti Quæſito patet, quod qui ſcienter matrimonium in gradibus prohibitis contraxerunt, ac carnali

nali copula conſũmarunt ſub ſpe faciliùs obtinendi diſpenſationem, magnum obſtaculum ponunt pro tali diſpenſatione obtinenda, quia ob eandem cauſam retrahuntur Summi Pontifices ab illius conceſſione, nec ſine maxima difficultate diſpenſant, ut patet ex decreto *Trid. ſeſſ. 24. cap. 5. de refor. matrim.* ubi licèt *Trid.* loquitur de impedimentis, quæ per gradus diſtinguntur, dum dicit: *Si quis intra gradus prohibitos, ſcienter matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis careat, non enim dignus eſt, qui Eccleſiæ benignitatem facilè experiatur, cujus ſalubria præcepta temere cõtempſerit, &c.* tamen ex ſtylo, & praxi Romanæ Curiæ, tale decretum intelligitur de quocunq; impedimento, ut benè probat, *Corrad. lib. 8. diſpenſat. Apoſtol. cap. 3. nu. 2.* ſicut de quocunq; impedimento loquitur *Clem. eos qui. De conſang. & affin.* ubi taliter contrahentes ſunt ipſo facto excommunicati, & à Prælatis Eccleſiæ ſunt publicè denunciandi excommunicati, *donec ſuum humiliter recognoſcentes errorem, ſeparentur ab invicē, & abſolutionis obtinere beneficium mereantur.*

Ad iſtorum corroborationem Clemens VII. aliam edidit Conſtitutionem ann. 1524. quæ loquitur de gradibus conſanguinitatis, & affinitatis, & declaravit mentem ſuam, non eſſe, cum taliter ſcienter contrahentibus diſpenſandi, ſed tantùm abſolutionem à cenſuris cõcedendi, ſi illam humiliter peterent, ut patet ex verbis Conſtitutionis, ibi: *In poſterum cum illis, qui in gradibus prohibitis matrimonia ſcienter contraxerint, etiam ſi illa conſummaverint, non intendimus diſpenſare*, & infra: *Omninò ſeparari mandabimus, abſolutionem dumtaxat petentibus, miſericorditer conceſſuri, cum gratia dignus non ſit, qui Canonum conditorem contemnit, &c.* Imò Paulus IV. in ſua Conſtitutione edita anno 1555. contra illos, qui matrimonium ſcienter contrahunt in ſecundo conſanguinitatis, vel affinitatis gradibus declaravit, *quod abſolutiones, & diſpenſationes hujuſmodi ex prætextu prædicto, etiàm ſi proles ex matrimonio ſic contracto ſubſequuta fuerit, nullatenùs, ſed ſolùm ex cauſa urgentiſſima pro bono publico, & à jure conſiderata, per nos tantùm, & non alium approbanda, concedemus, &c.*

Ex his igitur patet, quod non ſunt ligatę manus Pontificis circa hujuſmodi diſpēſationes, ſed poteſt ex cauſa ſibi benè viſa diſ-

diſpenſare, impoſita Oratoribus propter inceſtum, gravi pœnitentia ſalutari, & ita, qui taliter contraxerunt ſunt prius ſeparādi, & abſolvendi à generali ex communicatione, quæ continetur in *Clem.eos,qui.De conſang.& affin.*

Quod ſi Parochus in aliquo deliquit circa contractionem dicti matrimonii, etiam de hoc eſt facienda mentio in ſupplicatione, quia inter clauſulas additur, *& punito Parocho arbitrio Ordinarii*, qui poterit Parochū punire non ſolùm pœna arbitraria, ſed etiam triennali ſuſpenſione, nam *Trident.ſeſſ.*24.*cap*.1. dum decrevit, talem Parochum eſſe graviter puniendum arbitrio Ordinarii, non derogavit juri antiquo, quo pœna ſuſpenſionis ab officio per triennium imponitur, *cap.fin.§.fin. de Clandeſt.deſponſat.* Debent etiam in ſupplicatione Oratores mentionem facere, quod ipſi ſcientiam habebant de gradu conjunctionis, qui inter ipſos erat, & hoc non obſtante matrimonium cōtraxerunt; nam ſi de gradu conjunctionis ſcientiam non habebant, tunc non puniuntur, niſi detecto impedimento, in ipſo contractu permanſerunt: quod ſi Oratores ſcientiam de gradu habebant, ſed ignorabant gradum illum eſſe prohibitum, non excuſantur,quia ut dicit *Corrad. lib.*8. *diſpenſ.Apoſtolic. cap.*3. *n.*9. *& ſeqq.* Error juris Pontificii, & cujuſcunq; alterius juris, non excuſat etiam idiotas, & ruſticos, ſed tantùm error facti, *cap. ignorantia. De regulis juris in 6.* ſed hoc verùm eſt præſumptivè in foro externo, quia non præſumitur, quē ignorare jus, quod publicè promulgatum eſt, *l.leges Sacratiſſimæ. C. de legibus*; quod ſi re vera habuit ignorantiam juris, & id probare poteſt, tunc talis ignorantia excuſat, *Barboſa in d. cap. ignorantia. n.*23. ubi *Dinus Moxellus*; quæ ignorantia,ſi re vera probetur,etiam pro foro externo admitti debet ad excuſandum à pœnis, & cenſuris, *Abb. in cap. cognoſcentes.nu.*9. *de conſtitution.* Addo, quod tunc ignorantia juris non excuſat, quando jus reſiſtit actui, *cap.qui contra jus. de regulis juris in 6.* Vel quando eſt ignorantia juris naturalis, vel quaſi, *Gaill.lib.*2. *obſervat.*110. *nu.*8. Vel quando errat in jure civili notorio,& indubitato, *Gall.l.cit.obſervat.*48. *n.*16.*&* 22.*Petrus Pecki. in regul. ignorantia facti. n.*7. *de regul.juris in 6.*

Advertas, quod quando Oratores impetrarunt diſpenſationē pro utroque foro cum quadam

falſa

falſa cauſa, & deindè matrimonium contraxerunt, ſi occultum ſit, diſpenſationem impetratam ob falſam expreſſionem cauſæ, invalidam eſſe, poſſunt impetrare à Sacra Pœnitentiaria, ut cõmittatur diſcreto viro Confeſſori, qui eorundem audita confeſſione Sacramentali, ipſos à quibuſvis ſententiis, cenſuris, & pœnis abſolvat, injuncta pœnitentia ſalutari, & ſi aliàs ritè, & juxta formam literarum prædictæ diſpenſationis, verificatiſq; in eis narratis, ſuper impedimẽto talis gradus, cum ipſis Oratoribus diſpenſatum fuerit, aliudq; non obſtet Canonicum impedimentum, cum eiſdem, quod premiſſis non obſtantibus, matrimonium inter ſe de novo ad evitanda ſcandala contrahere valeant, diſpenſet.

QUÆRES IV.

Quid faciendum quando matrimonium fuit ignoranter contractum in gradibus probibitis?

EST petenda in tali caſu diſpenſatio à Summo Pontifice, ut valeant in matrimonio permanere; ſed in ſupplicatione eſt exprimẽdum ab Oratoribus, quod ignoranter contraxerunt. Hæc autem ignorantia non debet eſſe *Craſſa*, & *Supina*, quæ tunc talis dicitur, *quando quis ignorat id, quod communiter omnes ſui ordinis ſciunt, & ipſe ſcire debet*, & poteſt. Inſuper non debet eſſe ignorantia *Affectata*, quæ talis eſt, *quando quis non vult ſcire, quod ſcire debet, & poteſt*; ſed debet eſſe ignorãtia *Probabilis*, & *Invincibilis*, ut eſt *quando facta debita diligentia, quæ ſolet adhiberi communiter ab hominibus ejuſdem ſtatus, adhuc remanet in priori ſtatu ignorantiæ:* undè in caſu noſtro, ſi factis proclamationibus in Eccleſia Parochiali, juxta diſpoſitionem *Trid ſeſſ.24.cap.1. de reformat.* nullum cognoſcitur adeſſe impedimentum, dicuntur contrahentes habere ignorantiã Probabilem impedimenti; quod deindè detegitur, *Corrad. lib.8. cap.4.num.4.& ſeqq.ubi num.57. & ſeqq.* dicit, quod ignorantia allegata, probatur juramento Oratorum.

Inſuper iſti, qui ſic ignoranter matrimoniũ contraxerũt, & carnali copula consũmarũt, debent in ſupplicatione exprimere, an detecto impedimẽto abſtinuerũt à carnali copula, an verò in ea perſtiterunt; quia ſi ſtatim ab illa abſtinuerunt, ab omni pœna ſunt immunes, & faciliùs, atque gratis

tis cum illis diſpenſari poteſt, ſi verò in illa perſtiterunt, pœnas inceſtus non effugiunt, *Trid. ſeſſ. 24. cap. 5.* & advertit *Corrad. loc. cit. num. 1. & 7.*

Tandem debet in ſupplicatione mentionem facere, an matrimonium publicè contraxerũt ſervata forma *Trid.* ideſt, an cõtraxerunt factis debitis proclamationibus in Eccleſia, an verò illis prætermiſſis de licentia Ordinarii: quæ expreſſio ſemper eſt facienda, ſivè ſciebant impedimentum, ſivè de illo ignorantiã habebant, undè debent dicere, hoc modo, *quod ipſi aliàs ignorantes aliquod impedimentum inter eos exiſtere, quo minus poſſent invicem matrimonialiter copulari, matrimonium inter ſe per verba de præſenti publicè (proclamationibus juxta formã Concl. Trid. fieri ſolitis, de licentia Ordinarii prætermiſſis) ſervata tamen in reliquis Concilii prædicti forma, nulloq; detecto, neque denunciato impedimento contraxerunt, &c.* vel ſi ſcientiam de impedimento habuerunt, debent dicere, *quod ipſi aliàs ſcientes, ſe quarto V.G. conſanguinitatis gradu invicem eſſe conjunctos, non quidem peccandi data opera, ut crimine admiſſo hac cauſa foret S.V. & Sedem Apoſtolicã erga ipſos faciliores reddendi, matrimonium inter ſe per verba de præſenti, publicè prætermiſſis de licẽtia Ordinarii, &c.*

Advertas, quod in quibuſdã partibus Galliæ, & Poloniæ, quia *Trid.* non fuit promulgatum, nec receptum, ad validitatem matrimonii non requiritur præſentia Parochi, & teſtium, ut dicit *Sanch. lib. 3. diſp. 18. n. 1.* ideò in ſupplicatione non eſt ab ipſis facienda expreſſio, quod matrimonium fuit contractum abſque Parocho, & teſtibus, ſed eſt facienda expreſſio, hoc modo, *quod ipſi aliàs ignorantes aliquod impedimentum inter eos exiſtere, quo minus poſſent invicem matrimonialiter copulari, matrimoniũ inter ſe, per verba de præſenti, publicè, adhibitis omnibus ſolemnitatibus de more patriæ adhiberi ſolitis, nulloque detecto, neque denunciato impedimento contraxerunt, illudque in facie Eccleſiæ ſolemnizarunt, &c. Corrad. lib. 8. cap. 4. n. 16.* In dictis tamen partibus eſt ſervanda diſpoſitio *Textus in cap. fin. de Clandeſt. deſponſat.* & ita ſunt faciendæ denunciationes in Eccleſia, non pro validitate matrimonii, ſed ne detecto deindè impedimento, filii nati illegitimi ſint, ut in dicto *Text.* conjuncta *Gloſſa* patet.

Advertas, quod quando matrimonium non eſt contractum, ſed Oratores ignorantes impe-

dimentum curarunt fieri publicationes pro matrimonio contrahendo, & in illis fuit detectū impedimentū, tunc quando petitur diſpenſatio à Pontifice cum aliqua ex conſuetis cauſis, ideſt *propter anguſtiam loci, propter incompetentiam dotis, &c.* eſt etiam facienda expreſſio, quomodo notitia impedimenti fuit habita, ut dicit *Corrad.lib.8.cap.4.n.31.* & ita in ſupplicatione eſt dicendum. *Supplicant igitur humiliter E.S.V. Oratores præfati, qui aliàs ignorantes inter eos aliquod impedimentum exiſtere, quo minùs poſſent invicem matrimonialiter copulari, denunciationes in eorum Parochiali Eccleſia juxta formam Concilii Trid. fieri curarunt, in quarum proclamationibus detectum fuit, eos quarto cōſanguinitatis gradu invicem eſſe conjunctos, propter quod in contractu matrimonii bujuſmodi ulterius non proceſſerunt, quatenùs cum eiſdem Oratoribus, quod impedimento quarti, &c.* Quæ expreſſio juvat ad facilitandam diſpenſationem, ex quo ſtante bona fide, & ignorantia impedimenti, non ſolùm fuit inter partes habitus tractatus matrimonii, ſed etiam de tali matrimonio contrahendo fuit habita publica cognitio, dum fuerunt factæ proclamationes in Eccleſia.

Advertas tandem, quod in literis diſpenſationis, tam de matrimonio contracto, quàm de contrahendo, ubi carnalis copula, vel illius ſuſpicio inter Oratores orta fuit, quando illæ in forma *pauperum* expediuntur ſemper mandatur, quod Oratores ab invicē ſeparentur: & ideò præſentatis literis Exequutori, debet Exequutor mediante decreto mandare, quod ſeparentur, ne in peccato perſeverent, & quod pœnitentiā agant, juxtà *Textum in Can. lex continentiæ. 27.q.1.& Can. hac ſalubriter.35. qu.9.* Formula autem decreti ſeparationis poterit taliter concipi.

Die, &c. Neap. viſis, & conſideratis requiſitis, ac clauſulis contentis in literis diſpenſationis matrimonialis impetrata à S.D.N. Inn. XII. per Joannem N. & Antoniā N. hujus Neapolitana Diœceſis, per Illuſtriſſimum, & Rev. Dominum Vicarium Generalem Neapolitanum fuit proviſum, & decretum, quod ſupradicti Joannes, & Antonia ſeparentur ab invicem arbitrio ſupradicti Domini Vicarii, prout præſenti decreto eos ſeparari mandatur, nempè, ut dictus Joannes in una, & dicta Antonia in altera domibus ſeparatim vivant; de qua quidem ſeparatione exhibere teneātur fidem Paro-

chi

ibi in actis, & ita, &c. N. N. Vicarius Generalis Delegatus Apoſtolicus.

Quod ſi durante dicta ſeparatione, & antequam Oratores decretum diſpenſationis obtineant ſub hac forma pauperum, iterùm ſe carnaliter cognoverunt, indigent nova diſpenſatione ſuper hac nova copula habita; ut receptum in praxi teſtatur *Corrad. lib. 8. cap. 5. ſub nu. 37.* ubi dicit, quod de tali controverſia interrogatus Paulus V. re maturè per ipſum perpenſa, dixit, etiam hanc novam copulam eſſe Pontifici manifeſtandam per novam diſpenſationem mediantibus literis in forma *perindè valere*, quādo prior diſpenſatio cum mentione copulæ fuit impetrata in forma *pauperum*, quia talis diſpenſatio committitur Delegato ſub hac forma, *ut Oratores ab invicem ſeparet*, & ideò ſi durante ſeparatione Oratores in illius contemptū ſe carnaliter de novo cognoverunt, obtentæ diſpenſationis fruſtrantur effectu. Si verò in forma *ordinaria*, fuit impetrata diſpenſatio, tunc pro nova copula non requiritur nova diſpenſatio, quia in literis, in forma *ordinaria*, non adiicitur, *ut Oratores ab invicem ſeparentur*, ita *Corrad. l. c. n. 38.*

Hæc ſecunda gratia revalidatoria, primæ dicitur, *perindè valere*, in quantùm per illam committur eidem Judici, ut ad exequutionē hujus poſterioris gratiæ procedat, perindè ac, ſi à principio, quod tunc exprimi omiſſum eſt, fuiſſet expreſſum, & ita per poſteriorem gratiam revalidat primam, quæ ex aliqua parte invalida erat, & facit, ut perindè valeat, ac ſi tempore impetrationis illa prima gratia valida fuiſſet. Verùm, quando impetratur hæc ſecunda gratia *perindè valere*, pro validanda prima, quæ aliquo vitio ſubreptionis, vel obreptionis, ſivè alio laborabat vitio, eſt narrandum, & exprimendum omne id, quod malè, aut ſubreptitiè fuit expreſſum, vel tacitum, & omnes defectus, qui quomodocunque in prioribus intervenerunt, aliàs etiam hæc ſecunda gratia nulla erit, & impetranda erit alia gratia revalidatoria, quæ de ſtylo Curiæ dicitur, *perindè valere ſuper alio, perindè valere*, *Corrad. lib. 8. cap. 5. n. 40. & ſeqq.*

Formula autem *perindè valere* in forma *pauperum* ſuper nova copula eſt. *Beatiſſime Pater. Alias S. V. pro parte devotorum illius Oratorum N. N. laici, & B. B. mulieris Neapolit. Diœceſis, expoſito, Oratoribus prædictis aliàs ſcientibus, ſe tertio conſan-*

guinitatis gradu invicem eſſe conjunctos, Oratorem præfatum, non quidem peccandi data opera, ut crimine admiſſo hac cauſa foret S.V. & Sedem Apoſtolicam ad miſericordiam, & gratiam erga illos faciliores reddendi, ſed ſola veſana libidine victum, præfatam B. carnaliter cognoviſſe, & niſi matrimonium inter dictos Oratores contraheretur, dictam Oratricem diffamatam, & innuptam remanſuram, graviaq; indè ſcandala poſſe veriſimiliter exoriri, cupereque Oratores præfatos invicem matrimonialiter copulari, ſed ſtantibus impedimentis hujuſmodi, deſiderium eorum in ea parte adimplere non poſſe, abſque Sedis præfatæ diſpenſatione. Quare E.S.V. pro eorundem Oratorum parte humiliter ſupplicato, quatenus eis in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaretur; S.V. precibus dictorum Oratorum, tunc inclinata, Vicario Archiepiſcopi Neapolitani in ſpiritualibus generali, per ſuas literas dedit in mandatis, quatenus ſi preces veritati niti reperiret, eoſdē Oratores, qui pauperes exiſtunt, & ex labore, & induſtria ſua tantùm vivunt, in primis ab invicē ſepararet, deindè ſi veniā ab eo petiiſſent humiliter, eam illis pœnitentiā publicā imponeret, quæ alios deterreret à ſimilibus committendis, utque dictus Orator operam ſuam fabricæ, vel in aliud ſervitium, alicujus Eccleſiæ, vel loci pii, quatuor ſaltē menſibus conferret, aliaque injungeret, quæ de jure fuiſſent injungenda. Qua pœnitentia publica peracta, ipſos ab excommunicationis ſententia, quam propter præmiſſa incurrerant, inceſtus reatu, & exceſſibus hujuſmodi, impoſita prius eis propter inceſtum hujuſmodi arbitrio ſuo pœnitentia ſalutari, & recepto ab eis juramento, quod ſub ſpe facilius habēdæ diſpenſationis hujuſmodi, inceſtum hunc non commiſiſſent, & quatenus contra Oratores ipſos cauſa ſuper præmiſſis in judicium quoquo modo deducta fuiſſet, parito judicato, in utroque foro Apoſtolica authoritate ea vice dumtaxat abſolveret in forma Eccleſiæ conſueta. Demum ſi illi expediens videretur, quod diſpenſatio hujuſmodi eſſet eis concedenda, nec ſcandalum fuiſſet ex ea oriturum, cum eiſdem Oratoribus, poſtquam in ſeparatione præfata, illius arbitrio perſeveraverint, & dummodò ipſa Oratrix propter hoc rapta non fuiſſet, quod impedimēto tertii conſanguinitatis hujuſmodi, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſq; contrariis, nequaquam obſtantibus, matrimonium inter ſe publicè, ſervata forma Concilii Trid. contra-

trahere, illudque in facie Eccleſiæ ſolemnizare, & in eo poſtmodum remanere liberè, & licitè valerèt, eadem authoritate diſpenſare. Prolem ſuſceptam, ſi qua eſſet, & ſuſcipiendam exindè legitima decernēdo; prout in dictis literis continetur. Quas quidem literas ipſi Oratores præfato Vicario præſentarunt, qui contenta in eis verificari mandavit, & cum in verificatione hujuſmodi ſibi conſtitiſſet, dictos Oratores durante ſeparationis tempore, eis ab eodem Vicario injuncta, in eadem carnali copula perſtitiſſe, ſeù de novo carnaliter ſe cognoviſſe, ad ulteriorem illarum exequutionem procedere recuſavit. Supplicant igitur humiliter E.S.V. dicti Oratores, quatenus eos, ne dictarum literarum fruſtrentur effectu, amplioris gratiæ favore proſequendo, eidem Vicario committere, & mandare dignemini, quatenus negotium hujuſmodi reaſſumens, [illegible] aſq; præfatas valere decernens, eoſdem Oratores ab excommunicationis ſententia, quam ipſi de novo propter præmiſſa incurrerunt, inceſtus reatu, & exceſſibus hujuſmodi, impoſita priùs eis propter inceſtum hunc arbitrio ſuo aliqua alia pœnitentia ſalutari, in utroque foro, hac vice dumtaxat, abſolvat in forma Eccleſiæ conſueta; ac ad dictarum literarum exequutionem, ſervata aliàs earum forma, procedat in omnibus, & per omnia, perindè ac ſi iidem Oratores, poſt ſeparationem, ſibi ab eodem Vicario injunctam, in eadem copula minimè perſtitiſſent, ſeù de novo carnaliter ſe cognoviſſent. Non obſtantibus, omnibus illis, quæ E. S. V. in dictis literis voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcunque, cum clauſulis opportunis.

QUÆRES V.

Quæ pœnitentia eſt injungenda ab Exequutore, quando Oratores peccarunt committēdo inceſtum. An poſſit illam cōmutare. Et quomodo eſt formandum decretū diſpenſationis?

CUM petitur diſpenſatio à Sede Apoſtolica pro contrahendo matrimonio, & publicum eſt Oratores copulam inceſtuoſam habuiſſe, tunc in literis mandatur Exequutori, quod eis publicam imponat pœnitentiā, quæ cum à Papa non præſcribatur in literis, remanet, quod arbitrio Exequutoris Delegati ſit imponenda, conſideratis tamen criminis qualitate, perſona, dignitate, ſexu, officio, paupertate, infirmitate, debilitate, &c.

Tenetur igitur Exequutor publicam injungere pœnitentiam, itaut ferè omnibus illius loci, ubi

ubi Oratores pœnitentiam peragere debent, innoteſcat, & ſic eſt imponendum Oratoribus, quod pœnitentiam faciant in diebus ſolemnibus, & feſtivis, dum Miſſa, vel alia divina officia celebrantur: quæ pœnitentia poteſt tantùm injungi ab Exequutore; & ideò ſi literæ fuerunt directè Vicario, non poteſt Epiſcopus illam imponere: quia in cauſis ordinariæ juriſdictionis Epiſcopus, & Vicarius faciunt unum Tribunal, ſecùs in cauſis Delegatis, *Corrad. lib.8. cap.6. n.11. & ſeqq.* poteſt itaque Exequutor injungere, quod dum Miſſa ſolemnis cantatur in Parochiali Eccleſia Oratorum, in ſuis manibus teneat unuſquiſq; ipſorum candelam accenſam ante fores Eccleſiæ, & ita poteſt hoc modo formare decretum. *Die, &c. Neap. per Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Dominum Vicarium fuit proviſum, & decretum, quod ſupradicti B. & C. in die feſtivo de præcepto manere debeant ante fores Parochialis Eccleſiæ S. Nicolai loci, aut oppidi N. genibus flexis, cum candelis in eorum manibus accenſis, à principio uſque ad finem Miſſæ magnæ, vel dũ per propriũ Parochũ Miſſæ ſacrificium celebratur die feſtivo, de quibus omnibus teneantur exhibere fidem Parochi ejuſdem Eccleſiæ, &c. N.N. Vicarius generalis Delegatus Apoſtolicus.*

Quando diſpenſatio ratione inceſtus conceditur in forma *pauperum*, quia non valent Oratores ſolvere conſuetam compoſitionem, quæ eſt applicanda locis piis, in urbe, vel alibi, ſolet tunc Oratori injungi, ut operam ſuam fabricæ, vel ſervitio alicujus Eccleſiæ, vel loci pii conferat, Oratrici verò injungitur, quod teneat candelam accenſam in ſuis manibus, ut ſupra dictum eſt, *Corrad. lib.8. cap.6. n.15.* Delegatus autem non poteſt dictam pœnitentiam in literis expreſſam in aliud opus ad ſui libitum commutare, etiam ſi Orator perſona nobilis, delicata, & inhabilis ſit ad conferendum operam ſuam fabricæ, puta ſi eſt mancus, vel alio modo corpore vitiatus, ſed tenetur omninò ſervare formam ſuæ cõmiſſionis, *Corrad. loc. cit. n.20.* ubi *n.23. & ſeqq.* dicit, quod ſolùm in Urbe, quando Orator ibi perſonaliter acceſſit pro diſpenſatione impetranda, ſervatur commutatio pœnitentiæ, habito reſpectu ad labores, & incommoda in itinere habita; nec Datarius ſtatim mutat pœnitentiam, ſed poſtquam ibi Orator partem pœnitentiæ ſibi injunctæ collationis operum adimplevit.

Imò

Imò in Urbe multoties, etiam in perſona nobili, & qualificata non commutatur pœnitentia, ad terrorem aliorum; ſicut de facto quidam nobilis, ad Urbem acceſſit pro impetranda diſpenſatione ſuper impedimento primi, & ſecundi gradus conſanguinitatis in forma *pauperum*, cum copula carnali ſubſequuta ſub ſpe facilioris diſpenſationis; & fuit ei à Paulo V. injunctũ, ut publicè in fabrica Divi Petri laboraret, ut cæteri plebeii; nec potuit obtinere, ut dictum ſervitium fabricæ in aliud ſervitium minus ignominioſum commutaretur. *Corrad. loc. cit. ſub n. 27.* Eſt contra *Capon. controv. forenſ. 38. n. 14.* ubi probat, quod Delegatus poteſt commutare pœnitentiam impoſitã in brevi diſpenſationis. Et poſtquam pœnitentiã determinavit, non poteſt alius illam commutare, ſicut nec poteſt Delegatus facta ſemel commutatione pœnitentiæ iterum commutare, ut dicit idem *Capon. l. c. n. 18. & ſeqq.*

Quando verò Delegatus imponit Oratori, nimis indiſcretã pœnitentiam conferendi operã ſuam; poteſt Orator Romã proficiſci cũ literis diſpenſationis, & petere moderationem pœnitentiæ, & quod in Cancellaria Apoſtolica corrigantur literæ, ſublata clauſula illa, *ut operam ſuam fabricæ, vel ſervitio alicujus Eccleſiæ, vel loci pii conferat, &c.* ſicut de facto ſervatum, teſtatur idem *Corrad. l. c.* Datarius autem non ſolet in partibus concedere diſpenſationem, & commutationem pœnitentiæ in literis expreſſæ, niſi de inhabilitate Oratoris habuerit claram notitiam, & diſpenſatio ſit in iis gradibus remotioribus, in quibus Oratori remittitur acceſſus ad Urbem; quia ſi ſunt in ſecundo, aut in primo, & ſecundo, non eſt immunis ab hujuſmodi acceſſu ad Urbem, quocũque legitimo impedimento allegato. Sed quoniã acceſſus iſte ad Urbem, ſecũdùm varietatẽ temporum, & Officialium ſolet variari, ideò firma regula de eo haberi non poteſt.

Quamvis autẽ Delegatus non poſſit pœnitentiã in literis expreſſam, in aliud opus ad ſui libitum commutare, poteſt tamen imponere inceſtuoſo nobili, vel delicato pœnitentiam, vel ut operam ſuam fabricæ Eccleſiæ conferat in aliquo ipſius fabricæ loco remoto, vel ut conferat opera ſua ſervitio alicujus loci pii, ideſt alicujus Hoſpitalis infirmorum, miniſtrando infirmis mane hora prandii, & ſero hora cœnæ; quia virtute literarum, facultas Delegati circa impoſitionem

nem pœnitentiæ, non eſt reſtricta ad fabricam tantùm, ſed eſt extenſa ad aliud ſervitium, ut patet ex verbis diſpenſationis, *Capone l.c.n.17. Genueſis in Praxi c.25.n.1.& 2. Corrad.lib.8.cap.6. n.25.& ſeqq.* ubi etiã dicit, quod poteſt Delegatus ex aliqua rationabili cauſa diſpẽſare, ut pœnitentia jam in una Eccleſia, ſeù in uno loco cœpta, perficiatur in alia Eccleſia, vel loco, non ſolùm in Diœceſi, ſed etiam extra Diœceſim, ubi de facto Orator commoratur, ſicut poteſt permittere, quod Orator non continuatè, ſed interpolatè operam præſtet, dummodo integer ſit numerus dierum: niſi fuiſſet dictũ, quod per tres menſes V.G. cõferat operã ſervitio alicujus Eccleſiæ, quia illa dictio *Per* denotat cõtinuationem *Bartol.in l.Celſus. nu.25. ff. de uſucap.* regulariter enim ſolet in literis dici, quod tribus ſaltem menſibus cõferat, &c. quod tempus non poteſt à Delegato moderari, benè tamen poteſt ampliari, ſi ita ſibi videbitur, quia dictio illa *Saltẽ*, de ſui natura ſubſidiaria eſt, & non excludit majorem numerũ.

Similiter non poteſt Delegatus diſpenſare, ut Orator teneatur laborare per aliquas tantùm horas diei, puta per quatuor, aut quinque horas, cum toto die debeat laborare, ſicut laborant alii operarii: tenetur tamen Præfectus operis in tali caſu ei dare alimenta pro tali die: Si verò alimenta dare noluerit, tunc poteſt ei tantùm temporis in dicta die indulgere, ut neceſſarium victum ſibi aliunde quærat, quia cum dicti Oratores ſint pauperes, & miſerabiles, & ex laboribus, atque induſtria manuum ſuarum vivant, ſi per integram diem tenerentur operam ſuam conferre, non haberent undè ſe valerent ſaltem competẽter ſuſtentare; & ſic poteſt concedi, quod per quatuor, vel ſex horas illius diei operam impendant, reſiduũ verò temporis inſumant pro quærendo ſibi neceſſario victu; ut de facto Romæ practicatum refert *Corrad. lib.8. cap.6.n.38.& ſeqq.*

Advertas, quod dum Oratori imponitur pœnitentia pro inceſtu, quod operam ſuam fabricæ, vel ſervitio alicujus Eccleſiæ, vel loci pii per tres menſes impendat, in iſtis tribus menſibus non computantur dies feſtivi de præcepto Eccleſiæ, in quibus laborandum non eſt, quia ab Oratore eſt præſtandum ſervitium ad rationem triginta ferialium dierum pro ſingulis mẽſibus. Sed quando collatio operum fit in Urbe, ubi Orator ac-

ceſ-

ceſſit pro diſpenſatione obtinẽda, tunc conſideratis illius laboribus, & ærumnis in itinere paſſis, poteſt minui tempus triũ menſium, prout Domino Datario videbitur, nam poſtquam laboravit per menſem, vel per aliud tempus plus, vel minùs, poteſt Dominus Datarius reſiduum temporis ei indulgere; injuncto tamen eidem, ut per tres, aut quatuor dies, vel per aliud tempus viſitet ſeptem, aut novem Eccleſias viſitari ſolitas intus, & extra urbem exiſtentes; de qua viſitatione tenetur exhibere fidem ab earundem Eccleſiarum Sacriſtis, ſeù aliis ad id deputatis, apud Dominum Præfectum Datariæ, qui, paucis quibuſdam ab Oratore ſolutis, trãſmittit ſupplicationem diſpenſationis ad Regiſtrum, quæ deindè transſmittitur ad Cancellariam, ubi literæ expediuntur gratis. Si verò literæ expediuntur per officium Minoris Gratiæ, tunc ab Oratore recipitur juramentum, quod ipſe ſit Orator nominatus in literis diſpenſationis, ut poſſit in forma pauperum trãſire, & gratis expediri: ſed quando Orator non eſt in Urbe, tunc per officium Minoris Gratiæ taxatur compoſitio, ita ac ſi illi pauperes non eſſent, licèt ratione paupertatis, non faciant integram ſolutionem compoſitionis, *Corrad. l. c. n. 40. & ſeqq.*

Delegatus igitur, non poteſt procedere ad abſolutionem ab inceſtu, & ad decretum diſpenſationis, niſi cum effectu ſit peracta publica pœnitentia injuncta, & ſervitium fabricæ ſit præſtitum, de qua pœnitentia ex integro peracta, eſt ab Oratoribus producenda fides in actis, ut Delegatus certus ſit de ſua juriſdictione, quæ ei non acquiritur, niſi ſub illa conditione, *Corrad. lib. 8. cap. 6. n. 53. & ſeq.* quicquid in oppoſitum probet *Capone controverſ. forenſ. 38.* Si tamen aliquod grave ſcandalum exoriri poſſet, ſi matrimonium quã primum non contrahatur, ſed eſſet expectandum integrũ ſervitium fabricæ Eccleſiæ, vel alterius loci pii, tunc poteſt Delegatus ad Dominum Datarium recurrere pro opportuno remedio, qui per ſuas literas eidem Vicario Delegato committit, ut ſi ſibi conſtiterit Oratorem partem ſupradicti ſervitii egiſſe, Oratoribus concedat licentiam matrimonium contrahendi, præſtita tamen priùs idonea cautione de explendo integraliter dicto ſervitio, poſt contractum dictum matrimonium. Cauſa autem ſufficiens ad iſtam diſpẽſationem eſt, ſi mulier ſit de pro-

ximo paritura, nam cum vitæ periculum immineat, expedit, ut tẽpore partus reperiatur contractum matrimonium, *Corrad. l.c.n.57.* ſicut quando Orator nõ poteſt operam ſuam conferre fabricæ, ex eo quia pro ſibi quærẽda neceſſaria ſuſtentatione, non habet certam, & permanentem Sedem, ſed tenetur huc, illucq; diſcurrere, ut eſt Nauta; tunc ſi Delegatus per ſuas literas certioret Dominum Datarium de tali impedimento, & petat pro Oratore commutationem pœnitentiæ, præſertim quia Oratrix prægnans de proximo paritura eſt, poteſt Datarius dictam operam in aliam ſalutarem pœnitẽtiam commutare, vel reſcribere Delegato, quod firma remanente alia publica pœnitentia, quæ alios deterreat, valeat pœnitentiam ſic impoſitam eidem Oratori in aliam ſalutarem commutare, *Corrad.l.c.n.59.*

Decretum autem diſpenſationis, hoc modo per Delegatum eſt formandum, quando omnia ab ipſo fuerunt antecedenter verificata. *N.N. Vicarius Generalis Neapolitanus, & ad infraſcripta Delegatus Apoſtolicus.Univerſis, & ſingulis has præſentes inſpecturis, notum facimus, atque teſtamur qualiter nuper corã Nobis, pro parte B.& B.loci N.bujus Neapolitanæ Diœceſis, exhibitæ, & præſentatæ fuerunt infraſcriptæ literæ Apoſtolicæ in carta Pergamena ſcriptæ, plumbeo pendente ſigillo ad cordulam fili canapis, more Romanæ Curiæ, non vitiatæ, non cancellatæ, non abraſæ, nec in aliqua ipſarum parte ſuſpectæ, ſed omni prorſus vitio, & ſuſpicione carentes, quas, cum omni, qua decuit reverentia, recepimus, hujuſmodi tenoris, videlicet. Innocentius, &c.* (hìc inſeritur totus tenor literarum, de verbo ad verbum, niſi literæ originales remanerent in actis, quia tunc nõ eſt neceſſe illas inſerere.) *Poſt quarum quidem literarum præſentationem, & receptionem nobis, & per nos ſic, ut præfertur factas, & receptas fuimus pro parte prçfatorũ B.& B.debita cũ inſtantia requiſiti.Quatenùs ad exequutionẽ earundem literarum, ac in eis contentorum procedere deberemus. Noſque, attenta, ſervataque illarum forma mandavimus de in eis expoſitis capiendam eſſe diligentem, & ſummariam informationem, per quam reperimus, prædictos B.& B. tertio, & quarto conſanguinitatis gradibus invicem eſſe conjunctos, dictamque B. propter hoc minimè raptam fuiſſe, omniaque in dictis literis expoſita, & narrata fuiſſe, & eſse vera, ac veritate fulciri. Idcircò in primis*

mis eoſdẽ B.& B. ab invicem ſeparavimus, eiſdemque pœnitentiam publicam injunximus, dictuſque B. operam ſuam fabricæ Eccleſiæ Sancti Nicolai hujus Civitatis tribus menſibus contulit, ab eiſque juramento recepimus, quod ſub ſpe faciliùs habendæ hujuſmodi diſpenſationis à Summo Pontifice inceſtum ſupra expreſſum non commiſerunt, ipſos in utroque foro abſolvi fecimus, & aliã pœnitentiam ſalutarem ipſis impoſuimus, ac cũ prædictis B.& B. ut matrimoniũ inter ſe publicè ſervata forma Cõcilii Trid. contrahere, illudque in facie Eccleſiæ ſolemnizare, & in eo poſtmodum remanere liberè, & licitè poſſint, & valeant Apoſtolica authoritate nobis conceſſa, & qua in hac parte fungimur, impedimẽto quarti conſanguinitatis gradus hujuſmodi, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, quæ idem Sanctiſſimus Dominus Noſter Innocentius Papa XII. in prædictis ſuis literis voluit non obſtare, diſpenſandum duximus, prout præſentium tenore diſpenſamus; diſtantiam verò tertii gradus prædicti eis non obſtare declarantes. Prolem ſuſceptam ſi qua ſit, & ſuſcipiendam exindè legitimam decernendo ad præſcriptum dictarum literarum, & in præmiſſarum fidem præſentes manu noſtra ſubſcriptas, per infraſcriptum Actorum Magiſtrũ pro Curia fieri, & ſcribi juſſimus. Datũ in Palatio Archiepiſcopali Neapolitano anno à Nativitate Domini 1697. Indictione, &c. die verò, &c. menſe, &c. Pontificatus autẽ ejuſdem SS. in Chriſto Patris, ac Domini Noſtri Innocentii Papæ XII. anno ejus VII. Feliciter amẽ.

N.N. Vicarius Generalis Neapolitanus exequutor Apoſtolicus.

N.N. Actuarius.

Iſtud decretũ formatur, quando cum impedimento adeſt etiã crimen inceſtus, quia decretum diſpenſationis pro ſolis impedimentis dirimentibus habens infra in fine *6. diſput.*

DISPUTATIO III.

De validitate literarum cognoſcenda per Exequutorem.

QUIA diſpenſationes matrimoniales extra Romanam Curiam committuntur Ordinariis illorum, qui eas impetrarunt, & quæ gratioſè conceduntur, ſuum non ſortiun-

tiuntur effectum, niſi priùs ab eiſdem tanquã Delegatis Apoſtolicis Summariæ tantùm, & extrajudicialiter cognoſcatur, expreſſas preces ſubreptionis, vel obreptionis vitio non ſubjacere, ut loquitur *Trid.ſeſſ.* 22. *cap* 5. *de reformat.* Ideò Excequutor literarum Apoſtolicarum debet diligenter verificare cauſas, quæ in literis diſpenſationis continentur, teſtes examinare, atque illorum qualitatem, & dicta perpendere ad hoc, ut valeat delegata authoritate diſpenſare in impedimentis; nam deficiente cauſa expreſſa in ſupplicatione, vel clauſula contenta in literis non poſſunt diſpenſationis literæ exequutioni demandari, ſed nullæ redduntur, *Corrad.lib.* 7.*cap*.6.*n*.3. *Trid.ſeſſ.*25. *cap*.18. *de reformat.* & ideò in mandato de diſpẽſando expreſsè dicitur: *Te de præmiſſis diligenter informes, & ſi per informationem eandem, preces veritate niti repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, &c.* Delegatus igitur debet ſummariè, & extrajudicialiter cognoſcere, an preces expreſsæ careant vitio ſubreptionis, vel obreptionis, ideò.

QUÆRES I.

Quando reſcriptum dicatur ſubreptitiè, vel obreptitiè impetratum?

REſcriptum ſubreptitiè, vel obreptitiè impetratum in hac matrimoniali materia nullius efficaciæ, & valoris dicitur à *Trid.ſeſſ.*25.*cap*.18. Pio V. in motu proprio ſuper expreſſione veritatis in diſpenſationibus matrimonialibus 5. Decembris 1566. ideò Delegatus debet examinare, an reſcriptum careat vitio ſubreptionis, vel obreptionis, *Corrad.lib.*7.*cap*.7.*n*.74. Nec Delegatus debet ſe exhibere proclivem ad arguendas literas de falſitate; nec ex levi ſuſpicione, debet recuſare exequutionẽ literarum, ſed cum juſta cauſa, puta ſi literæ in aliqua parte eſſent vitiatæ, vel in eis raſura aliqua appareat; nam tunc habet juſtum motivum ſuſpicandi de falſitate, niſi correctio literarum appareat facta authoritate Domini Regẽtis Cancellariæ Apoſtolicæ, qui in illarum capite ſuperiori, ita diceret. *Corrige in regiſtro prout jacet, N.Regens*, & in parte inferiori, ac in plica literarum verſus dexteram partem, ita ſcriptum reperitur: *Cor-*

recta per me N. Regiſtri Magiſtrum. Corrad.l.c.n.79.

Subreptionem, & Obreptionem ſynonima eſſe, tenent aliqui DD. quos ſequitur *Sanch.lib. 8. de matrim.diſp.*21.*n.*2. Cōmuniter tamen alii differentiā inter illa conſtituunt, dicendo, tunc reſcriptū eſſe ſubreptitium, quādo Papa jam intellexit, quod ab eo petitur, ſed in ipſa ſupplicatione non fuit expoſita veritas, quæ omnino narrāda erat, vel in ea fuit narratū aliquod falſum: Reſcriptū verò obreptitiū tunc eſſe, quando per verborum involutionem, aut cautam loquelam velut ironicam, aut callidam effugitur plena concedentis intelligentia, ita *Corrad.lib.7.cap. 4.n.54.* Sed *Menoch. de arbitrariis lib.2. centur.2. caſu* 201. *n.9.* dicit, ſubreptionem eſſe quoties veritas nō exponitur, vel per cōfuſam, ac perplexam ejus narrationem occultatur. Obreptionē verò eſſe, quando falſum narratur.

Difficultas tamen eſt, an taciturnitas veri reddat ſubreptitiam diſpenſationem, quando nō exponitur aliquod, quod ſecundùm ſtylū Curiæ eſſet neceſſariò declarandum; nam multi illam ſubreptitiam dicunt, multi negant, ut videre eſt apud *Dianā p.1. tract.* 10. *de legibus reſol.*42. qui tamen aſſerit, affirmativam ſententiam eſſe tenendam, cum oppoſita ſit periculoſa, quando taciturnitas reddit diſpenſationem difficiliorem; deficiente verò ſtylo Curiæ non eſt ſubreptitia diſpenſatio, ſi aliqua circumſtantia non explicetur, quæ ſi fuiſſet Pontifici explicata, non fuiſſet diſpenſationem conceſſurus, *Diana l.c.reſol.*38.

Et quidem circa taciturnitatem veri, an reddat gratiam, & diſpenſationem ſubreptitiā, tres reperiuntur ſententiæ, de quibus *Sanch. lib.*8. *diſp.*21. *Guttier. lib.2.Canonicarū qq.cap.*15.*n.*21. *& ſeqq.* Prima tenet, quod tacere id, quod retardaret Principē à conceſſione facienda, rèddit gratiam ſubreptitiam, ſicut etiā falſam cauſam impulſivam exprimere, reddit gratiam ſubreptitiam, ut videre eſt apud *Sanchez l.c.n.*10.*&* 31. Secunda tenet, tunc ſolùm gratiam, & diſpenſationem eſſe irritam, quando reticetur veritas, quę eſt cauſa finalis diſpenſationis, ideſt qua cognita minimè Princeps gratiam conceſſiſſet; ſecùs quādo, eſt tantùm cauſa impulſiva, quæ ſolùm habet retardare à tàm facili conceſſione, non tamen aufert voluntarium, nec irritat à gratuita voluntate pendentia, *Sanch.l.c.n.*11. eodem

mo-

modo diſcurrũt de falſa expreſſione cauſæ, *Sanch.l.cit.n.32.* videas *Guttier. lib. 2. Canonic. qq. cap.15. n.14. & ſeqq.* Tertia defendit, non ex omni veritatis taciturnitate reddi gratiam ſubreptitiam, quamvis ea cognita, Princeps non tàm facilè conceſſiſſet, ſed tunc tantùm, quando tacetur veritas, quàm jura jubent exprimi, vel de ſtylo Curię eſt exprimenda; iſtis verò deficientibus, tunc veritas non manifeſtata reddit gratiam ſubreptitiam, quando eſt cauſa finalis, ita *Sanch. loc.cit.num.12. & ſeqq.* ubi dicit, quod duo requiruntur, ut taciturnitas veri reddat gratiam ſubreptitiam; primùm, ut jure, vel ſtylo Curię caveatur veritatem illam eſſe exprimendam; ſecundum, ut id, quod tacetur ſit tale, ut expreſſum, retraheret Principem à cõceſſione gratiæ. Sed *Guttier.l.c. n.41. & ſeqq.* tenet, quod ſi cauſa impulſiva notabiliter Principem moveret ad gratiam concedendam, vel denegandam, ex illius taciturnitate, vel falſa expreſſione vitiatur gratia. Plura de hac falſa expreſſione, vel veri taciturnitate, quando vitiat, vel non vitiat gratiam, & quando dicatur impulſiva, quando finalis tradunt citati *DD.* quos videas quando caſus occurrit.

Advertas tamen, quod quando ſumus in dubio an diſpenſatio ſit valida, an ſubreptitia, valida eſt judicanda, quia in dubio judicandum eſt pro validitate actus, *cap. Abbate. de verbor. ſignificat. l. quoties, ff. de rebus dubiis*, & ita virtute dictæ diſpenſationis poteſt contrahi matrimoniũ, *Sanch. lib.8. diſput.21. n.25.* Verùm ſi officialis Epiſcopi ſemel pronunciavit reſcriptum eſſe ſubreptitium, & ſic non poſſe virtute illius diſpenſari in matrimonii impedimento, non poterit amplius (& ſi ſe deceptum invenerit) ſententiam retractare, ſed adeundus erit Summus Pontifex, qui delegavit, quia cum ſit Judex Delegatus functus eſt officio ſuo, & ita non habet amplius juriſdictionem, ut benè probat *Sanch. lib.8. diſp.27. n.39.* Faciunt tradita per *Capon. controver. foren.38. n.19.*

QUÆRES II.

An cauſa expreſſa in ſupplicatione omni tempore debeat eſſe vera?

Quatuor ſunt tempora, quæ in præſenti caſu conſiderantur à *Doctoribus*. Primum eſt tempus, quãdo ſupplicatio Pontifici porrigitur. Secun-

cundum eſt tempus, quando Põtifex, vel Pœnitentiarius literas concedit, committendo Ordinario, vel Confeſſario, ut diſpenſet. Tertium eſt tempus, quando Ordinarius, vel Confeſſor diſpenſat. Et quartum eſt tempus, quando Oratores diſpenſatione utuntur.

Requirunt aliqui veritatem cauſæ tempore, quo Romam mittitur, undè aſſerunt, ſubreptitiam eſſe diſpenſationem, quando tempore, quo miſſum eſt Romam cauſa fuit falſa, licèt vera ſit, quando Pontifex, vel Pœnitentiarius diſpenſationem committit. Alii communiter aſſerũt, ſufficere, ut tempore conceſſionis Pontificis, vel Pœnitentiarii cauſæ allegatæ ſint veræ, undè ſubreptitia erit diſpenſatio, ſi tunc cauſæ veræ non ſint, quamvis tempore præcedenti veræ fuerint, vel tempore ſubſequenti veræ exiſtant, ita *Sanch.* & alii apud ipſum *lib.8. diſput.30. n.*4.

Quod non requiratur veritas tempore, quo Romam mittitur, probant ex *cap. quia circa. de conſanguinit.* ubi dicitur, falſam fuiſſe cauſam allegatam ad diſpenſationem matrimonialẽ, ſcilicet *prolem*, quæ licèt fuerit ante impetrationem, tamen tempore impetrationis nõ erat, cum viam univerſæ carnis fuerat ingreſſa unica filia, quam habebat, ut loquitur *Text.* ergo non ſufficit tempore præcedenti cauſam fuiſſe verã, ſed requiritur, quod tẽpore datæ diſpenſationis cauſa ſit vera, ſiquidem Pontifex, vel Pœnitentiarius eſt, qui diſpenſationem concedit, & ſolam exequutionẽ Ordinario, vel Cõfeſſario remittit, præmiſſo veritatis precum examine, ideſt præmiſſo examine, an preces Pontifici, vel Pœnitentiario propoſitæ veræ ſint.

Nec obſtare dicunt, quod ſi veritas cauſæ tempore, quo Romã mittitur non exiſteret, Pontifex non diſpenſaret ſi fraudem cognoſceret: Inſuper taciturnitas veri, vel falſi expreſſio facit diſpenſationem ſubreptitiam, vel obreptitiam, ut dictum eſt in præcedenti Quæſito.

Nõ inquã obſtare dicũt, quia non quælibet taciturnitas veri, vel expreſſio falſi reddit ſubreptitiã, vel obreptitiam ſupplicationem, nam taciturnitas veri, vel expreſſio falſi extrinſeci, nec conferentis ad ſubſtantiam diſpenſationis illam non vitiat, quamvis Princeps veritate cognita non diſpenſaret, *Sanchez lib.8. diſput.21. n.18. & diſp.30. n.2. in fine.*

Mihi tamen dicendum videtur, quod veritas requiritur, & tem-

tempore, quo Romam mittitur, & tempore, quo diſpenſatio, ſeù mandatum de diſpenſando conceditur, ut etiam tenet *Guttier. lib. 2. Canonic. qq. cap. 15. n. 131.* Quod requiratur veritas, tempore quo mandatum conceditur, jam ſufficienter probatum eſt ſupra, quia ex tali cauſa narrata, movetur Superior ad cōcedendum mandatum, adeoque tunc debet exiſtere. Quod etiam requiratur veritas cauſæ tempore, quo Romam mittitur probatur, quia ſi aliter diceretur multæ fraudes poſſent committi, nam cauſam illā poſſent procurare pro tempore datæ commiſſionis, & ſic ſub ſpe diſpenſationis cauſam ponere, adeoque daretur anſa ad delinquendum, ut in conſimili dicit *Garzias de beneficiis p. 6. cap. 2. nu. 284. Corrad. lib. 7. cap. 2. n. 33.* quod etiam patet ex *Text. quia circa, de conſanguinitate*, ubi fuit expreſſum pro cauſa ſoboles genita, quæ quia non exiſtebat tempore, quo Romam fuit miſſum, ideò diſpenſatio locum non habuit, ut ibi dicit *Abb. nu.* 4. undè pro utroque tempore requiritur veritas cauſæ, quamvis rigoroſius requiratur pro tempore datæ commiſſionis.

Scio tamen *Corrad. lib. 7. cap. 6. n. 25.* aſſerere ſatis eſſe, ſi cauſa ipſa verificetur tempore exequutionis literarum, licèt tempore impetrationis illarum vera non fuerit, & dum *Abb. in cap. quia circa. de conſang. & affinit.* dicit, cauſam debere verificari tempore datæ, loquitur prout antiquis temporibus cōcedi ſolebat talis diſpēſatio; cum enim hujuſmodi diſpenſationes antiquitus concedebantur in *forma Gratioſa*, & ideò erat gratia facta, ideò narratorum non requirebatur juſtificatio; non verò loquitur his noſtris temporibus, in quibus diſpenſatio non amplius datur ſub tali forma, ſed ſolùm conceditur mandatum de diſpenſando, & ita diſpenſationes hodie dantur in *forma Commiſſaria*, & committitur Ordinario, ut cognita precum veritate diſpenſet. Hæc *Corrad.* ubi ita practicari aſſerit, quod etiam dicit in *cap. 2. n. 31. & ſeqq.*

Sed quia rationes, quibus ſupra probatum fuit requiri veritatem tempore datæ, efficaciter concludere mihi videntur, ideò ab illa opinione, puto non eſſe recedendum.

Hinc Ordinarius, vel Confeſſarius, quando veritatem precū examinat, debet cautè advertere, & examinare, an veritas cauſæ fuit tempore datæ diſpenſationis, an verò poſt conceſſionē, puta

puta ſi fuit allegatum pro cauſa, fœminā jacturam famæ paſsam eſſe ex frequenti converſatione cum viro, cui nuptura eſt, debet Delegatus cautè examinare, an tempore dati mandati ad diſpēſandum talis cauſa erat, an verò poſt tempus dati mandati talis infamia orta ſit; quia in hoc ſecundo caſu diſpenſatio exequi non poteſt, cum ſubreptitia ſit, *Sanch. lib. 8. diſput. 30. n. 5.*

Requiritur inſuper, quod veritas cauſæ juſtificetur, etiā tēpore exequutionis literarū; quia hodie diſpēſationes nō dantur in forma *gratioſa*, ratione cujus narrata non erant juſtificanda, quia tunc non erat mandatum de diſpenſando, ſed erat propriè diſpenſatio, & tunc ſatis erat cauſam fuiſſe veram tempore impetrationis; ſed conceduntur diſpenſationes in forma *Cōmiſſaria*, juxta præſcriptum *Sac. Concilii Trid.* & ideò committuntur Ordinario, ut cognita precum veritate diſpenſet; undè narrata ſunt verificanda tempore exequutionis, quidquid in oppoſitum teneant *Corrad. l. c. & Garzias p. 6. de benefic. cap. 2. n.* 288. dum aſſerunt, ſatis eſſe, ſi narrata juſtificētur tempore exequutionis literarum; nam ſupra probatum eſt, quod etiam tempore datæ debent narrata vera eſſe, ſicut idem *Corrad. l. c. n. 33.* dicit, quod ſi pro cauſa diſpenſationis narretur inter Oratores ſequutā fuiſſe copulam carnalē, vel illius ſuſpicionem eſſe, ac proindè niſi matrimonium contraheretur Oratrix diffamata remaneret, & ſcandala indè orirerentur, tunc requiritur veritas cauſæ tempore impetrationis ad excludendū dolum, ne conſultò copulam habeant poſt impetrationem.

Tota difficultas nunc remanet, quando cauſa fuit vera tempore cōceſſionis mandati ad diſpenſandum, ſed poſtea talis cauſa ceſſavit, vel eo tempore, quo Delegatus diſpenſaturus erat, vel poſtquam diſpenſavit, ſed antequam exequutioni demandetur diſpenſatio, an evaneſcat diſpenſatio. Sit exemplum, Oratrix pro cauſa allegavit dotis competentis defectum, & quando Pontifex literas cōceſſit, cauſa erat vera, ſed poſtea, vel antequam Delegatus diſpenſationem exequatur, vel poſtquam exequutus eſt, ſed nondum matrimonium eſt contractum virtute dictæ diſpenſationis, mulier comparavit dotem competentē; an valor dictæ diſpēſationis ceſſet, eo quod ejus cauſa ceſſavit.

Et quidem certum eſt, quod quādo cauſa, quę à principio fuit vera erat impulſiva, licèt poſtea

ceſſet, non corruit diſpenſatio, *Tiraquel. in tract. ceſſante cauſa, limitat.* 1.4.& 12. ſicut etiam, ſi cauſa finalis diſpenſationis non omninò ceſſavit, ſed adhuc aliquæ illius reliquiæ permanent, non extinguitur diſpenſatio: Siquidē in moralibus minor cauſa deſideratur ad licitum cōceſſionis uſum, quam ad ipſam conceſſionem, quia faciliùs quis ab obtinendo rejicitur, quàm ab obtento; undè in dubio an ceſſavit omninò cauſa diſpenſationis, judicandum eſt illam non ceſſaſſe, quia ſtat poſſeſſio pro ipſa, quando à principio adfuit, *Sanch lib.8. diſput.3.n.7. & ſeqq.* Similiter, quando diſpenſatio deducta eſt ad ultimum effectū, qui indiviſibilis eſt, & revocari non poteſt, puta ſi eſt facta diſpenſatio ad matrimonium contrahendum, & jam matrimoniū contractum eſt, tunc etiam ſi totaliter ceſſet cauſa finalis, non ceſſat diſpenſatio, quia ſemel ac validè fuit contractum matrimonium, non poteſt amplius ab illo retrocedi, *Sanch. loc. cit. n.* 10. ſicut, ſi datur dos mulieri ſub prætextu paupertatis, ſufficit, quod ſit pauper tempore, quo dotem conſequi debet; quod ſi poſtea fiat ditiſſima, non tenetur dotem reſtituere: Sicut etiam immunitas conceſſa alicui propter numerum duodecim filiorū, non ceſſat ſi contingat aliquos ex illis filiis mori, ſufficit enim, quod una hora fuerint ſemel vivi, in quo numero computantur Mares, & fœminæ, etiam ſi illæ fuerint nuptæ, vel ingreſſæ religionem, ſivè ſint filii legitimi, & naturales, ſivè naturales tantùm, legitimati tamen, vel per reſcriptum Principis, vel per ingreſſum religionis, *Anna ſingulari* 241. *Theſaur. deciſ.* 267. *n.* 5. *Corrad. lib.7. cap.2. n.30. in fin.* quæ immunitas non ſolùm peti poteſt à Patre, ſed etiam à Matre, *Franc. deciſ.* 259. *Corrad. loc. cit. n.* 29. & etiam peti poteſt à filiis mortuo Patre, quando omnes dicti filii ſimul in communi vivunt, niſi neceſſaria diviſione dividantur, *Ripa ſingul. obſervat.* 315. *Corrad. l. c.*

Hinc ſi diſpenſatio non dum obtinuit ſuum ultimum effectū, puta non dum eſt contractum matrimonium, quia tunc non dicitur cōſummata diſpenſatio, ſed adhuc in fieri dicitur reſpectu effectus, ſcilicet contractionis matrimonii, ideò probabiliter aliqui tenent, quod ceſſante omninò cauſa finali, ceſſat diſpenſatio, quia veritas cauſæ debet perſiſtere uſque dum matrimonium cōtrahitur; ſicut ſi quis eſt diſpēſatus tempore Quadrage-

geſimæ, ut poſſit ratione ſuæ infirmitatis veſci carnibus, ſi recuperavit ſalutem, non poteſt uti tali diſpenſatione, quia ceſſat cauſa finalis, & diſpenſatio intelligitur conditionata, ſcilicet ſi cauſa perſiſtat; ita etiam diſpenſatio matrimonialis intelligitur conditionata, ſcilicet ſi cauſa perſiſtat, uſque dum contrahitur matrimonium, ut probat *Sanch. lib.8. diſput.30.nu.14.* Non deſunt tamen *DD.* pro validitate dictæ diſpenſationis, ut videre eſt apud eundem *Sanch. l.c.nu.13.* quam ſententiam amplectitur *Diana p.1. tract.10. de legib.reſol.41.* ubi talem ſententiam probabiliorem appellat.

Quando plures cauſæ exprimuntur Pontifici pro impetranda diſpenſatione, quarum quælibet ex ſe ſufficiens eſt ad gratiam obtinendam poteſt probabiliter dici, quod non eſt neceſſe omnes illas cauſas probare, & verificare, ſed ſufficit unam ex illis, & præcipuè verificanda eſt illa, in qua Papa ſe fundat, ut ex traditis per *Guttierez lib. 2. Canonic.qq.cap.15.n.53. & ſeqq.* ubi probat, quod non redditur ſubreptitia gratia, licèt aliqua ex cauſis expreſſis ſit falſa, niſi dolosè ſit expreſſa falſa cauſa, ut dicit *n.106.* Si verò plura narrantur, quorum neutrũ de per ſe ſufficiens eſt ad gratiam obtinẽdam, tunc utrumque copulativè verùm requiritur, *Guttier.loc.c. n.64.* Verùm cit. *Doctor n.108. & ſeqq.* tenet, quod in iſta cauſa matrimoniali requiritur verificatio omnium cauſarum, quæ in ſupplicatione fuerunt expreſſæ, etiã ſi omnes ſint æquè principales; quia in commiſſione ponuntur illa verba, *teque ſuper his diligenter informes, & ſi repereris, quod preces veritate nitantur, &c.* quæ verba videntur neceſſariò importare veritatem omnium narratorum; & ſolùm in reſcriptis juſtitiæ, & ad lites militat, quod ſatis eſt, ſi una ex cauſis verificetur, ſecùs in reſcriptis gratioſis, & dependentibus à voluntate Principis; nam Orator in ſupplicatione pro diſpenſatione matrimoniali, ideò omnes illas cauſas narravit, ut moveretur Pontifex ad concedendam ei gratiam, quæ conceditur ſub hac conditione, *dummodò preces veritatè nitantur*; ergo quando una pars ex illis vera non eſt, non poteſt dici, quod preces veritate nituntur. Primam tamen ſententiam amplectitur, *Sanch. lib.8. diſput 21.n.43. & ſeqq.* ubi in ſpecie contra *Guttier.* loquitur.

QUÆRES III.

Quid faciendum ſi ultra impedimentum in ipſa gratia narratum, Oratores alio occulto impedimento detinentur?

QUando ultra impedimentum in gratia narratum, & per teſtes probatum, Oratores alio impedimento occulto, in literis non expreſſo, detinentur, quod fortè ex crimine provenit, ut eſt impedimentũ affinitatis ex actu fornicario proveniens, non tenentur crimen occultum in foro externo prodere cum propriæ famæ jactura, & periculo: ſed tunc utrumque impedimentum eſt exprimendũ in Sacra Pœnitentiaria, quia cum in ea non publicentur nomina Oratorum, remanet adhuc occultum crimen, & utrumque impedimentum Pontifici innoteſcit; & ex hoc poteſt Sacra Pœnitentiaria cognoſcere, an diſpenſare expediat, nec ne, cõcurrente eo duplici impedimento: nec refert an prius utrumq; impedimentum proponatur Sacræ Pœnitentiariæ, & poſtea Papæ innoteſcat, vel è converſo; ſicut etiam poteſt Cõfeſſarius, cui Sacra Pœnitentiaria id commiſit, diſpenſare in foro conſcientiæ, licèt non adhuc ſit impetrata diſpenſatio ſuper publico impedimento, *Corrad.lib.7. diſpenſat. Apoſtolic. cap.6.n.78. & ſeqq.* Obtenta tali diſpenſatione per officium Sacræ Pœnitentiariæ in foro conſcientiæ tantùm, poteſt Exequutor, vel Ordinarius permittere, ut matrimonium contrahant; undè ſi nullus denunciat dictum impedimentum occultum coram Parocho, vel Ordinario, quamvis illis, vel alteri eorum privatim conſtet de hoc impedimento, ſi etiam eis conſtet de diſpenſatione in foro cõſcientiæ obtenta, poſſunt diſſimulare, ut taliter impediti contrahant matrimonium; nam licèt iſti ex officio teneantur inveſtigare impedimenta, ne impediti, contrahendo delinquant, ceſſat tamen iſta obligatio, quãdo eis conſtat, illos abſque culpa contrahere ob diſpenſationẽ jam obtentam in foro conſcientiæ, *Sanch. lib.3. de matrim. diſp. 15.n.14. Corrad.l.c.n.31.& ſeqq.* Poſita verò denunciatione impedimenti, quia tunc impedimentum eſt factum publicum, nõ poteſt amplius procedi ad contractionem matrimonii, niſi diſpenſatio in utroque foro exhibeatur; undè ſunt obtinendæ ſuper illo occulto impedimento

aliæ

aliæ literæ, in utroque foro in forma *perindè valere*, ita *DD.* citati.

Sed dubium hìc inſurgit, an dum Oratores ipſi à Judice interrogantur, utrum ultra impedimentum in literis diſpenſationis jam in utroque foro obtentis, expreſſum, ſit aliud impedimentum occultum, teneantur Judici tale impedimentum occultum manifeſtare, quando ipſi diſpenſationem in foro conſciētiæ tantùm obtinuerunt ſuper illo impedimento.

Ad hoc dicimus, eis non eſſe injungendum onus manifeſtandi tale impedimentum, quādo eſt occultum, & nullo modo probari poteſt, ita *Corrad. lib. 7. cap. 6. n. 36. & lib. 8. cap. 2. n. 21. & ſeqq.* videas infra in *Quæſit. 7. in fin.* Quod ſi Notarius, vel Judex per confeſſionem ipſorum Oratorum ſciat, eos eſſe detentos impedimento occulto, & ſuper eo diſpenſationē impetraſſe in foro conſcientiæ; poterit Notarius, vel Judex id non ſcribere, & admonere Oratores, ut taceant, vel tale impedimentum negent, utendo æquivocatione, ſcilicet negando impedimentū, ut de facto impediens, cū diſpenſatum ſit ſuper eo, *Sanch. lib. 3. diſput. 15. n. 16. Corrad. l. c. n. 37.*

Advertas tamen, quod quando à Pœnitentiaria petitur diſpenſatio ſuper occulto impedimento, non ſufficit illud eſſe occultum, ſed inſuper requiritur, quod nullus adſit timor, quod aliquo modo poſſit fieri publicum in futurum; quia exiſtente tali timore, major Pœnitentiarius remittit ſupplicationem ad Datariam, ut Oratores petant ſecum diſpenſari in utroque foro; nam non occultū, ſed manifeſtum dicitur, quod probari poteſt, *Corrad. lib. 7. cap. 7. num. 12. & ſeqq.*

QUÆRES IV.

An peti poſſit diſpenſatio ſuper aliquo impedimento, tacito altero in poſterum diſpenſando?

DUæ in hac re vigent ſententiæ. Prima affirmat diverſis diſpenſationibus, diverſa impedimēta proponi poſſe, & quālibet illarū validam eſſe, quoad impedimētum in ea expreſſum: undè ſi aliqui ſint ſimul conſanguinei, & affines, poterunt in una ſupplicatione petere diſpenſationē conſanguinitatis, tacita affinitate, & in alia petere diſpenſationem affinitatis tacita conſanguinitate, ita multi *DD.* relati à *Diana p. 1. tract. 10. de* *le-*

legib.reſol.39. & à Sanch.lib.8.de matrim.diſp.23.n.1. ubi illorum rationes habes; quæ ſententia probabilis judicatur à *Sanch.* his verbis: ***Et cum hæc ſententia tot patronos habeat, & rationes non parvi momenti, eſt probabilis, nec poteſt injuſtè damnari, qui illam amplectitur.***

Secunda ſententia tenet neceſſariò in eadem diſpenſatione, quæ tendit ad unum finem, & ad unam contractionem matrimonii, & ita individua eſt, faciendam eſſe mentionem illorũ impedimentorum, quando publica, non verò, quando occulta ſunt, *Sanch.l.c.n.2.7.& 8.* idque ne diſpenſatio ſubreptitia ſit; & nullius momenti, quia verùm non narratur, quando aliquod impedimẽtum reticetur, & decipitur Pontifex, quia exiſtimat contrahere volentes nullo alio impedimento eſſe detentos, & ideò ipſe diſpenſat, nam ſi ſciret, alio impedimento etiam detentos, fortè non diſpenſaret: ità multi, quos citat, & ſequitur *Sanch.loc.c.n.2.* qui *n.3.* dicit, id verùm eſſe, ſivè ſcienter, ſivè ignoranter, alterum impedimẽtum in prima diſpenſatione tacitum ſit, quia ſubreptio admiſſa tacendo veritatem, ſivè ſcienter, ſivè ignoranter, totam vitiat diſpenſationem, ut etiam tenet *Diana l.c.* ubi in fine dicit, quod prima ſententia eſt contra praxim, & uſum Romanæ Curiæ, ideò probabilitate caret.

Verùm tamen eſt, quod habens duplex impedimentum, cõſanguinitatis ſcilicet, & affinitatis, vel publicæ honeſtatis, & affinitatis, tenetur utrunq; exprimere, aliàs diſpenſatio dicitur ſubreptitia quoad effectum, in quantùm ſcilicet valet diſpẽſatio quoad impedimentum expreſſum, ſed non poteſt habere effectum, niſi obtineatur ſuper alio; quando verò per expreſſionem unius impedimenti tacitè fit expreſſio alterius, tùnc tenet diſpenſatio, & poteſt exequutioni demandari, abſque alia nova diſpenſatione, *Genuenſis in prax. cap.25.n.10.*

QUÆRES V.

An ſit exprimendum, affinitatem duplici titulo eſſe cauſam.

Affirmat *Sanch.lib.8. diſput. 24.n.4.* undè quando cõtrahens rem habuit cum duabus perſonis conſanguineis intra ſecundum gradum alterius contrahentis, tenetur id exprimere. Similiter ſi duplici ex parte habent impedimentũ publicæ honeſtatis, quia ſcilicet contraxit ma-

matrimonium ratum, validum cum dublici cognata intra quartum gradum ejus, cum qua vult contrahere: vel duo ſponſalia valida cum duabus ejus ſororibus ex diſpenſatione Apoſtolica, tenetur id exprimere, aliàs ſubreptitia erit diſpenſatio, quia in impedimentis exponendis facienda eſt mentio, non ſolùm de conjunctione, & attinentia gradus, ſed etiã an ſit ab uno, an à duobus ſtipitibus, ut infra ſuo loco dicetur. Si verò affinitas ſit cauſata ex multiplici copula cum eadem perſona, tunc non eſt facienda expreſſio multiplicitatis copulæ, ſed ſufficit gradũ affinitatis exprimere, quia eſt unum principium affinitatis, & ſic una affinitas; quando verò ſunt plures perſonæ cognitæ, ſunt plura principia affinitatum, & ideò talis pluralitas eſt exprimenda, quicquid in oppoſitum dicant aliqui relati à *Sanch. l. c. ubi num. 5. & 7.* eorum rationes ſolvit.

Ex dictis fit, quod ſi aliquis obtinuit à Pontifice diſpenſationem in affinitate, & antequam Ordinarius illam exequatur, iterum copulam habeat cum illa muliere, ex cujus copula affinitas fuit cauſata, adhuc valet diſpenſatio, quia nondum eſt conſummata diſpenſatio in affinitate, ſed Ordinarius virtute mandati Apoſtolici diſpenſare valet. Si verò copulam habet cum alia illius conſanguinea, tunc quia oritur nova affinitas non tenet diſpenſatio: ſicut ſi poſtquam Delegatus diſpenſavit in affinitate Orator copulam habeat cũ eadem, vel alia muliere, ex qua affinitas de novo oritur, non poteſt matrimonium contrahere virtute diſpenſationis, ſed tenetur novam gratiam impetrare, *Sanch. l. c. n. 8. Corrad. lib. 8. cap. 1. n. 39. & ſeqq.* Similiter, quando diſpenſatio ſuper affinitate conceditur per officium Sacræ Pœnitentiariæ, licèt Oratores de novo copulam habeant antequã Confeſſarius diſpenſet; non tamen requiritur nova diſpenſatio, ſed liberè poteſt Confeſſarius literas exequi; quia tunc tantùm requiritur nova diſpenſatio ſuper nova copula, quando literæ fuerũt obtentæ pro utroque foro in forma *pauperum*; ſecus verò, quando per Pœnitentiariã in foro cõſcientiæ tantùm, *Corrad. l. c. n. 52. & cap. 2. n. 12.*

QUÆRES VI.

An error gradus vitiet diſpenſationem?

DIſtinguit *Sanch. lib. 8. diſput. 24. n. 17.* nam vel exprimitur

tur proximior, vel remotior gradus. Si proximior tenet diſpenſatio, & Delegatus poterit literas exequi in gradu remotiori, puta ſi expreſſit, quod erant in tertio conſanguinitatis, & obtinuit literas Apoſtolicas pro tertio gradu, & poſtea repertum eſt eſſe in quarto gradu, poterit Exequutor diſpenſare, quia majus impedimentum continet minus, quando ſunt ejuſdem ſpeciei, ſicut calor intenſior continet remiſſiorem. Si verò expreſſit gradum remotiorē, tunc diſpenſatio eſt nulla, quia impedimētum proximioris gradus diſpenſatione non eſt oblatum, *Perez de Matrim. diſput. 46. ſect. 5. num. 10. Poncius lib. 8. de Matrim. cap. 31.* Similiter ſi expreſſit ſecundum gradum, & poſtea reperitur, quod ſunt in ſecundo, & tertio, diſpenſare nō poteſt Exequutor, quia licèt potens diſpēſare in ſecundo gradu, valeat etiam diſpenſare in tertio tanquam in minori, non tamen poteſt in illo diſpenſare, quando uterque gradus in eodē reperitur, nàm multo major eſt, quàm ſolus ſecundus, nec comprehenditur ſub ſecundo, tanquam ſub genere, *Sanch. l. c. n. 10. & 19.*

Verùm *Corrad. lib. 7. cap. 5. ſub n. 94.* contra *Sanch.* tenet, dictas literas diſpenſationis, ubi eſt factus error in expreſſione gradus, & pro remotiori expreſſus eſt proximior, ſubreptitias eſſe, non ſolùm ex antiqua, & inveterata praxi, ſed etiam quia diſpenſatio tantùm valet, quantùm ſonat, cum ſit ſtricti juris, & ideò ſtrictè interpretanda eſt. Præterea in iſtis diſpenſationibus concedendis Summus Pontifex per diverſos Miniſtros, & Officiales concedit diſpenſationes, ſecundùm quod eſt diverſitas gradus, nam diſpēſatio in quarto, vel in tertio, & quarto gradibus expeditur per officium *Minoris Gratiæ*. Diſpenſatio in tertio gradu expeditur per *Cancellariam*. Diſpenſatio in ſecundo, vel in primo, & ſecundo expeditur per *Præfecturam breviū*, & ſub Anulo Piſcatoris, *Corrad. l. c. n. 96. & ſeqq.* ergo juxtà diverſitatem graduum ſunt diverſa officia, & diverſi Officiales cōſtituti; ergo cum mens Pontificis ſit, ut literæ diſpenſationis non alias, quàm per ſuos Officiales diſtinctos expediantur, dicendum, quod ſi aliter literæ ſunt expeditæ, ſubreptitiæ ſunt, nec poſſunt corrigi, quoad verum gradū in Cancellaria Apoſtolica, ſed opus eſt nova impetratione per gratiam, *perindè valere*, niſi error fuit detectus poſt regiſtratam ſupplicationē,

ſed

ſed ante expeditionem literarũ, quia tunc verior expreſſio fieri poteſt per novam ſupplicationẽ reformationis.

Dico tamen, quod in jure ſententia *Sanch.* probabilis eſt, nam voluntas Pontificis eſt, diſpenſare in tali gradu proximiori ex cauſa allegata; ergo multo magis ex illa cauſa diſpenſat in gradu remotiori cum eadem perſona. Quod autem diſpenſationes expediantur per diverſos Officiales parum facit, nam omnes ſunt Miniſtri ejuſdem Põtificis, qui illa officia diſtinxit pro faciliori commoditate Officialium, ne unus gravetur in expediendis omnibus diſpenſationibus per totum orbem. Verùm à praxi Romanæ Curiæ non eſt recedẽdum, ſed ab omnibus, uti lex ſervanda eſt, cum ſit introducta coram Principe, à quo cenſetur approbata.

QUÆRES VII.

An diſpenſatio inter conſanguineos, vel affines ſit ſubreptitia, quando non eſt facta mentio de copula habita inter eos.

AFfirmat *Sanch. lib. 8. diſput. 25. n. 8. Layman in Theologia Morali lib. 1. tract. 4. cap. 22. n. 18. Rebellius lib. 3. quæſt. 5. ſect. 4. n. 24. Riccius p. 4. deciſ. 308. Garzias*, & alii relati à *Diana p. 1. tract. 10. de legib. reſol. 44.* qui dicunt, id eſſe de ſtylo Curiæ, *Corrad. lib. 8. cap. 1. n. 2. 32. 37. &* 42. ubi refert declarationes Sacræ Congregationis, in quibus declaratur, diſpenſationem eſſe ſubreptitiam, ſi inter conſanguineos, vel affines carnalis copula præceſſit, cujus mentio in ſupplicatione facta non eſt, adeoq; tenet, quod talis expreſſio copulæ facienda eſt, non ſolùm quando Oratores ſcientes inter eos adeſſe impedimentum ſe carnaliter cognoverunt, ſed etiã quando ignorantes impedimentum carnaliter copulati ſunt, quia, etiam ſtante tali ignorantia, contrahitur impedimentum inceſtus ſaltem materialis, contra *Petrũ Ledeſ. de matrim q. 55. artic. 6. difficult. 5. Cordub. lib. 1. q. 22.* idem repetit *Corrad. loc. c. cap. 4. n. 29. & 30.* Undè *Genuenſis in praxi cap. 25. num. 4.* dicit, quod diſpenſatio matrimonialis impetrata ſine mentione de inceſtu eſt nulla, & ideò Curia Archiepiſcopalis Neapolitana non concedit licentiam contrahendi, niſi impetretur nova diſpenſatio; ſicut nova diſpenſatio eſt impetranda mediante gratia *perindè valere*, quando obtenta

Bb diſ-

diſpenſatione cum expreſſione copulæ, & facta per Vicarium ſeparatione, de novo ſe carnaliter cognoverunt, ſecus verò ſi ſeparatio non fuit facta, *Genuenſis loc.cit.n.*5.

Negat *Diana loc.c.* ubi plures pro ſua ſententia refert, idque quando copula eſt occulta, & probari non poteſt in foro externo, pro quo foro fuit obtenta diſpenſatio cōſanguinitatis: nec pro contraria opinione facit ſtylus Curiæ, quia ut ipſe dicit, talis ſtylus non adeſt, adeoq; quando diſpenſatio non innititur copulæ, ſi de illa nō eſt facta mentio, non redditur diſpēſatio ſubreptitia, & nulla, ſecus verò ſi copula fuit habita ſub ſpe facilioris diſpenſationis, quia tunc neceſſariò eſt exprimenda. Ad declarationes autem Sacræ Congregationis, quæ referuntur à *Corrad.* dicunt *DD.* hujus ſecundæ opinionis, quod loquuntur pro foro externo, quando inceſtus eſt publicus, *Perez de matrim. diſp.*46. *ſect.*6. *Gabriel de Sancto Vincentio de matrim. diſp.* 9. *n.*26. *Villalob. in ſumma tom.*1. *tract.*14. *difficul.*27. *n.*7. idem *Corrad. l.c. n.*51. *& ſeqq.*

Hinc juxtà hanc ſecundam ſententiam ſi diſpenſatio concedatur cum clauſula *dummodo copula non interceſſerit*, ſi commiſſio eſt facta pro foro judiciali, valet diſpenſatio, ſi in judicio copula plenè non probatur; nec officit ſemiplena probatio, quia in jure talis expreſſio copulæ nō requiritur, & ita clauſula illa limitans jus commune, ſtrictè interpretanda eſt, ut minus lædatur jus commune, *Villalob. l.c.* Si verò commiſſio eſt facta pro foro conſcientiæ, tunc nulla eſt diſpenſatio, quia pro illo foro interno eſt conditionalis diſpēſatio, ſcilicet ſi copula non intervenit.

Similiter infertur, quod quādo Exequutor in foro exteriori interrogat Oratores, an inter ipſos copula intervenerit, non tenentur illam fateri, ſi occulta eſt, *Corrad. lib.*8. *cap.*2. *nu.*21. *& ſeqq.* Si verò Oratores non dum receptis literis diſpenſationis ſuper aliquo impedimento, quo detinebantur, carnaliter ſe cognoverunt, deindè receptis literis, illas Exequutori præſentarunt, coram quo, copulam carnalem inter eos ſequutam negarunt, medio juramento, & ita matrimonium contraxerunt, ſi id occultum ſit, eſt petenda à Sacra Pœnitentiaria abſolutio ab inceſtu, perjurio, & exceſſibus hujuſmodi. Idem dicendum ſi ſcientes ſe aliquo gradu eſſe conjunctos, carnaliter ſe cogno-

ve-

verunt, & nulla facta mentione in ſupplicatione de tali copula, matrimonium cõtraxerunt, *Corrad. lib. 8. cap. 4. n. 34.* Videas dicta ſupra in tertio Quæſito.

QUÆRES VIII.

An quando erratur in cognatione, puta pro tertio conſanguinitatis ponitur tertius affinitatis gradus, ſit valida diſpenſatio.

AFfirmat *Diana par. 1. tract. 10. de leg. reſol. 38.* cujus verba ſunt: *Nota etiam ſecundùm Layman in Theolog. moral. lib. 1. tract. 4. cap. 32. n. 26. quod reſcriptum non vitiatur, ut à Commiſſario exequutioni mandari non poſſit, ſi error aliquis injuria ſcriptoris irrepſerit, ut ſi v3. Papa commiſit officiali, quod ſi preces veritate niti cognoverit, cum Titio, & Caja, Apoſtolica authoritate diſpenſet; ſed erratum fuit in bulla Pontificia, nam pro tertio gradu affinitatis poſitus fuit tertius gradus conſanguinitatis.* Oppoſitum tenet *Corrad. lib. 7. cap. 5. n. 71. & ſeqq.* ubi aſſerit, quod literæ ſunt omninò corrigendæ, & niſi corrigantur, perperam exequuntur, quia ſunt contra mentem Papæ, & notorium Curiæ ſtylum, & quamvis dicatur, quod conſanguinitas, & affinitas inter ſe non differunt ſpecie, tamen id verùm eſſe dicit, quoad conceſſionem gratiæ, & quoad jura, & emolumenta officialibus ad id præpoſitis debita, quæ ob alterutrius expreſſionem non alterantur, neque minuuntur, niſi in quibuſdam paucis; non verò ſunt idem, quoad alios effectus, & ideò cautius erit, ſi literæ procurentur cum alternativa, videlicet, *ſed quia tertio, & quarto à communi ſtipite provenientibus conſanguinitatis, vel affinitatis gradibus invicem ſunt conjuncti, ſeù ſe attinent, &c.* ità *Corrad. l. c. n. 73.*

Advertas tamen, quod ſi literæ diſpenſationis fuerunt impetratæ ſuper duobus impedimentis dirimentibus, ſcilicet ſuper tertio conſanguinitatis, & tertio affinitatis gradibus, & in illarum verificatione Delegato conſtet, unum tantùm impedimentum adeſſe, ſcilicet conſanguinitatis, reſcriptum non vitiatur, ſed legitimè exequutioni mandari poteſt ab Exequutore, quoad verum impedimentum in eo expreſſum, quia ſunt duo impedimenta diſtincta, & utile per inutile non vitiatur, *Corrad. lib. 7. cap. 6. n. 80. & ſeqq.* Si verò

ſuper duobus, aut pluribus impedimētis unica impetratur diſpenſatio, ex falſa cauſa quoad aliqua ex dictis impedimentis, alia vera exiſtente quoad reliqua, tunc ſubreptio doloſa in una parte, vitiabit totam gratiā, *Corrad.l.c.n.82.*

QUÆRES IX.

An ſit valida diſpenſatio, quando erratur in Nomine, vel Patria Oratoris?

VAlidam eſſe diſpenſationē, quando erratur in nomine ejus, cui impetratur diſpenſatio, tenent *Sanch.lib.8. diſp.21.n.37. Diana part. 1. tract. 10. de legib. reſol.36.* quia error nominis proprii non vitiat reſcriptum, quando conſtat de corpore, *l.ſi quis.4. ff de legatis. 1. inſtitut. de legatis. §.ſi quis in nomine.* Oppoſitum tenent aliqui relati à *Sanch.l.c.* quibus adde *Corrad. lib.2. cap.2. n.12 & ſeqq.* & *lib.7. cap.5. nu.4.* dicentem, quod licèt de jure oppoſita ſentētia procedere valeat, de ſtylo tamen Curiæ aliter ſervatur, & in praxi receptum eſt, quod non ſolùm ſi erratum fuerit in nomine, aut cognomine, verùm etiam in ſyllaba, aut litera, diſpenſatio non meretur exequutionem, niſi prius ab Officialibus deputatis corrigatur, & non ſolùm ſunt corrigendæ literæ, ſed etiam illarum regiſtrum: imò *n.7.* addit, quod hodiè non datur correctio ſuper nomine proprio Oratoris, vel Oratricis, ſed opus eſt, novam gratiam impetrare, & novas literas expedire, vel ſaltem previa nova ſignatura ſupplicationis, cum vera nominis expreſſione, ipſas jam expeditas literas eorundem Officialium authoritate corrigere. Si tamen error in nomine ſit, quia in literis fuit facta expreſſio nominis Oratoris dicendo, Franciſci Antonii, & in corpore literarū dicatur, Frāciſcus, vel dicatur Antonius, tunc literæ vitio nullitatis non ſubjacent, quia habens duo nomina, poteſt vocari Franciſcus diſtinctè, & Antonius, *Corrad. loc.c.n 9.* qui ſpeciatim inſurgit contra *Dianam*, & dicit, quod Regens Cancellariæ Apoſtolicæ poteſt tantùm cognomina Oratorum corrigere, quando literæ diſpenſationis non ſunt *in forma pauperum*; quando verò error eſt circa expreſſionem nominis, ſi cognoſcitur error poſt regiſtratam ſupplicationem, ſed ante literarum expeditionem, omninò requiritur ſignatura novæ ſupplicationis, *in forma reformationis*, ſub præinſerta prio-

ri ſupplicatione, quæ ita datur: *Pater Sancte. Dignetur S.V. literas ſuper præinſerta conficiendas, cum expreſſione, quod Orator non Cynthius, ſed* Joannes Capycius, *& non aliter nominatur, & cognominatur, in reliquis verò, juxtà ejuſdem præinſertæ vim, formam, continentiam, & tenorem expediri mandare, de gratia ſpeciali, non obſtantibus omnibus, quæ E.S.V. in dicta præinſerta conceſſit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcunque.*

Dicit etiam *Corrad.* quod ſi in urbe cognomen Oratoris, vel Oratricis ignoratur, tunc poteſt poni nomen utriuſque genitoris, vel genitricis Oratorum dicendo: *Exponitur pro parte Stephani nati Franciſci, & Catherinæ natæ Antonii, vel Stephani nati Iſabellæ, & Catherinæ natæ Beatricis.* Imò poteſt omitti ly *Nati*, vel *Natæ*, & abſolutè dici, Stephani Franciſci, Catherinæ Antonii, utrunque nomen ſcribendo cum litera majuſcula, quia quando diverſa nomina ſunt unius perſonæ, tunc tantùm primum nomen in Dataria ſcribitur litera majuſcula, non verò ſecundũ, quæ nomina ſunt ſcribenda clarè, diſtinctè, atque extenſè, & non abbreviatè.

Quando verò erratur in Diœceſi, etiam validam eſſe diſpenſationem dicit *Diana l.c.* quia conſtat, intentionem Papæ eſſe, ut ſolus proprius petentis Ordinarius cum illo diſpenſet, & ſubdit, quod talis opinio bis ipſo conſulente fuit practicata. Negativam verò ſententiam veriorem appellant, *Sanch. loc. c. n. 39. Corrad. l. c. n. 29.* cujus occaſione.

QUÆRES X.

Cujus Diœceſis eſt facienda expreſſio, quando Oratores ſunt diverſarum Diœceſum?

Utraque Diœceſis explicãda eſt, idque ex ſtylo Datariæ, & Cancellariæ, *Corrad. lib. 7. cap. 5. nu. 25. & ſeqq.* Mens enim Pontificis eſt, ſemper exequutionem literarum committere Ordinario Oratricis, & ideò niſi utriuſq; Diœceſis fieret expreſſio, quãdo Oratores ex duabus Diœceſibus orti eſſent, poſſet contingere, literas ipſas dirigi non Oratricis, ſed Oratoris Ordinario, contra mentem ipſius Papæ.

Quod ſi Oratores ſint alicujus Diœceſis, cum alia invicem, & æquè principaliter unitæ, & ſub juriſdictione unius Epiſcopi, tũc etiam eſt facienda expreſſio, ex qua ex his Diœceſibus verè ipſi orti ſunt, quia quandoque Epiſco-

ſcopus in unaquaque illarum habet ſuum Vicarium generalem, cui committuntur literæ exequendæ, *Corrad.l.c.n.27.*

Advertas, quod cum expreſſio loci Oratorum neceſſariò ſit facienda, debet etiam exprimi, an ſint Originarii, an Domiciliarii, præſertim quando petitur diſpenſatio propter anguſtiam loci, tunc enim debent dicere, an verè ſint naturales loci expreſſi, an incolę, vel domiciliarii, quia ſi abſolutè nominetur locus Diœceſis, intelligitur, quod ſunt originarii, quia verba ſunt naturaliter, & propriè, nõ verò civiliter, & fictè intelligenda, *l.3.§. hæc verba*, ubi *Gloſſ. verbo hærę ditatem.ff.de negotiis geſtis. Pariſius*, & alii relati à *Corrad.loc.c. n 30.* Undè ſi extra locum originis commorantur, debent dicere: *Exponitur pro parte B.& B. ex loco N. Diœceſis Averſanæ ortorum, & in Civitate Neapolitana à biennio, & ultra commorantium*, & ita debent Oratores petere, quod literæ dirigantur Ordinario domicilii, ſi id deſiderant.

Hinc ſi Oratores narrent, ſe ortes in tali loco, non ſufficit verificare inibi habitaſſe, & domicilium habuiſſe ultra decem annos. Similiter quando Oratores tempore petitæ diſpenſationis, alibi quàm in loco propriæ originis domicilium habent, ſi cõmiſſio fiat ſimpliciter Ordinario, abſque eo, quod exprimatur originis, vel domicilii, cenſetur in tali dubio commiſſio facta Ordinario originis, à quo literæ ſunt exequendæ, non obſtante, quod alibi domicilium habeant, quia ſi Oratores voluiſſent, ut cõmiſſio fieret Ordinario domicilii, expreſſis verbis id in ſupplicatione petiiſſent: Datarius tamen poteſt literarum exequutionem committere Ordinario, in cujus Diœceſi per quodcunque minimum tempus Oratrix fuerit cõmorata, *Corrad.l.c.* & nos infra dicemus cum de Commiſſione diſpenſationum.

QUÆRES XI.

An qui obtinuit diſpenſationem ad contrahendum cum affine, vel conſanguinea, ſed illa non fuit uſus, ſi poſtea vult cum alia conſanguinea, vel affine contrahere, tenetur in ſecunda ſupplicatione mentionem facere primæ diſpenſationis.

AFfirmat *Suarez lib.6. de legib.cap.23.n.20.* idque ne poſterior diſpenſatio ſubreptitia ſit, cum prima adhuc valida ſit. Negat *Diana p. 1. tract. 10.*

de

de legib.reſol.40. ubi pro ſe citat *Sanchez lib.8. diſput.22. num.13. Laym. in Theologia morali lib.1. tract.4.cap.32.n.20.Guttierez de matrim.cap.123.n.20.* quia non eſt diſpenſatio ſuper eodem, ſed ſuper diverſo matrimonio, & ideò de prima diſpenſatione nō eſt facienda mentio.

QUÆRES XII.

An ſi impetrans diſpenſationem illi renunciet, poſſit deindè mutata voluntate illa uti?

POteſt uti, ſi ſuperior non acceptavit illam gratiæ, vel diſpenſationis renunciationem; ſicut qui fuit conſtitutus Procurator ab abſente, ſi noluit ſuſcipere mandatum ſibi præſentatū, poterit hoc non obſtante illud acceptare, ſi conſtituens in eadem voluntate perſiſtat, ut expreſsè habetur *in cap.literis.de Procurat. in 6.* ergo idem dicendum in privilegiis, gratiis, & diſpenſationibus, quia ſicut vis privilegii, vel diſpenſationis pendet à voluntate ſuperioris concedentis,ita & illius deſtructio; ergo quandiu voluntas concedentis manet, & non adeſt clara acceptatio renūciationis, poterit ille, cui fuit facta conceſſio, non obſtante priori contradictione acceptare, ita *Sanch.lib.8.diſput.22.n.2.& 5.*

Hinc deducit *Sanch.loc.c.n.6.* quod quando diſpenſatio eſt obtenta inter duos conſanguineos, ut matrimonium ineatur, & alter, vel uterque aliis nuptiis copulatur, relictis illis, ad quas diſpenſatio obtenta eſt, poſſunt vidui effecti, matrimonio jungi inter ſe, virtute prioris diſpenſationis,quia cum ſemel ſit ablatum cōſanguinitatis impedimētum, & illi habiles ad cōtrahendum effecti,ſint ratione præteritæ diſpenſationis,non eſt cur ratione ſequentis matrimonii impedimentum illud reviviſcat. Idem ſentit, quando impedimētum non eſt ablatum, eo quod Ordinarius, vel Confeſſor, cui diſpenſationis exequutio commiſſa eſt, nondum illam eſt exequutus, quia cum tacita illa renunciatio nō ſit acceptata à Pōtifice, non perit facultas illa ad exequendam diſpenſationem; Pontificis enim, & non exequutoris acceptatio, requiritur *Sanchez loc.cit.n.4.*

Quod ſi obtenta diſpenſatione ad ducendam conſanguineā noluit cum illa contrahere, ſed novam obtinuit diſpenſationem ad ducendam aliam, cum qua de facto contraxit,non poteſt viduus

duus factus uti prima diſpenſatione, quia per ſecundam diſpẽſationem, quæ ſuum fuit ſortita effectum, evanuit prima, cum hæ diſpenſationes ſimul ſtare non poſſint, & repugnent quoad exequutionem. Imò ſi cum ſecunda non contraxit, non poteſt cum prima contrahere, quia intentio Pontificis non eſt duplicem diſpenſationem concedere, ſed per impetrationem ſecundæ diſpenſationis viſus eſt impetrans renunciare priori in manus Pontificis, à quo fuit acceptata, dum ſecundam conceſſit; ergo tantùm ſecundam diſpenſationem vult Pontifex, quod ſuum habeat effectum, *Sanch. lib. 8. diſp. 22. num. 19.*

QUÆRES XIII.

Quid faciendum, quando literæ, ſeù bullæ diſpenſationis ſunt deperditæ?

NE exequutio gratiæ retardetur in præjudiciũ Oratorum ob defectum probationis gratiæ conceſſę, in caſu, quo bullæ, ſeù literæ amiſſæ ſunt, admittitur, ſecundùm ſtylum Curiæ, probatio dictæ gratiæ, quæ multis modis fieri valet, quarũ aliquæ tantùm deſerviunt pro Romana Curia, ut poſſint literæ expediri, aliquæ deſerviunt non ſolùm pro Romana Curia ſed etiam extra.

Primò ſi ſupplicatio eſt jam ſignata, & antequam regiſtretur amittitur, tunc per probos viros, qui illam ſignatam viderunt eſt facienda fides de illa Domino Datario, vel aliis, quia tunc aliã conſimilem ſupplicationem ſignandam porrigere oportet, in qua poſſet apponi eadem data, quæ erat in prima ſupplicatione, ſi de ea ſimilis fides facta fuit, vel idem Dominus Datarius memoriam datæ habet, & ſuper hac nova ſupplicatione ſignanda, poterunt literæ expediri.

Secundò, quando ſupplicatio eſt amiſſa poſt regiſtrum, tunc ut poſſint literæ expediri, eſt ſumendum illius ſumptum authẽticum ex regiſtro ſupplicationũ, ſubſcriptum ab Officialibus ad id deputatis, & ſignatum conſueto ſigillo, quia tunc tale ſumptum probat nõ ſolùm in Curia, ſed etiam extra illam, quando in ipſa ſupplicatione fuit clauſula, *quod ſola illius ſignatura ſufficiat, & in judicio, & extra fidem faciat, Romanus conſil. 336. nu. 5.* qua clauſula deficiente, non ſufficit adhibere reſcripti trãſumptum, quia ſi non probat ipſa originalis ſupplicatio ſignata, ſed

ſed requiritur expeditio literarum, multo minùs probabit extra Curiam ſumptum illius, *Corrad.lib.7.n.89.*

Tertiò, quando bulla deperdita eſt antequam regiſtretur, poterit ſub eadem ſupplicatione alia bulla expediri ſub eadẽ data,& tunc,Officialibus pro expeditione deputatis, parum pro hac nova expeditione erogabitur, cum jam ſemel eis fuit integrè ſatisfactum; ſicut quando literæ poſt plurium Officialium manuum appoſitionẽ à Dominis Abbreviatoribus Majoris Præſidentię ob aliquam ſubſtantialẽ cauſam lacerantur, & reſcribi mandantur, pro nova manuum appoſitione ſolvitur tantùm Julius unus cuilibet Capellano Officialium ad id deputatorum, *Corrad.l.c.*

Quartò, quando bulla fuit deperdita, poſtquam fuit regiſtrata, tunc ſumendum eſt ſumptum à regiſtro bullarum, quod benè probat in ipſa Curia ſicut bulla originalis, ſed extra Curiam nõ probat, ut dicit *Corrad.l.c.*

Quintò, quando non ſolùm literæ ſunt deperditæ, ſed etiam deperditum eſt illarum regiſtrũ, tunc ſi reperitur ſupplicatio, ſuper qua fuerunt literæ expeditæ, poterit alia bulla expediri: Si verò ſupplicatio non reperitur, poterit ſumi ſumptum ex regiſtro ſupplicationum, ſuper quo dictæ literæ expediri valent, ſiquidem in Palatio Apoſtolico adſunt duo regiſtra, unũ omniũ ſupplicationum expeditarum, alterum verò literarum.

Sextò, quando ſunt deperdita omnia, ſcilicet, tam bulla expedita, quàm liber, ſeù folium, vel quinternum regiſtri bullarum illius temporis, & etiam ſupplicatio originalis, & liber ſupplicationum illius anni, ſeù menſis, tunc ad illarum probationem poſſunt admitti teſtes, ſi deponant bullam, bullarumque regiſtrum, ſupplicationem, & alia enumerata eſſe deperdita, & ita teſtes debent concludenter deponere de tota ſubſtantia gratię cum ſuis qualitatibus, nec ad hoc quilibet teſtis admittitur, ſed tantùm homines valdè experti, & practici circa ea, quæ concernunt literas Apoſtolicas, & clauſulas in eis contentas, recipiuntur, *Corrad.l.c.*

Tandem quando literæ diſpenſationis, quæ in totum fuerunt expeditæ deperduntur, extrahitur illarum ſumptum ex regiſtro bullarũ, quod datur clauſum, & ſigillatum,& ita clauſum præſentatur Domino Auditori Cameræ Apoſtolicæ, ſeù alicui ex Notariis, à quo tale ſumptum

aperitur, & juxtà illius tenorem expediuntur quædam literę, quę de ſtylo Curiæ appellantur *in forma Vidimus*, in quibus apponitur per extenſum totus tenor literarum amiſſarum; & ſi quæ clauſulæ ceteratæ in eo continentur, Notarius illas juxtà ſtylum Cancellariæ Apoſtolicæ extendet, itaut nihil prorſus deſit ſolitæ formæ literarum gratiæ obtentæ, & iſtæ literæ ſufficiunt, ita ac ſi ipſæ originales literæ exequutori præſentarentur.

Forma autem prædictarum literarũ Domini Auditoris Cameræ eſt ſequens, vel ſimilis. *In nomine Sanctiſſimæ, & Individuę Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Noverint univerſi, & ſinguli hoc præſens, & publicum tranſumptum inſpecturi, quod nos N.N. Protonotarius Apoſtolicus utriuſque ſignaturæ S.D.N. Papæ Referendarius, nec non Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generalis Auditor, inſpeximus literas Apoſtolicas ſub plumbō; ut moris eſt expeditas, ac omni ſuſpicione carentes, quarum quidē literarum tenor talis eſt, ut infra, videlicet. Innocentius*. Hìc ponũtur omnia per extenſum, & etiã efficitur ſignum Crucis, dicendo *loco plumbi pendentis*, deindè ſequitur hoc modo. *Quibus quidem literis diligenter inſpectis ad requiſitionem Perilluſtris Domini N.N. per infraſcriptum Curiæ noſtræ Notarium ipſas exemplari mandavimus, & tranſumi, ac in publicam formam redigi decernentes, & volentes, ut huic noſtro præſenti tranſumpto publico, ſivè exemplo plena fides deinceps adhibeatur ubilibet, & omnibus in locis ubi fuerit opportunum, ipſumque tranſumptum fidem faciat, illique ſtetur, ac ſi originales ipſæ literæ apparerent: Quibus omnibus, & ſingulis authoritatem noſtram interponimus, &c. datum Romæ, &c.* Alia videri poſſunt apud *Corrad. lib. 7. cap. 7. n. 91.*

QUÆRES XIV.

Quomodo eſt conſulendum Oratoribus, quando in literis, vel in ſupplicatione fuit erratum, vel non fuit expreſſum verum?

Quando diſpenſatio fuit obtenta in forma pauperum, & in ea verum non fuit expreſſum, vel fuit erratum, eſt denuò ad Pontificem recurrendum pro obtinenda nova diſpenſatione mediantibus literis in forma *Perindè valere*, per quas committitur eidem Judici, ut ad exequutionē prioris gratię pro-

procedat, perindè ac ſi à principio, quod tunc exprimi omiſſum eſt, fuiſſet expreſſum, ſed pro obtinenda iſta ſecunda gratia eſt narrandum, & exprimendum totum id, quod malè, aut ſubreptitiè fuit expreſſum, vel tacitū, & omnes defectus, qui quomodocunque in prioribus intervenerunt, nam aliàs hæc ſecunda gratia nulla erit, & nova gratia revalidatoria impetranda erit, quæ de ſtylo Curiæ dicitur, *Perindè valere ſuper alio Perindè valere, Corrad. lib. 8. cap. 5. n. 40. & ſeqq.*

Iſta gratia *Perindè valere*, tunc locum habet, quando literæ diſpenſationis in totum fuerunt expeditæ, ſed quia in eis omnia non fuerunt expreſſa, vel malè fuerunt expreſſa, ideò impetratur nova gratia ſub tali forma. Quando verò literę non ſunt expeditæ, ſed ſolùm ſupplicatio eſt ſignata, datata, ac regiſtrata, & in totum expedita, etiam cum ſigno illius regiſtraturæ a tergo, tunc ſi aliquod eſt omiſſum, vel malè expreſſum, non poteſt corrigi, niſi impetretur reſcriptum, *Reformatoriū*, undè in nova ſupplicatione eſt inſerendus integer tenor prioris ſupplicationis, ut Papa intelligat, quomodò factum ſe habeat, & ita hæc gratia reformatoria tendit ad hoc, ut omiſſum ſuppleat, vel malè expreſſum in ipſa ſupplicatione expedita corrigat. Nos in præſenti aliquas formulas ponemus, non ſolùm gratiæ *perindè valere*, ſed etiam Reſcripti *Reformatorii.*

Quando Oratores gratiam obtinuerunt in forma *Pauperum* ratione copulæ, quæ inter eos interceſſit, tunc ſi durante tempore ſeparationis, denuò ſe carnaliter cognoverunt, debent ad Pontificem recurrere pro obtinenda tali gratia *Perindè valere in forma Pauperum ſuper nova copula*, & exemplum hujus ſupplicationis habes ſupra in præſenti §. *Diſput. 2. Quæſt. 3.* circa finem, ubi incipit, *Formula autem.*

Quando verò Oratores literas diſpenſationis impetrarunt, pro cauſa allegando *infamiam Oratoris*, ob mutuam converſationem Oratorum, aſſerendo copulam non eſſe ſequutā, quæ tamen interceſſit poſtquam à Delegato fuit eis injuncta ſeparatio, tunc ſi dictæ literæ fuerunt in forma *Pauperum* impetratæ, poterit eodem conſimili modo formari ſupplicatio, ut dictum eſt loco ſupra citato, mutatis mutādis, & poſt illa verba, *Prout in dictis literis continetur*, poteſt ſubſequi: *Quas quidem literas*

Oratores præfati eidem Vicario præſentarunt, qui contenta in eis verificari mandavit, verificatiſque in eis narratis, cum Oratori pœnitentiam in prædictis literis expreſſam impoſuiſſet, ſibique conſtitiſſet, Oratores interim carnis fragilitate devictos, ſe carnaliter cognoviſſe, ad ulteriorem dictarum literarum exequutionem procedere recuſavit. Supplicant igitur humiliter E.S.V. Oratores præfati, quatenus eos, ne propterea dictarum literarum fruſtentur effectu, amplioris gratiæ favore proſequendo, eidem Vicario, ut negotium hujuſmodi reaſſumens literaſque præfatas valere decernens, eoſdem Oratores ab excommunicationis ſententia, quam propter præmiſſa incurrerunt, inceſtus reatu, & exceſſibus hujuſmodi, in utroq; foro abſolvat; Prolem ſuſceptam (ſi qua ſit) & ſuſcipiendam exindè legitimam decernat, ac ad dictarum literarum exequutionem ſervata alias earum forma procedat in omnibus, & per omnia, Perindè, ac ſi carnalis copula præfata ſequuta minimè fuiſſet, committere, & mandare dignemini de gratia ſpeciali. Nõ obſtantibus omnibus illis, &c.

Si Oratores diſpenſationẽ in forma *Pauperum* impetrarũt ſuper quocunq; impedimento dirimente, cum expreſſione, quod ipſi ignorantes hujuſmodi impedimentum, ſe carnaliter cognoverunt, cum re vera illud ſciebant, tunc narrata in ſupplicatione ſubſtantia primarum literarum, ut ſupra dictum eſt, mutatis tamen mutandis; poteſt ita concludere. *Quæ quidem literæ dicto Vicario præſentatæ fuerunt, qui contenta in eis verificari mandavit, verificatiſque in eis contentis, impoſitaque pœnitentia publica prædicta, illaque peracta, quia dicto Vicario conſtitit, ipſis Oratoribus, ante obtentas hujuſmodi literas, ſcientibus ſe præfato tertio conſanguinitatis gradu invicem eſſe conjunctos, Oratorem prædictum non quidem peccandi data opera, ut crimine admiſſo hæc cauſa foret, E.S.V. & Sedem Apoſtolicam ad miſericordiam, & gratiam erga ipſos faciliores reddendi, ſed ſolùm veſana libidine victum Oratorem cognoviſſe, ad ulteriorem dictarum literarum exequutionem procedere recuſavit. Supplicant igitur humiliter E.S.V. Oratores prædicti, quatenus ne dictarum literarum fruſtrentur effectu, amplioris gratiæ favore proſequendo, eidem Vicario committere, & mandare, ut negotium hujuſmodi reaſſumens, literaſque præfatas valere decernens, eos ab excommunicationis ſententia, quam propter præmiſſa in-*

incurrerunt, inceſtus reatu, & exceſſibus hujuſmodi, in utroque foro abſolvat, ac ad dictarum literarum exequutionem, ſervata alias earum forma procedat in omnibus, & per omnia, Perindè ac ſi in illis, de carnali cognitione præfata, ante illas obtentas, ut præfertur, mentio facta, ac Oratores præfatos deſuper abſolvi mandatũ fuiſſet, dignemini de gratia ſpeciali. Non obſtã tibus omnibus illis, quæ E.S.V. in dictis litteris voluit nõ obſtare, cæteriſq; contrariis quibuſcunq; &c.

Quando diſpenſatio in forma *Pauperum* fuit obtenta ſuper aliquo impedimento, verùm dictæ literæ non habuerunt effectum, ex quo unus ex Oratoribus non erat Pauper, & miſerabilis, cum ad impetrandam talem diſpenſationẽ omninò requiritur, quod tàm Orator, quàm Oratrix ſint pauperes, & miſerabiles, tunc eſt impetranda nova gratia in forma *perindè valere,* hoc modo. *Beatiſ. P. Aliàs, &c. Quibus quidem littèris eidem Vicario præſentatis, idem Vicarius contenta in eis verificari mandavit, & cum in verificatione præfata, ei conſtitiſſet, dictam Oratricem pauperẽ non exiſtere, ſed dotem ad valorẽ quincentorum ſcutorum aſcendentem habere, ad illarum ulteriorem exequutionem procedere recuſavit. Supplicant igitur humiliter E.S.V. Oratores præfati, quatenus eis amplioris gratiæ favore proſequendo, eidem Vicario committere, & mandare, ut negotium hujuſmodi reaſſumens, literaſque præfatas valere decernens, ad earundem literarum exequutionem, ſervata alias earum forma procedat in omnibus, & per omnia, perindè, ac ſi in illis, nulla quod Oratrix pauper exiſtat mentio facta, & Oratoribus pœnitentia publica prædicta, Oratori verò, quod operam ſuam fabricæ, vel in aliud ſervitium alicujus Eccleſiæ, vel loci pii conferret, injunctum minimè fuiſſet, dignemini de gratia ſpeciali. Non obſtantibus, &c.*

Quando Oratores, qui literas diſpenſationis impetrarunt ob anguſtiam loci, vel ob aliam cauſam, tacita carnali copula inter eos prius ſequuta, tunc debent poſt ſolitam narrativam, ita concludere. *Quas quidem literas Oratores præfati, licèt ante illas obtentas, ipſis alias hujuſmodi impedimentum ſcientibus, Orator præfatus, non quidem peccandi data opera, &c. Oratricem cognoviſſet, tacita hujuſmodi copula, eidem Vicario præſentarunt, qui contenta in eis verificari mandavit, verificatiſque in eis contentis, cum eiſdem Oratoribus ſuper impedimentis hujuſmodi diſpenſavit: cujus quidem diſpenſatio-*

tionis vigore, Oratores præfati, matrimonium inter ſe per verba de præſenti, publicè, ſervata forma Concilii Trid. nulloque alio detecto, neque denunciato impedimento contraxerunt, illudque in facie Eccleſiæ ſolemnizarunt, & carnali copula conſummarunt. Cum autẽ, Pater Sancte, ſi divortium inter Oratores fieret, gravia exindè ſcãdala poſſent veriſimiliter exoriri: Supplicant igitur humiliter E.S.V. Oratores prædicti, quatenus, ne dictarum literarum fruſtrentur effectu, eos amplioris gratiæ favore proſequendo, eidem Vicario, ut negotiũ hujuſmodi reaſſumens, literaſque præfatas valere decernens, ipſos ab excommunicationis ſententia, quam propter præmiſſa incurrerunt, inceſtus reatu, & exceſſibus hujuſmodi, in utroque foro abſolvat. Prolem ſuſceptam (ſi qua ſit) & ſuſcipiendam exindè, legitimam decernat, ac ad dictarum literarum exequutionem ſervata alias earum forma procedat in omnibus, & per omnia, perindè ac, ſi in illis de carnali cognitione hujuſmodi mentio facta, Oratoreſque deſuper abſolvi mandatum fuiſſet, committere, & mandare dignemini de gratia ſpeciali, non obſtantibus, &c.

Quando Oratores ſuper impedimento diſpenſationem obtinuerunt, & antequam illam Delegato præſentarent, ſe carnaliter cognoverunt, ratione cujus inceſtus, fuerunt ab Ordinario ad aliquam pœnam condemnati, tunc eſt ſupplicandum Summo Pontifici, hoc modo. *B.P. aliàs S.V. pro parte devotorum illius Oratorum N.N. laici, & N.N. mulieris, Neapolitanæ Diœceſis, expoſitum, dictam Oratricem dotem habere minus competentem, &c. cui nubere poſſet invenire valeat, & præfatum Oratorem illam, &c. in uxorem ducere, illiuſque dotem, &c. augere, intendere. Cupereque, &c. ſed quia tertio, & quarto, &c. quatenus, &c. Prolem, &c. prout in dictis literis continetur, quas quidem literas, Oratores ipſi præfato Vicario præſentarunt, qui contenta in eis verificari mandavit, & cum in verificatione ipſa ei conſtaret, Oratores præfatos, poſt obtentas hujuſmodi literas, carnis fragilitate devictos, ſe carnaliter cognoviſſe, ad earum ulteriorem exequutionem procedere noluit, & ipſorum Oratorum Ordinarius cõtra ipſos, propter inceſtum hujuſmodi procedendo, eos in certas pœnas condemnavit. Supplicant igitur humiliter E.S.V. Oratores præfati, quatenus eos, ne dictarũ literarum fruſtrentur effectu, amplioris gratiæ favore proſequendo, eidem Vicario, ut negotium hujuſ-*

mo-

modi reaſſumens, literaſque præfatas valere decernens, eoſdem Oratores ab excommunicationis ſententia, quam propter præmiſſa incurrerunt, inceſtus reatu, & exceſſibus hujuſmodi in utroque foro abſolvat, & ad exequutionem dictarum literarum ſervata aliàs earum forma, procedat in omnibus, & per omnia, perindè ac, ſi carnalis copula hujuſmodi ſequuta non fuiſſet. Prolem ſuſceptã (ſi qua ſit) & ſuſcipiendam exindè, legitimam decernat, committere, & mandare dignemini de gratia ſpeciali. Nõ obſtantibus, &c.

Similiter, quando ultra gradũ in ſupplicatione narratum adeſt alius gradus, tunc eſt denuò Põtifici ſupplicandum, hoc modo. *B.P. &c. Sed quia tertio, & quarto à communi ſtipite provenientibus conſanguinitatis gradibus invicem erant conjuncti, deſideriũ, &c. quare, &c. prout in dictis literis continetur. Quibus quidem literis eidem Vicario præſentatis, detectum fuit, Oratores præfatos alio quarto conſanguinitatis gradu invicem eſſe conjunctos, propter quod, idem Vicarius ad dictarum literarum exequutionem procedere recuſavit. Supplicant igitur humiliter E. S. V. Oratores præfati, quatenus, ne dictarum literarum fruſtrẽtur effectu, eos amplioris gratiæ favore proſequendo, eidem Vicario, ut negotium hujuſmodi reaſſumens, literaſque præfatas valere decernens, ad illarũ exequutionem, ſervata aliàs earũ forma procedat, ac ſi cum dictis Oratoribus, ſuper impedimẽtis duplicis quarti conſanguinitatis gradibus hujuſmodi diſpenſari, diſtãtia verò tertii gradus præfati eis non obſtare, declarari, in omnibus, & per omnia, perindè ac, ſi in dictis literis Oratores præfatos tertio, & quarto ex uno communi, & quarto ex altero ſtipitibus provenientibus conſanguinitatis gradibus invicem eſſe conjunctos, diſtantiam verò tertii gradus hujuſmodi eis non obſtare, expreſſum fuiſſet, committere, & mandare dignemini de gratia ſpeciali. Nõ obſtantibus, &c.*

Quando cauſa ſufficiens ad diſpenſandum in gradibus remotioribus non ſufficit pro proximioribus, ſi eſt impetrata diſpenſatio pro gradibus remotioribus cum illa ſufficienti cauſa, & deindè cognoſcitur proximiori gradu eſſe conjunctos, eſt impetranda nova grátia in forma, *Perindè valere*, puta ſi Oratores obtinuerunt diſpenſationis literas ſuper quarto gradu, ob dotis incompetentiam Oratricis, cum tamen illi ſint tertio gradu conjuncti, ratione cujus requiritur augumentum dotis,

quod

quod in gradibus remotioribus non requiritur, tunc ſupplicatio hoc modo cōcipienda erit. *Beatiſſime Pater, &c. Quæ quidē literæ, quia iidē Oratores nō quarto, ſed tertio conſanguinitatis gradu invicem ſunt conjuncti, eiſdem Oratoribus ſuffragari non poſſunt. Cum autem P.S. præfatæ Oratricis conſanguineus, ad id alias non obligatus, illius dotem in centum ſcutos monetæ illarum partium, cum quibus uſque ad quantitatem ſecundum dictæ mulieris qualitatē competenter aucta erit, ita tamen, ut Oratori nubat, & non alteri, augere, & dictus Orator, illam cum dicta minus competenti dote, & illius augmento in uxorem ducere intendat. Supplicant igitur humiliter E.S.V. Oratores præfati, quatenus eis, ne dictarum literarum fruſtrentur effectu ſpecialem gratiam faciendo, eidem Vicario, ut etiam ſi literis præfatis, & jam præſentatis, ad illarum exequutionem propter hoc procedere diſtulerit, ſeù recuſaverit, nihilominus negotium hujuſmodi reaſſumens, literaſque ipſas valere decernens, cum eiſdem Oratoribus, poſtquam dictæ Oratricis dos competenter aucta fuerit, ut præfertur, ſuper impedimento tertii conſanguinitatis gradus hujuſmodi, diſpenſet, ac ad earum literarum exequutionē, ſervata aliàs earum forma, procedat in omnibus, & per omnia, perindè ac, ſi in eis Oratores non quarto, ſed tertio conſanguinitatis gradu invicem eſſe conjunctos, expreſſum, ac cum eis deſuper diſpenſari, mandatū fuiſſet, committere, & mandare dignemini de gratia ſpeciali. Nō obſtantibus, &c.*

Quando Oratores obtinuerūt literas diſpenſationis ſuper aliquo impedimento, ratione quarum per Delegatum fuit conceſſa diſpenſatio, & matrimoniū fuit contractum, ac carnali copula conſummatū, ſi poſtmodum detegitur, aliud inter eos adeſſe impedimentum, ſuper quo nova requiritur diſpenſatio, tunc in ſupplicatione eſt explicandum, an Oratores ipſi, tali detecto impedimento, abſtinuerunt à copula, an verò in illa perſtiterunt, undè iſto, vel conſimili modo cōcipitur ſupplicatio. *B.P. Aliàs, &c. prout in dictis literis continetur. Quibus quidem literis Ordinario præfato præſentatis, idem Ordinarius contenta in eis verificari mandavit. Verificatiſque in eis contentis, cum dictis Oratoribus ſuper impedimento prædicto diſpenſavit, illiſque matrimonium contrahendi licentiam conceſſit, cujus quidem licientiæ vigore, Oratores ipſi matrimonium inter ſe per verba de præſenti publicè, factis proclamationibus in eorum Paro-*

Parochiali Eccleſia, ſervata forma Concilii prædicti, nulloque alio detecto impedimento contraxerunt, illudque in facie Eccleſiæ ſolemnizarunt, & carnali copula conſummarunt, in eoque per plures annos permanſerunt, prolem ſuſceperunt; poſtmodum verò ad eorum pervenit notitiam, eos duplici quarto conſanguinitatis gradu invicem eſſe conjunctos, propter quod à carnali copula hujuſmodi abſtinuerũt. Cum autem, P.S. Oratores præfati in hujuſmodi matrimonio remanere non poſſint abſque Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione, & ſi divortium inter eos fieret, gravia exindè ſcãdala, poſſent veriſimiliter exoriri. Supplicant igitur humiliter eandẽ S.V. Oratores præfati, quatenus eos, ne dictarum literarum fruſtrentur effectu, amplioris gratiæ favore proſequendo, eidem Vicario, ut negotium hujuſmodi reaſſumens, literaſque præfatas valere decernens, cum eiſdem Oratoribus ſuper impedimento duplicis quarti conſanguinitatis gradus hujuſmodi diſpenſet, prolem ſuſceptam, & ſuſcipiendam exindè legitimam decernat, ac ad earundem literarum exequutionem, ſervata aliàs earum forma, procedat, in omnibus, & per omnia, perindè ac ſi Oratores non quarto, ſed duplicis quarto conſanguinitatis gradu invicem eſſe conjunctos expreſſum, ac cum eis deſuper diſpenſari mandatum fuiſſet, committere, & mandare dignemini de gratia ſpeciali. Non obſtantibus, &c.

Similiter ſi Oratores præter impedimentum conſanguinitatis, vel affinitatis, ſuper quo literas diſpenſationis impetrarunt, tenentur etiam, alio impedimẽto publicæ honeſtatis, de quo in dictis literis nulla fuit facta mẽtio, tunc eſt petenda nova gratia in forma *perindè valere*, hoc, vel conſimili modo. *B.P. Aliàs, &c. quæ quidem literæ, quia aliàs præfata Oratrix matrimonium per verba de præſenti cum dicti Oratoris fratre Germano contraxit, & deindè præfati Oratoris frater, eadem Oratrice ab eo omninò intacta, & in nullo penitùs attentata remanente, ſicuti Domino placuit, ab humanis deceſſit, eidem Vicario, minimè præſentatæ fuerunt. Supplicant igitur humiliter eandẽ S.V. Oratores præfati, qui ex principalibus dicti loci exiſtunt, quatenus ipſos, ne dictarum literarum fruſtrentur effectu, amplioris gratiæ favore proſequendo, ſibique ſpecialem gratiam faciendo, eidẽ Vicario committere, & mandare, ut negotiũ hujuſmodi reaſſumens, literaſque ipſas valere decernens, cum eiſdem Oratoribus ſuper impedimento primi publicæ honeſtatis Juſtitiæ ex præmiſſis proveniẽtis,*

tis, ac tertii ex uno, & quarti ex aliis ſtipitibus provenientibus conſanguinitatis graduum hujuſmodi diſpenſet, diſtantiam verò alterius tertii reſpectu quarti gradus præfati, eis non obſtare declaret, ac ad præfatarum literarum exequutionem, ſervata aliàs earum forma, procedat in omnibus, & per omnia, perindè ac, ſi in dictis literis Oratores primo publicæ honeſtatis Juſtitiæ ex præmiſſis provenientis, ac tertio ex uno, & tertio, & quarto ex altero communi ſtipitibus provenientibus, conſanguinitatis gradibus invicem eſſe conjunctos, expreſſum, ac cum eis deſuper diſpenſari, & declarari mandatum fuiſſet, dignemini de gratia ſpeciali, non obſtantibus, &c.

Exempla Reſcripti Reformatorii.

HOc reſcriptum reformatorium eſt impetrandum, quando ſupplicatio eſt ſignata, datata, regiſtrata, & in totum expedita, etiam cum ſigno illius regiſtraturæ a tergo, ſed literæ diſpenſationis nō ſunt expeditæ, verùm quia in dicta ſupplicatione aliquid eſt omiſſum, vel malè expreſſum, ideò ut poſſit corrigi ſupplicatio, eſt impetrandum reſcriptum *Reformatorium*, in quo integer tenor ſupplicationis eſt inſerendus, ut Papa intelligat, quomodò factum ſe habeat, & ita hæc gratia reformatoria, tendit ad hoc, ut omiſſum ſuppleat, vel malè expreſſum in ipſa ſupplicatione expedita, corrigat.

Hinc ſi Oratores ad Urbem pro diſpenſatione miſerunt, ratione incompetentiæ dotis E.G. deindè ſe carnaliter cognoverunt, tunc ſi literæ diſpenſationis non ſunt expeditæ, ſed tantùm ſupplicatio eſt ſignata, ut dictum eſt, denuò Pontifici eſt ſupplicandum pro correctione, & narrato tenore ſupplicationis, prout ad literam jacet, ita cóncludendum eſt. *P.S. dignetur S.V. committere, & mandare, quod literæ ſuper præinſerta conficiendæ, cum expreſſione, quod poſtquam Oratores ad Sedem Apoſtolicam miſerunt, ipſis Oratoribus ſcientibus, ſe tertio affinitatis gradu invicem attinere, Orator præfatus, non quidem peccandi data opera, ut crimine admiſſo hac cauſa foret S.V. & Sedem Apoſtolicam ad miſericordiam, & gratiam erga ipſos faciliores reddendi, ſed ſolùm veſana libidine victus, antequam dictas literas obtinerent, Oratricem cognovit, & committe-*

re Ordinario, ſivè ejus Vicario in ſpiritualibus Generali, qui depoſita, &c. ac impoſita Oratoribus propter inceſtum hujuſmodi arbitrio ſuo pœnitentia ſalutari, & recepto ab eis juramento, quod ſub ſpe faciliùs habendæ diſpenſationis hujuſmodi, inceſtum hunc non commiſerunt, eos ab excommunicationis ſententia, quam propter præmiſſa incurrerunt, inceſtus reatu, & exceſſibus hujuſmodi, in utroque foro abſolvat, ac prolem ſuſceptam (ſi qua ſit) & ſuſcipiendam exindè legitimam declarando, expediantur de gratia ſpeciali, non obſtantibus præmiſſis, ac omnibus illis, quæ S.V. in eadem præinſerta voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Si in ſupplicatione non fuit expreſſum, quod Oratores ignorantes impedimentum, matrimonium contraxerunt, ſervata forma Concilii Trid. ſed cognito impedimento, non ſe abſtinuerunt à copula, tunc reformatio eſt ita impetranda. *P.S. dignetur S.V. committere, & mandare, quod literæ ſuper præinſerta conficiendæ, cum expreſſione, quod Oratores, poſtquam ad eorum pervenit notitiam, eos quarto conſanguinitatis gradu eſſe conjunctos, à carnali copula minimè abſtinuerunt, cum opportuna abſolutione expediantur, de gratia ſpeciali. In reliquis autem juxtà ejuſdem præinſertæ vim, ſeriem, continentiam, & tenorem. Non obſtãtibus præmiſſis, ac omnibus illis, quæ in eadem præinſerta conceſſa fuerunt non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcunque.*

Quando in ſupplicatione jam totaliter expedita erratum fuit in *Nomine Oratoris*, non poteſt corrigi, niſi mediante reſcripto reformatorio, hoc modo. *P.S. dignetur S.V. committere, & mãdare, quod literæ ſuper præinſerta conficiendæ, cum expreſſione, quod Orator in ea nominatus, non Antonius, ſed Jo: Antonius, & non aliter appellatur; in reliquis autẽ juxtà ejuſdem præinſerta vim, ſeriem, continentiam, & tenorem expediãtur de gratia ſpeciali. Non obſtantibus, &c.*

Eodem modo petitur reformatio ſupplicationis ſi fuit erratum in loco Originis Oratorũ, undè poſtquam tota ſupplicatio fuit præinſerta, concluditur. *P.S. dignetur S.V. committere, & mandare, quod literæ ſuper præinſerta conficiendæ, cum expreſſione, quod Oratores ex principalibus Oppidi A. non autem Oppidi B. exiſtunt, in reliquis autem, &c. Non obſtantibus, &c.*

Si erratũ fuit in Diœceſi Oratorum, ſic petitur reformatio. *P.S. dignetur S.V. committere, &c.*

cum expreſſione, quod Oratores non Neapolitanæ, ſed Averſanæ Diœceſis, ex loco Sancti Antimi orti exiſtunt, expediantur, ac committere Ordinario Averſano, ſeù ejus Vicario in ſpiritualibus Generali, qui depoſita, &c. diſpenſet, &c. in reliquis autem, &c. Non obſtantibus, &c.

Eodem conſimili modo peti poteſt reformatio ſupplicationis ſuper commiſſione literarum, puta ſi fuit ſupplicatum, quod literæ committantur Ordinario Originis, & poſtea petitur, ut cõmiſſio, fiat Ordinario loci, ubi Oratores commorantur, nam tunc eſt ita dicendum. *P.S. quia Oratores ad præſens in* Urbe *commorantur, dignetur S.V. committere, & mandare, quod literæ ſuper præinſerta conficiendæ, cum commiſſione E.S.V. in* Urbe, *& ejus diſtrictu in ſpiritualibus Vicario Generali, qui, factis prius proclamationibus Canonicis, etiam in Parochiali Eccleſia originis Oratorum, ſi per informationem deſuper faciẽdam, preces veritati niti repererit, cum eiſdem Oratoribus, ut ſupra diſpenſet, in reliquis autem, &c. Non obſtantibus, &c.*

Quod ſi vacet Sedes Epiſcopalis, de qua in ſupplicatione erat facta mentio, tunc ita eſt petenda reformatio. *P.S. quia Sedes Epiſcopalis Capuæ ad præſentes vacat, dignetur S.V. committere, & mandare, quod literæ ſuper præinſerta conficiendæ, Ordinario viciniori, vel ejus Vicario in ſpiritualibus Generali committantur, in reliquis autem, &c. Non obſtantibus, &c.*

Si eſt reformanda cauſa, poteſt ita dici. *P.S. dignetur S.V. cõmittere, & mandare, quod literæ ſuper præinſerta conficiendæ, ſub expreſſione, quod Oratrix in dicto loco N. ob illius anguſtiam virum ſibi non conſanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere poſſit invenire nequit, & ſi extra dictum locum nubere cogeretur, Dos, quam ipſa habet, non eſſet cõpetens, neque ſufficiens, ut cum ea virum, cui,* juxta *ſtatus ſui conditionem nubere poſſet, invenire valeret, nulla facta mentione, quod Oratrix dotem habet minus competentem, in reliquis autem, &c. Non obſtantibus, &c.*

Eodem conſimili modo petitur reformatio ſuper expreſſione ſolius gradus, vel gradus, & Diœceſis, de quibus reſcriptis *reformatoriis*, ſicut, & de gratiis *perindè valere*, videas *Corrad. lib.8. Diſpen. Apoſtolic. cap.5.*

DI-

DISPUTATIO IV.

De gradibus, in quibus Pontifex diſpenſare valet, eorumque expreſſione in Romana Curia.

LIcèt impedimenta dirimentia, ſuper quibus Papa regulariter diſpenſat, ſint Cognatio carnalis, Cognatio ſpiritualis, affinitas, crimen, votum, & publica honeſtas, ut dicit *Corrad. lib. 7. Diſpenſ. Apoſtol. cap. 1. n. 5.* tamen in præſenti Tractatu tantùm agimus de illis impedimentis, quæ graduum expreſſionem requirunt, videlicet de cognatione carnali, affinitate, & publica honeſtate, quia in iſtis datur numeratio graduũ; undè

QUÆRES I.

In quibus gradibus poteſt Papa diſpenſare?

IN omnibus gradibus jure humano dirimentibus diſpenſare valet, ſecus verò in gradibus jure Divino prohibitis, ut patet ex traditis ſupra in §. 1. *diſp. 1. q. 1. & ſeqq.* quia Papa non eſt ſupra legem Divinam, *Abb. in cap. literas. notabili 6. de reſtitutione ſpoliatorum*: imò, quod apertè Dominus, vel ejus Apoſtoli, & Sancti Patres ſententialiter definierunt, tenetur uſque ad animam, & ſanguinem, & uſq; ad omnes conatus defendere, *Canon. ſunt quidam. 25. q. 1.* Qui autem gradus dicantur prohibiti jure Divino, & qui jure humano, habes ſupra in dicto §. 1. per omnes illas Diſputationes.

Hinc licèt aliqui dicant, quod in nullo gradu lineæ rectæ valeat Pontifex diſpenſare, *Jo: Lap. in tract. de matrim. & legitimat. Chriſtophorus Porc.* & alii relati à *Bonac. de impedimẽtis matrimonii qu. 3. punct. 5. §. 1. n. 8. & à Sanch. lib. 7. diſp. 51. n. 12.* ſicut etiam aliqui aſſerunt, Papam diſpenſare non poſſe in primo, & ſecundo gradu lineæ aſcendentium, & deſcendentium, *Abb. in dicto cap. literas*, & alii relati à *Sanch. l. c. num. 18.* Tamen multi tenent, quod tantùm in primo gradu lineæ rectæ Papa non valet diſpenſare, ut videre poteris ſupra in *§. 1. Diſp. 1. Quær. 1. verſ. 8. tandem ſententia.* Verùm in primo gradu affinitatis lineæ rectæ poſſe Pontificem diſpenſare, optimè probat *Julius Capone controverſia forenſ. 29.*

In

In linea verò collaterali aliqui tenent, Pontificem etiam in primo gradu diſpenſare poſſe, quia nullus gradus jure naturali eſt prohibitus, ut videre eſt apud *Sanch. lib. 7. diſp. 52. num.* 10. & apud meum Præceptorem *Illuſtriſſimum Franciſcum Verde in tit. de nuptiis n. 309.* Alii dicunt, quod in primo gradu lineæ trãſverſalis diſpenſare non poteſt, ex *Can. Pitacium. 35. q. 3.* ubi *Gloſ. Oliver. Textor. de gradib. cognat. q. 34. nu. 41.* Certum tamen eſt, quod in ſecundo gradu diſpenſare poteſt, ut patet ex *Trid. ſeſſ. 24. cap. 5.* ibi: *In ſecundo gradu nunquam diſpenſatur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam,* quæ diſpoſitio *Trid.* non ſolùm intelligitur de ſecundo gradu conſanguinitatis, ſed etiã affinitatis, ut patet ex declarationibus Cardinalium, apud *Bellarm. ad Trid. l. c.* & in obſervationibus ejuſdem verbo *in ſecundo gradu, Pignatell. tom. 8. conſult. 101. n. 1. & 2.* Praxis tamen obtinuit, ut temperetur rigor diſpoſitionis *Trid.* & diſpenſari ſolet in favorem quorumcunque Nobilium, & ob publicum commodum, præſertim quando non agitur de impedimento conſanguinitatis, ſed affinitatis, pro cujus diſpenſatione minus urgens cauſa deſideratur, *Navar. de conſanguin. & affinit. conſil. 13. Zerola in praxi, p. 1. verbo diſpenſatio, §. ad 2. Pignatell. l. c.*

Nec huic diſpoſitioni *Trid.* quod in ſecundo gradu concedi poſſit diſpenſatio obſtat illud, quod extat apud *Julium Africanum, ſeù Abdiam Babiloniæ primum Epiſcopum lib. 3. certamin. Apoſtolici*, & refertur ab *Antonio Guberto Coſtanĩ de matrim. tit. de his, qui nuptias contrahere poſſunt n. 157.* ubi dicit: *Antequam Andreas Apoſtolus in Macedoniam perveniſſet, accidit, quod duo viri in Philippis fratres Germani eſſent, nobiles, & quibus erat magna domi facultas. Erantque alteri filii duo, alteri totidem filiæ; His cum in civibus nulli forent, qui dignè generationi illorum jungi poſſent, inito fœdere obligaverunt ſe mutuò, ut unam domum facerent, & unius filii alterius filias in matrimonium acciperent. Cumque jam dies nuptiarum eſſet conſtitutus, factum eſt verbum Domini ad eos dicens: Nolite conjungere liberos veſtros, donec huc veniat famulus meus Andreas, ipſe enim vobis, quæ agere debeatis oſtendet. Jam autem thalamus præparatus erat, & convivæ vocati erant, omniſq; apparatus nuptialis in promptu tenebatur. Interea triduo elapſo, advenit Apoſtolus, qui cum audiſſet, quæ geſta eſſent,* no-

nolite, ait, filioli, nolite ſeduci, nolite decipere hos juvenes, quibus poteſt, fructus apparere Juſtitiæ, ſed magis pœnitentiã agite, quia deliquiſtis in Dominum, ut proximo ſanguine velletis polluere conjugia filiorum veſtrorum, neque verò nos nuptias evertimus, aut vitamus, cum ab initio Deus maſculum jungi præcepiſſet, & fœminam, verùm inceſtas potius damnamus. De qua re à nobis facta eſt mentio ſupra in §. 1. *diſp. 1. q. 5. in fin.*

Non inquam obſtat, nam ideò dicti fratres fuerunt reprehenſi, quia eorũ filii non poterant matrimonio conjungi privata authoritate, nam in veteri lege, licèt conjunctio conjugalis non reperiatur ſpecialiter improbata inter filios fratrum, ut notat *Gubert. Coſtani l. c. n. 155.* tamen generaliter ad proximam ſanguinis ſui accedere non poterant homines, ut habetur *Levitici* 18. *n. 6.* & ideò in *Can. conjunctiones. 35. q. 2. & 3.* habetur: *Conjunctiones conſanguineorum fieri prohibete, quando has, & Divinę, & ſeculi prohibent leges*, & in *Can. quædam lex. 35. q. 2. & 3.* habetur: *Quædam lex terrena in Romana Republica permittit, ut ſivè fratris, & ſororis, ſeù duorum fratrum Germanorum, ſeù duarum ſororum filius, & filia miſceantur, ſed experimento didicimus, ex tali conjugio ſobolem non poſſe ſuccreſcere, & ſacra lex prohibet, cognationis turpitudinem revelare.* Qua ratione licèt per leges Romanorum dictæ perſonæ poterant matrimonio copulari, ut diximus ſupra *fol. 29.* tamen dictæ leges improbantur, ut ex dicto *Can. quædam lex* patet: & *Divus Agoſtinus lib. 15. de Civit. Dei cap. 16.* dicit: *Quis dubitat honeſtius hoc tempore, etiam conſobrinarum prohibita eſſe conjugia, non ſolùm ob multiplicandas affinitates, ne habeat duas neceſſitudines, una perſona; cum duæ poſſint eas habere, & numerus propinquitatis augeri: ſed etiam neſcio quomodò ineſt humanæ verecundiæ, quidnam naturale, atque laudabile, ut cui debet cauſa propinquitatis verecundum honorem ab ea contineat:*

Ex quo patet, quod privata authoritate in tali gradu contrahere non erat licitum, ſed requirebatur publica, & urgens cauſa cum diſpenſatione Eccleſiæ, quæ habet authoritatem interpetrandi Sacram Scripturam, ſicut de facto Divus Gregorius Pontifex, in tali gradu diſpenſavit cum Anglis, ut patet ex *Can. quædam lex. 35. qu. 2. & 3.* & ex *Can. ad Sedem Apoſtolicã 35. q. 5.*

Circa impedimentum affinita-

tatis, advertas, quod in affinitate ex actu fornicario, non ſine magna difficultate datur diſpēſatio, ſi mulier primo cognita vivit, puta ſi quis cognovit filiā, & deindè vult cum matre contrahere, vel è converſo, & quādo conceditur diſpenſatio, additur clauſula: *Et poſtquam dictus Orator omnem occaſionem recidivę cōverſationis cum prædictæ Oratricis genitrice, vel filia abſtulerit*; undè injungitur dictis Oratoribus ſub graviſſimis pœnis, ne in loco, ſeù Oppido, in quo ipſius Oratricis genitricem, vel filiam pro tempore morari contigerit, habitent; quod ſi præceptas hujuſmodi non paruerint, literæ expeditæ illis quoad forum conſcientiæ, nullatenùs ſuffragantur, & ideò in Curia Archiepiſcopali Neapolitana, virtute dicti decreti injungitur Oratoribus, ne ſub carceris per annum, aliiſque graviſſimis pœnis arbitrio ejuſdem Curię, ſic habitent, ut dictum eſt, *Corrad. lib. 7. cap. 3. num. 25.*

Quia hodiè conjugium reperitur interdictū uſque ad quartum conſanguinitatis gradum, *cap. non debet. de conſanguinitate, & affinitate*, ideò, qui ſunt in ulterioribus gradibus, ſcilicet in quarto, & quinto, poſſunt ſine diſpenſatione contrahere matrimonium, ut declaravit Sacra Congregatio Concilii, & patet ex *cap. fin. de conſanguinit. & affinit.* Ad tollendas tamen murmurationes ignorantium jura, in quibuſdam locis, ad inſtantiam contrahentium conſuevit declarari, nullum inter eos adeſſe impedimentum, & ſuper hoc fieri conſuevit declaratorium decretum, *Corrad. lib. 7. cap. 5. n. 61. & ſeqq.* de quo decreto declaratorio, videas infra in tertio Quæſito.

QUÆRES II.

Quomodo eſt facienda expreſſio graduum in Romana Curia.

NE diſpenſatio ſubreptitia ſit, neceſſe eſt in Romana Curia exprimere quoto gradu conſanguinitatis, affinitatis, vel publicæ honeſtatis cōjuncti ſunt contrahere volentes, quia quò gradus conjunctior eſt, eò difficilior eſt diſpenſatio, major cōpoſitio exigitur, & urgentiores cauſæ requiruntur, *Sanch. lib. 7. diſput. 24. n. 2. Corrad. lib. 7. cap. 3. n. 17. & cap. 5. n. 59.*

Expreſſio iſta graduum eſt facienda ſecundùm dinumerationem Canonicam, non civilem, *Can. ad Sedem Apoſtolicā. 35. q. 5.*

& quan-

& quãdo Oratores æqualiter diſtant à communi ſtipite, ſivè in genere conſanguinitatis, ſivè affinitatis, vel publicæ honeſtatis, fieri valet expreſſio gradus, & æqualitatis ejuſdem, hoc modo: *Sed quia ſecundo conſanguinitatis, vel affinitatis gradu in linea æquali invicem ſunt conjuncti, vel ſe attinent, &c.* faciunt tradita per *Corrad.l.c.n.22.* Sicut quando affinitas eſt ex actu fornicario, facienda eſt expreſſio, hoc modo: *Sed quia primo affinitatis gradu ſe attinent, ex eo, quia aliàs dictus Orator præfatæ Oratricis matrem adhuc ſuperſtitem* (ſi fortè illa vivit) *carnaliter cognovit, deſiderium eorum in hac parte adimplere non valent, abſque Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione, &c.* faciunt tradita per *Corrad.l.c.n.23.*

Provenientia igitur, ſeù attinentia, quæ eſt inter Oratores, exprimenda eſt, aliquando abſolutè, quando ſcilicet ſunt in gradu æquali, undè tunc ſufficit dicere: *Sed quia ſecundo conſanguinitatis gradu ſe attinent*, vel poteſt addi *in linea æquali*, nam nõ ſolùm iſto, ſed etiam primo modo ſatis exprimitur, illos eſſe in gradu æquali; aliquando eſt explicanda attinentia, non cum uno ſolo gradu, ſed cum pluribus gradibus, puta ſi ſunt in primo, & ſecundo gradu, ſicut Patruus, vel Avunculus diſtat à Nepote, vel poſſunt eſſe in duplicibus primo, & ſecundo, ut eſt ſi idem ſit Patruus, & Avunculus Oratricis, & tunc talis attinentia eſt exprimenda, hoc modo: *Sed quia duplicibus primo, & ſecundo conſanguinitatis gradibus à communibus ſtipitibus, ex eo provenientibus, quia Orator eſt Patruus, & Avunculus dictæ Oratricis, ſunt invicem conjuncti, deſiderium eorum in hac parte, &c.* Dicit tamen *Corrad. lib.7. cap.3. n.24.* quod ſi ipſa Oratrix eſſet amita, vel matertera magna Oratoris, tunc aut non conceditur diſpenſatio, aut rarò conceditur, ob quandam reverentiam erga majores; ita etiam *Sanch. lib.8. diſp.24.n.12.*

Caſus autem, in quo idem eſt ſimul Patruus, & Avuculus Oratricis eſt, quando Petrus V.G. qui viduus eſt, & ex prima uxore filium habebat nomine Antonius, contrahit matrimonium cum Berta vidua, quæ filiam ex primo viro habebat nomine Lucretia, & ex tali matrimonio Petri, & Bertæ oritur filius nomine Paulus, ſi Antonius matrimonium contrahat cũ Lucretia, & ex tali matrimonio filii progenerentur, tunc Paulus eſt Patruus, & Avunculus reſpectu filiorum, qui procreati

 ſunt,

ſunt, ex Antonio, & Lucretia; Nam inquantùm frater Antonii, eſt Patruus, in quãtùm frater Lucretiæ, eſt Avunculus. Similiter poteſt idem eſſe ſimul reſpectu ejuſdem Patruus, & Avunculus magnus, ut eſt ſi ſint duo fratres, ſcilicet Petrus, & Joannes, & una ſoror, quæ filias habeat, unus ex illis fratribus, ſcilicet Petrus mediante diſpenſatione matrimonium contrahat cum filia ſuę ſororis, ſcilicet cum ſua nepte, ex qua filios præcreavit, tunc Joannes dicitur Patruus horum filiorum, conſiderata perſona Patris, nam frater Patris Patruus dicitur, & diſtat ab illis ſecundo gradu: Conſiderata verò perſona Matris, dicitur Avunculus magnus, quia eſt frater Aviæ horum filiorum, & diſtat ab illis tertio gradu, & ſic verificatur, quod diſtantia eſt in ſecundo, & tertio gradibus, qua ratione filius natus à Petro ex tali matrimonio contracto cum ſua nepte eſt Pronepos reſpectu ſtipitis, conſiderata perſona Matris, & diſtat tertio gradu à ſtipite: Eſt etiam Nepos reſpectu ejuſdem ſtipitis conſiderata perſona Patris, & diſtat à ſtipite ſecundo gradu de jure Canonico. Hujuſmodi autem diſtantiæ, & gradus, quando ex multis capitibus attinentia habetur, quomodo explicandæ ſunt, videas infra in *diſp.6.q.13.*

In exponendis impedimentis, facienda eſt mentio, an illo gradu diſtant ab uno ſtipite, an verò à duobus ſtipitibus, aliàs ſubreptitia eſſet diſpenſatio, undè non ſufficit dicere, quod in tertio, & quarto gradu diſtant, quãdo in tertio ex uno ſtipite, & in quarto ex altero ſtipite talis diſtantia habetur, quia ſunt duo impedimenta, ſuper quibus neceſſariò requiritur diſpenſatio, nam quando conſanguinitas ex duplici, ſeù multiplici parte cõſurgit, non eſt unica, aut unius ſanguinis multiplicatio, ſed eſt duplex, aut multiplex, *Sanchez lib.8. diſput.24.n.5. Corrad.lib.7. cap.5.n.84.& ſeqq.* & tunc urgẽtior cauſa requiritur ad diſpenſandum, quàm ſi in tertio, & quarto, ab eodem ſtipite eſſent; & inſuper diſpenſatio in tertio, & quarto ab eodem communi ſtipite, tranſit per manus Officialium Minoris Gratiæ, diſpenſatio verò in tertio ex uno, & quarto ex altero ſtipitibus expeditur per Cancellariam, ſoluta majori compoſitione, & aucta taxa literarum, *Corrad.lib.7.cap.5.nu.70.* Videas quæ ponam infra in *Diſp.6.Quæſ.13.*

QUÆ-

QUÆRES III.

An quando aliqui inæqualiter diſtant, non ſolùm gradus remotior, ſed etiam propinquior eſt exprimendus?

OLim ſatis erat exprimere gradum remotiorem, quia de jure Canonico, in linea collaterali, illo gradu diſtant inter ſe, quo remotior diſtat à communi ſtipite, ut dicemus infra in tertia parte hujus Tractatus. Deindè per Pium IV. in ſua Cõſtitutione, ſeù regula ſtatutum fuit, quod uterque gradus, ſcilicet remotior, & proximior à ſtipite exprimi deberet, *Corrad. lib.7.cap.7. nu.57.* Verùm rigor dictæ Conſtitutionis fuit moderatus per Pium V. in Bulla edita 20. Auguſti 1566. incipit *SS. in Chriſto*, ubi decìdit, quod tunc ſolùm gradus proximior eſt exprimendus cum remotiori, quãdo gradus proximior eſt primus gradus conſanguinitatis, vel affinitatis, ſecus verò ſi ſit ſecundus, vel tertius, &c. vel ſit impedimentum publicę honeſtatis, nam tunc ſufficit exprimere gradum remotiorem tantùm, *Cherubin. in compend. Bull. in dicta Bulla Pii V. Schol.* 1. *Novar. in ſumma Bull. part. 2. de diſpenſat. matrim. Sanch. lib.8. diſp.24. n.26. Guttier. lib.2. Canonic. qq. cap.15. num.*128.

Verùm tamẽ eſt, quod Pius V. in dicta ſua Bulla exigit literas declaratorias gradus propinquioris, ut valeat Delegatus diſpenſare abſque Puſillorum ſcandalo; qui tamen, ſi omiſſis dictis literis declaratoriis procederet, valida eſſet diſpenſatio, validum matrimonium, quia literæ declaratoriæ ſolùm exiguntur pro foro externo, ad evitandum ſcandalum putantium non diſpenſatum in gradu propinquiori, non verò requiruntur pro foro conſcientiæ, *Sanch. l.c. n.*25. *Cherub.* & alii ſupra relati à *Corrad. l.c. n.*59. ubi tamen dicit, quod exequutor ſi diſpenſavit, non exhibitis ſibi literis declaratoriis, quando ſcit adeſſe gradum propinquiorẽ, peccat mortaliter, quia facit contra Pontificiam Conſtitutionem, & ideò debet omninò abſtinere ab exequutione literarum, donec fuerint impetratæ literæ declaratoriæ proximioris gradus. Quod ſi fuit initum matrimonium virtute diſpenſationis ſolo gradu remotiori expreſſo, nec obtentis literis declaratoriis; erit validũ matrimonium, verùm ſi poſteà Ordinarius certior juridicè fiat

aliquo denunciante, non eſſe expreſſum gradum propinquiorē, nec allatas declaratorias, debet ſic conjunctos ſeparare, donec dictas literas afferant, idque nō ſolùm ad evitandum ſcandalum denunciantium, ſed etiam, ut ſatisfiat præcepto Pontificio, volenti dictas literas ad talem effectū afferri, *Sanch.lib.8.diſp.24. n.28.& 30.* Iſtæ autem declaratoriæ ſolùm requiruntur in gradibus conſanguinitatis, & affinitatis, non verò publicæ honeſtatis, quia de tali impedimento Bulla Pii V. non loquitur, *Sanch. l.c.nu.26.* ſicut nec requiruntur, quando in foro conſcientiæ petitur diſpenſatio in affinitate ex occulta copula fornicaria, niſi gradus proximior eſſet primus gradus, *Sanch.l.c.n.33.*

Formula autem literarum declaratoriarum, quæ à Romana Curia impetrantur in forma *perindè valere*, hæc eſt: *Diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus etiam ſi in literis præfatis jam tibi præſentatis, ad illarum exequutionem propter hoc procedere diſtuleris, ſeù recuſaveris, nihilominus negotium hujuſmodi reaſſumens, dictaſque literas valere, dicta authoritate decernens, ad earundē literarum exequutionem, ſervata alias earum forma procedas; ac cum eiſdē N.& N. ſuper impedimēto tertii conſanguinitatis gradus ejuſmodi, eadem authoritate diſpenſes. Diſtantiam verò ſecundi gradus præfati, eis non obſtare declares, in omnibus, ac per omnia, perindè ac ſi in literis ipſos ſecundo, & tertio conſanguinitatis gradibus, à communi ſtipite provenientibus invicem eſſe conjunctos expreſſum fuiſſet.*

Quando aliqui diſtant quarto, & quinto gradu conſanguinitatis, poterit ipſa Curia, capta de hoc informatione ad inſtantiam contrahentium, facere decretum declaratorium, inter illos nullum adeſſe impedimentū, ad hoc, ut ſcandala Puſillorum tollantur, & tale decretum poterit hoc modo fieri: *Die, &c. Viſa informatione, qua conſtat ſupradictos contrahentes in quarto, & quinto à communi ſtipite provenientibus conſanguinitatis gradibus invicem eſſe conjunctos, per Ill. Dominum Vicarium Generalē Neapolitanum, fuit proviſum, & decretum, ac declaratum, diſtantiam prædicti quarti gradus, ſtante dicto quinto gradu, non obſtare, & propterea, per præſentes, cum eiſdem N. & N. in prædictis gradibus ordinaria authoritate, diſpenſavit, & declaravit licere eiſdem N. & N. matrimonium inter ſe publicè ſervata forma Concilii Trid.*

Trid. contrahere, illudque in facie Eccleſiæ ſolemnizare, & in eo poſtmodum remanere, prolemq; exindè ſuſcipiendam, prædicta authoritate Ordinaria, legitimã nunciando, & ita, &c.

QUÆRES IV.

Quomodo ſunt numerandi, & explicandi gradus affinitatis, & publicæ honeſtatis?

NUmerantur per ordinem ad gradus conſanguinitatis, quia affinitas proprios gradus non habet, *Can. porrò de affinitate. 35. q. 5.* undè quoto gradu conſanguinitatis mihi conjunctus eſt vir cognoſcens mulierem, eodem gradu affinitatis mihi attinet mulier, & quoto gradu conſanguinitatis mihi cõjuncta eſt mulier cognita, eodẽ gradu affinitatis eſt mihi vir cognoſcens, ut dicemus in ſecunda Parte hujus Tractatus. Quãtùm verò ad pulicam honeſtatẽ, videas dicta ſupra in §. 1. *Diſp. 3. Quæſ. 2. & 7.*

Credit tamen *Sanch. lib. 8. diſp. 24. nu. 14.* quod in affinitate, & publica honeſtate neceſſe eſt exprimere, an diſtantia graduum ſit in linea recta, an in tranſverſali, quia parentibus alterius conjugis, vel ſponſæ de præſenti, aut de futuro ferè eadem reverentia debetur, ac propriis, & ideò multò indecentiùs eſt, ac abſurdiùs tale matrimonium, quàm ubi diſtantia gradus eſt in linea collaterali; hæc tamen expreſſio, non eſt facienda in affinitate ex copula fornicaria. Quando verò impedimentum publicæ honeſtatis oritur ex matrimonio rato, non ſufficit mentionem facere de publica honeſtate, quando petitur diſpenſatio in primo gradu, ſed oportet exprimere, eam ex matrimonio rato ortam; quando verò ultra primum gradum protenditur diſpenſatio in publica honeſtate, non eſt opus exprimere undè orta eſt, *Sanch. loc. c. n. 16.* quia jam intelligitur, quod ex matrimonio rato orta eſt, cũ tantùm impedimentum publicæ honeſtatis ex matrimonio rato, conſurgens uſque ad quartum gradum protenditur, ſecus honeſtas conſurgens ex ſponſalibus validis, nam primum gradũ non excedit, ut dictum eſt ſupra in dicta *Diſp. 3. Quæſ. 7.*

DI-

DISPUTATIO V.

De commiſſione diſpenſationum, atque illarum duratione, tàm ex perſona Delegati, quàm Delegantis.

QUando eſt impetranda diſpenſatio matrimonialis, hæc praxis ſervanda eſt. Nomine Oratorum eſt conficienda ſupplicatio, cum expreſſione impedimenti, gradus, & cauſæ, prout ex dictis conſtat, quæ ſupplicatio eſt porrigenda Pontifici, ſivè ejus Officialibus, qui ſunt in Cancellaria Apoſtolica: ſuper ſupplicatione propoſita conficiuntur literæ Apoſtolicæ, quæ vel expediuntur per Præfecturam Brevium, & dantur in forma Brevis ſub Anulo Piſcatoris, quando ſcilicet conceditur diſpenſatio in primo, vel in ſecundo gradu, aut primo, & ſecundo, vel primo, & tertio, vel primo, & quarto gradibus, ſivè ſint ex uno tantùm ſtipite, ſivè ex pluribus; vel dantur per Cancellariam, quando conceditur diſpenſatio in tertio, aut ſecundo, & tertio gradibus, vel dantur per Officium Minoris Gratię, quando in remotioribus gradibus conceduntur, puta tertio, & quarto, vel in quarto tantùm, ut dicit *Corrad. lib. 7. cap. 4. n. 6. & ſeqq.*

Dictæ literæ Apoſtolicæ ex diſpoſitione *Trid. ſeſſ. 22. cap. 5. de refor.* committuntur Ordinario impetrantis, vel illius Vicario Generali, aliàs nullius momenti ſunt, *Corrad. l. c. n. 10.* verbo *Vicario,* qui debet cognoſcere, an diſpenſatio careat vitio ſubreptionis, & obreptionis, de quo ſupra dictum eſt; ſed quia circa iſtam commiſſionem, quæ fit Ordinario impetrantis, vel illius Vicario Generali plura dubia oriuntur; ideò

QUÆRES I.

An talis commiſſio fieri valeat Abbatibus, & aliis Prælatis habentibus juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, ac proprium diſtrictum.

AFfirmat *Barboſa ad Trid. ſeſſ. 22. cap. 5. de reformat. n. 2. & ſeq. ex Garz. de benefic. p. 9. cap. 2. n. 142. & 144.* Prælati enim inferiores, quando ſunt nullius Diœceſis, & habent quaſi Epiſcopalem juriſdictionem, ſunt ca-

capaces dictæ commiſſionis pro perſonis, & locis ſuæ juriſdictioni ſubjectis, *Corrad. lib. 7. cap. 4. n. 58.* nec in tali caſu diſpenſationes ſunt committendæ Epiſcopis vicinioribus, ut non ſemel declaratū per Sacram Congregationem, refert *Corrad. l. c. n. 60. qui n. 61.* numerat, quibus Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, & Vicariis Eccleſiarum, & Monaſteriorū dirigi valeant hujuſmodi matrimoniales diſpenſationes.

Advertas tamen, quod quando Summo Pontifici narratur, Oratores eſſe alicujus loci, juriſdictionis alicujus ex dictis Abbatibus, ſivè alterius nullius Diœceſis, juriſdictionem tamen quaſi Epiſcopalem habentibus, non admittitur ſupplicatio, niſi in ea dicatur. *Exponitur S. V. pro parte N. & N. ex loco N. juriſdictionis Abbatis, ſeù Præpoſiti N.* & in corpore ſupplicationis eſt dicendum: *Supplicant igitur humiliter S. V. Oratores præfati, quatenus Abbati Monaſterii N. Ordinis SS. N. nullius Diœceſis, Provinciæ N. particulare, & ſeparatum territorium habenti, ac juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in dicto loco exercenti, etiam ſi de illis perſonis non ſit, quibus ſimiles cauſæ, per Sedem Apoſtolicam committi conſueverunt, committere, & mandare, ut cum dictis Oratoribus, &c. diſpenſet, Corrad. l. c. num. 60.*

Advertas inſuper, quod Vicariis dictorum Prælatorum nūquam ~~fiunt tales~~ commiſſiones, præterquam Vicario Monaſterii Abbatiæ nuncupatæ Sancti Martini Provinciæ Theatin. ex indulto Urbani VIII. & Vicario Generali Abbatis Montis Caſſinen. ex indulto Sixti V. ut refert idem *Corrad. l. c. nu. 62.* Verùm *Sanch. lib. 8. diſp. 27. nu. 34.* dicit, quod Vicarii dictorum Prælatorum ſunt capaces harum Delegationum, & ita praxis ſe habet, quia diſpenſatio dirigitur Officiali illius Diœceſis, ſed nullus alius eſt Officialis illius Diœceſis, quàm Vicarius dicti Prælati; ergo, &c.

QUÆRES II.

An commiſſio diſpenſationum matrimonialium fieri valeat Vicario Capitulari.

NEgat *Corrad. lib. 7. cap. 4. n. 11.* ubi dicit, quod ex notoria praxi dicta reſcripta Vicario Capitulari non diriguntur, ſed committuntur Vicario Epiſcopi vicinioris, & refert, ſuo tempore Paulum V. noluiſſe dirigere literas diſpenſationis Vica-

ca-

cario Capitulari, quamvis pro tali commiſſione ardenter inſtitiſſet Orator Regis Hiſpaniarũ, ſed literæ fuerunt commiſſæ Vicario Epiſcopi vicinioris, & rationẽ aſſignat *Corrad. ibidem*, quia Vicarius Capitularis, non dicitur propriè Vicarius Epiſcopi, ſed juriſdictionis Epiſcopalis, & Ordinariæ, quam habet à Capitulo,& propterea ſi ſint Vicario Generali directè,prout dirigi conſueverunt, non poterit Vicarius Capitularis illas exequutioni demandare, quia ipſe non ſuccedit in juriſdictione delegata, quæ non eſt in Capitulo, nec in ipſo Vicario Capitulari, ſed tantùm in Vicario per Epiſcopum deputari ſolito. Hæc *Corrad.*

Verùm hæc ratio *Corrad.* non videtur ad propoſitum, quia militat, quando literæ diriguntur Vicario Generali, tunc enim certum eſt, quod non poteſt Vicarius Capitularis illas exequutioni demandare, nam Sacra Congregatio Concil.ſub die 24. Maii 1621. declaravit,Vicarium Capitularem non poſſe expedire diſpenſationes matrimoniales directas Epiſcopo, vel ejus Vicario Generali, & ſub die 2.Auguſti 1631. declaravit, Vicarium Capitularem non poſſe exequi Commiſſiones Apoſtolicas, in forma *Dignum*, & alias directas Epiſcopo, vel ejus Vicario Generali intuitu Officii, vel ſub nominatione dignitatis, ut refert *Corrad. ibidem.* Cæterũ nos loquimur, an Sede vacante poſſint reſcripta diſpenſationũ dirigi Vicario Capitulari, & ab illo exequi.

Dicimus ergo,quod hujuſmodi diſpenſationes, poſſunt Vicariis Capitularibus dirigi, quia id pendet à voluntate Pontificis, undè ſi in ſupplicatione fuit dictum, quod committatur literarũ exequutio Vicario Capitulari, & Pontifex id conceſſit, poterit Vicarius Capitularis literas exequi, præſertim ſi in ipſis literis dicatur: *Quod ipſæ literæ ſibi diriguntur, etiam ſi de illis perſonis forſan non ſit, quibus literæ Apoſtolicæ exequendæ dirigi ſolent*; nam etiam Vicario, ſeù Officiali foraneo, poteſt fieri delegatio, ex certa ſcientia Pontificis, *Sbroz. de offic.Vicar.lib.2.qu.23.n.9.* Pręterea Generales Epiſcoporum Vicarii, dicuntur capaces delegationis factæ à Papa, vel ejus Legato, quæ ſolis in dignitate conſtitutis committi ſolet; ergo idem dicendum de Vicariis Capituli Sede vacante, quia ſunt Vicarii juriſdictionis Epiſcopalis, ut tenet *Sanch.lib.8. diſp.27.n.32.Sbroz.l.c.n.3.*& tradit

dit *Everard. in ſuis Topicis, loco à vi ſurrogationis*, ubi dicit: *Quod diſpoſitio Clemen. II. de reſcriptis loquentis in Officiali Epiſcopi, locũ etiam ſibi vendicat in Officiali Capituli, qui Sede vacante ſurrogatur loco Epiſcopi, cap. cum olim. de majoritate, & obedientia, cap. unico. eodem tit. in 6. & ideò rectè dicitur Officialis Juriſdictionis Epiſcopalis.*

Ex quo *Sanch. l. c. n. 32. & ſeq.* infert, Vicarium Capitularem poſſe matrimoniales diſpenſationes exequi, non ſolùm quando illæ dirigũtur Officiali Diœceſis N. quia dum Sedes vacat, Vicarius Capitularis dicitur Officialis illius Diœceſis; ſed etiam quando literæ diriguntur Officiali Epiſcopi, ut ipſe probat. Ego primum tantùm admitto, quando tempore ſupplicationis Sedes jam vacabat, & hoc fuit Pontifici expoſitum, ſimulque ſupplicatum, ut Officiali Diœceſis N. committatur; cum enim tunc alius non adſit Officialis Diœceſis, quàm Vicarius Capitularis, ei intelligitur facta commiſſio, quia literæ recipiunt declarationem à ſupplicatione. Secundum verò non probo, quia re vera Vicarius Capitularis, non dicitur Officialis Epiſcopi, ſed Officialis Juriſdictionis Epiſcopalis, undè ſi literæ diſpenſationis directe Vicario, ſeù Officiali Epiſcopi exequerẽtur per Vicarium Capitularem Sede vacante, exequutio eſſet nulla, & nullum eſſet matrimonium vigore talis diſpenſationis cõtractum, ut pluries decîſum per Rotam, tradit *Corrad. in addition. ad cap. 4. lib. 7. ad n. 13. Sbroz. de offic. Vicar. lib. 1. q. 16. n. 1. & ſeqq.*

Verùm tamen eſt, quod ex notoria praxi Datariæ regulariter commiſſio fit Epiſcopo, ſeù illius Vicario Generali tantùm; & Sede Epiſcopali vacante non diriguntur hæ diſpenſationes Vicario Capitulari, quia de illo Papa non confidit, ſed Epiſcopo viciniori, ſivè ejus Vicario in Spiritualibus Generali, ut advertit *Corrad. lib. 7. cap. 4. n. 11. in fine, & n. 14. cum ſeqq.*

QUÆRES III.

An diſpenſatio commiſſa Vicario Epiſcopi, ſi idemmet Vicarius, Sede prædicta interim vacante fuerit electus Vicarius Capitularis, poſſit dictas diſpenſationes exequi: Et quando poſſit Judicis mutatio impetrari?

EX dictis, negativè reſpondendum eſt; quia commiſſio eſt facta Vicario Generali Epiſcopi, Vicarius autem Capituli non

eſt Vicarius Generalis Epiſcopi, undè faciunt declarationes Sacræ Congregationis, de quibus in præcedenti Quæſito mentio facta eſt. Similiter ſi tempore quo diſpenſatio fuit commiſſa Vicario Generali Epiſcopi, vivebat Epiſcopus, qui tamen tempore præſentationis literarũ mortuus reperitur, non poterit dictus Vicarius dictas literas exequutioni demandare, ſed debent Oratores expectare, donec Eccleſia fuerit de novo Paſtore proviſa, vel ſuper dictis literis petere novam commiſſionem, quæ de ſtylo Curiæ, *Mutatio Judicis* nuncupatur, qua committitur Ordinario viciniori, ut dictas literas exequatur, ſervata alias earum forma, perindè ac ſi ipſi à principio dictæ literæ directæ fuiſſent. Idem dicendum, ſi Vicarius Epiſcopi defuncti cœpiſſet literas exequi, nec potùit eas expedire ante obitum ſui Epiſcopi, ut expreſsè tenet *Corrad. lib.7.cap.4.nu.22. ubi n.23.* ponit formulã ſupplicationis pro mutatione Judicis, quæ eſt.

Beatiſſime Pater. Aliàs S.V. pro parte devotorum illius Oratorum N. laici, & B. mulieris Diœceſis N. ex loco N. ortorum expoſito, dictam mulierem in dicto loco ob illius anguſtiam, virum ſibi non conſanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere poſſet, invenire nequire, cupereq; Oratores præfatos invicem matrimonialiter copulari, ſed quia tertio, & quarto à communi ſtipite provenientibus conſanguinitatis gradibus invicem ſunt conjuncti, deſiderium eorum in ea parte adimplere non poſſe abſque Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione. Quare, pro eorundem Oratorum parte E.S.V. humiliter ſupplicato, quatenus eis in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaretur. S.V. precibus dictorum Oratorum, tunc inclinata, Vicario Epiſcopi N. in ſpiritualibus Generali per ſuas literas dedit in mandatis, quatenus, ſi preces veritate niti repeniret, cum eiſdem Oratoribus, quod impedimento quarti conſanguinitatis gradus hujuſmodi non obſtante, matrimonium inter ſe, publicè ſervata forma Concil. Trid. contrahere, illudq; in facie Eccleſiæ ſolemnizare, & in eo poſtmodum remanere liberè, & licitè valerent, Apoſtolica authoritate diſpenſaret; diſtantiam verò tertii gradus præfati eis non obſtare, declararet, prolemq; ſuſcipiendam exindè legitimam nunciaret, prout in dictis literis pleniùs continetur. Cum autem P.S. Epiſcopus N. literis præfatis minimè exequutioni demandatis, rebus fuerit humanis exemptus, & propterea Sedes Epiſco-

ſcopalis N. adhuc Paſtore careat. Supplicãt igitur humiliter E.S.V. Oratores præfati, quatenus, ne propter præmiſſa, dictarum literarum exequutio retardetur, ſpecialem ſibi gratiam faciendo, Ordinario viciniori, ſeù ejus Vicario in ſpiritualibus Generali committere, & mandare, ut ipſe, poſtquã dictæ literæ ſibi pro dictorũ Oratorum parte præſentatæ fuerint, ad illarum exequutionem, ſervata aliàs earum forma, procedat in omnibus, & per omnia, perindè ac, ſi ille ſibi, & non præfato Vicario Epiſcopi N. à principio directæ fuiſſent, dignemini de gratia ſpeciali. Non obſtantibus omnibus illis, quæ E.S.V. in dictis literis voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcunque, cum clauſulis opportunis, &c.

Hæc nova commiſſio, ſivè Judicis mutatio peti poteſt. Primò, quando Sedes Epiſcopalis vacat, ut dictum eſt. Secundò, ſi in reſcripti commiſſione, fuit erratum, puta ſi loco unius fuit alteri facta commiſſio. Tertiò, ſi ſuper juriſdictione loci, inter duos Ordinarios lis pendeat indeciſa, quia tunc datur mutatio Judicis in perſonam unius ex aliis vicinioribus. Quartò, ſi vacante Sede Epiſcopali literæ fuerunt directæ Ordinario viciniori viventi, quibus tamen literis eidem non præſentatis, fuit prior Eccleſia de Paſtore proviſa, nam tunc, cum adſit proprius Ordinarius Oratorum, ei fit nova comiſſio cum clauſula, *ut ad priorum literarum exequutionẽ procedat, perindè ac ſi eidem, non autem prædicto Ordinario viciniori à principio directa, & præſentatæ fuiſſent*. Quintò, ſi proprius Oratorum Ordinarius ſine rationabili cauſa recuſet procedere ad exequutionem literarũ, dantur tunc literæ mutationis Judicis, quæ Epiſcopo viciniori dirigũtur, cũ hac clauſula, *ut poſt quam dictæ literæ ſibi præſentatæ fuerint. Iterùm legitimè requiſito priore Ordinario, ejuſque Promotore Fiſcali audito, ſi idem Ordinarius ad præfatarum literarum exequutionem indebitè, & ſine rationabili cauſa procedere recuſaverit, cauſamque legitimam ſuæ recuſationis non adduxerit, ad earundem literarũ exequutionem, ſervata alias earũ forma procedat in omnibus, & per omnia, perindè ac ſi illæ ſibi, & nõ præfato Ordinario à principio directæ fuiſſent, &c.* Ex qua clauſula patet, quod iſte ſecundus Judex ante omnia debet Priorẽ Judicem requirere per ſuas literas requiſitorias, cum inſerto tenore literarum ſibi præſentatarum, qui debet formiter, & in ſcriptis cauſam allegare, & non

Ff 2 ſuf-

ſufficit voce, vel mediante aliqua ſcriptura privata. Sextò, ſi proprium Judicem Ordinarium ſuſpectum habeant impetrantes, idque non ſolùm poſt impetratū reſcriptum, ſed etiam in principio impetrationis primi reſcripti, poſſunt illum ut ſuſpectum recuſare, & petere ſibi alium, & viciniorem Judicem deputari, undè in literis debent dicere: *Quod ipſi proprium Ordinarium, cui literæ dirigendæ eſſent ſuſpectum habent, ab eoque ipſarum literarum exequutionem non poſſunt, neque ſperant reportare, ac proindè ipſum ſuſpectum jurare parati exiſtunt, & quatenus opus ſit jurant*. Alii autem caſus, in quibus peti poteſt nova commiſſio, ſivè mutatio Judicis videri poſſunt apud *Corrad.lib.7. cap.4.num.25*.

QUÆRES IV.

An mortuo, vel ab Officio remoto Vicario Generali, cui literæ cōmiſſæ erant, valet ſucceſſor in ipſo Vicariatus officio, literas expedire, & exequi ſine nova commiſſione, an verò requiratur nova commiſſio.

PRo reſolutione præſentis difficultatis eſt ſciendū, quod tripliciter poteſt committi poteſtas delegata. Primò modo, expreſſo ſolo nomine proprio Delegati, puta committimus Petro. Secundo modo, expreſſo ſolo nomine Dignitatis, ut committimus Vicario Neapolitano, vel Archiepiſcopo Neapolitano. Et tertio, cum expreſſione utriuſque, ut committimus Jacobo Archiepiſcopo Neapolitano, vel Andreæ Vicario Neapolitano. Rurſus Delegatio, ſeù commiſſio facta Dignitati tripliciter fieri valet. Primò, ſub nomine Dignitatis, adjecta tamen aliqua qualitate, ratione cujus videtur habitus reſpectus ad perſonam, & non ad Dignitatē, ut committimus Epiſcopo Acerrarum Neapoli commoranti. Secundò, fieri valet ſimpliciter Dignitati, Officio, Tribunali, ut cōmittimus Epiſcopo Puteolano. Et tertiò, fieri valet expreſſo ſolo nomine Dignitatis, & Officii, cū iſto addito, *quod illi ſit commiſſio ob peculiarem ſcientiam, ac ſanctitatis notitiam, quæ de illo habetur*. His prænotatis:

Dicimus primò, quod quando commiſſio eſt perſonalis, nec fuit habita conſideratio Dignitatis, ſed tantùm fuit expreſſum proprium nomen Delegati, ut committimus Petro, tunc expirat commiſſio tali perſona mortua, quia deficit ſubjectum, nec

tranſit commiſſio ad ſucceſſorẽ. Si verò talis perſona ſit remota ab officio, non ratione delicti; vel officium renunciavit, poterit de tali commiſſione cognoſcere, niſi aſſumat qualitatẽ repugnantem, puta ſit factus laicus, & cauſa eſt ſpiritualis; ubi enim requiritur qualitas in uno officiali, ſufficit ſi adſit tempore commiſſionis, & ideò ſi cauſa committatur Vicario nomine proprio, ſi deſinat eſſe Vicarius, poteſt cognoſcere, ità expreſsè *Felin. in cap. quoniam Abbas. n. 5. de offic. Judicis Delegati, Sanch. lib. 8. diſp. 27. n. 22. & ſeqq. & n. 31.*

Dico ſecundò, quod quando commiſſio fit expreſſo ſolo nomine dignitatis, vel officii, tunc commiſſio eſt realis, & ideò Delegato mortuo, vel remoto ab officio, tranſit commiſſio ad Succeſſorem in ea dignitate, vel officio, dignitas enim illa, & officium perpetua ſunt, *cap. quoniam Abbas. 24. de offic. Judic. Delegat. cap. ſi gratioſè. 5. de reſcriptis in 6.* quod verùm eſt, ſivè prior Delegatus objerit re non integra, quia literæ illi erant jam præſentatæ, ſivè objerit re integra, quia literæ non adhuc ei præſentatæ erant, ut optimè probat *Sanch. l. c. n. 7.* & hoc etiã in ſucceſſore ad officium Vicariatus currit, quia dato, quod Vicarius Epiſcopi non habeat propriè, & ſtrictè dignitatem, nec habeat juriſdictionem nomine proprio, nec verè, & propriè Vicariatus dicatur habere Succeſſorem, cum tale officium non ſit perpetuum in Eccleſia, ſed pendeat ex voluntate Epiſcopi conſtituentis Vicarium, qui poteſt illum non conſtituere, quando Epiſcopus ipſe eſt in Diœceſi, & poteſt omnia Epiſcopalia munia obire, quia Juriſperitus eſt, ut optimè probat *Corrad. in additionibus ad cap. 4. lib. 7 diſpenſat. Apoſtolic. ad nu. 37.* qui ſecundum hanc limitationẽ intelligit, *Quarantam in ſumma Bullarii tit. Archiepiſcopi authoritas, Addit. ad Navar. conſil. 5. de offic. Delegat.* Quia tamen intentio Pontificis committentis Vicario Epiſcopi eſt, ut Tribunal Vicarii procedat, ideò talis cõmiſſio ad Succeſſorem tranſit, ut probat *Sanch. l. c. nu.* 10. quamvis *Felin. in cap. quoniam Abbas. n. 7. ubi Decius n. 61. de offic. Judic. Delegati*, teneant, quod commiſſio facta Vicario non tranſit ad Succeſſorem, per rationes ſupra poſitas, ut etiam communiter tenent alii. *Genuen.* tamen *in prax. Curiæ Archiepiſcopalis Neapolitanæ cap. 85. n. 1.* talem communem opinionem limitat, quando ſtylus Curiarum eſſet in contrariũ,

ſicut eſt in noſtra Curia Archiepiſcopali Neapolitana, vel quãdo Delegans habuit reſpectum ad Tribunal Epiſcopi, idem dicit *Corrad. lib.7.cap.4.n.36. verſ. quare ſi Delegatio*, aſſerens, quod hoc in toto Orbe hodiè ſervatur, & adducit deciſiones Rotæ.

Limitatur hoc ſecundùm dictum, quando commiſſio eſt facta Legato, etiam à Latere ſub nomine dignitatis, nam ad Succeſſorem non tranſit, ſed cum perſona Legati extinguitur, quia Legati dignitas non eſt perpetua in Eccleſia, ſed ad nutum, & ſimplicem Pontificis voluntatẽ revocatur, & ideò finita Legatione, non dicitur vacare dignitas, nec in ea datur ſucceſſor, ſed ſemper de novo per Pontificem creatur, ut dicit *Sanch.l.c.n.*11. *Felin.l.c.n.*8.*Decius in d.cap.quoniam Abbas. n.63. & Gloſſ.in cap. præſenti.3. Verbo, finitur legatio. de officio legati in 6.* dicit, quod per mortẽ Legati finitur legatio in ejus perſona, quoad negotia non cepta per Delegatos, ſed ſi quas cauſas commiſiſſet, & res non eſſet integra, durat finito ejus officio illius Delegati poteſtas.

Secundò, de rigore juris limitatur in Delegatione facta Canonico ſub nomine dignitatis, quia Canonicatus propriè Succeſſorem non habet, ſed morte extinguitur, *Decius in cap. quoniã Abbas.n.59.& 60. de offic. Judicis delegati, ubi Felin. n.5. & 6.* dicit, quod Canonicus non poteſt habere ratum illud, quod fuit factum per Procuratorẽ anteceſſoris, quia non dicitur propriè ſucceſſor. Similiter pro ſpoliatione facta prædeceſſori Canonico, non competit interdictum ſucceſſori; nec poteſt Canonicus in præbenda obligare ſucceſſorem. Aliud tamen eſt in Prælato, & ideò privilegium datum Canonico, ad Succeſſorem non tranſit, videas *Felin.l.c.* Sed quamvis hoc ſit verùm in rigore juris, tamen ex mente Pontificis benè tranſit in alium, cui Canonicatus ille collatus eſt, ut dicit *Sanch.lib.8.diſp.27.n.12.*

Dico tertiò, quod quando cõmiſſio fit expreſſis ſimul nominibus dignitatis, & perſonæ Delegatæ, tunc in dubio, deficientibus aliis conjecturis, talis commiſſio perſonalis cenſetur, ſivè nomen proprium præponatur, ſivè poſtponatur, ut defendit *Sanchez l.c.n.20.* aliàs inutilis, & ſuperflua eſſet expreſſio nominis proprii facta à Pontifice in tali commiſſione, quod non eſt dicendum; quia nec una ſyllaba in reſcriptis Pontificis ſuperflua eſſe debet. Non deſunt tamen

aſſerentes talem commiſsionem eſſe realem, quia qualitas dignitatis prævalet; ſicut etiam alii aſſerunt, quod ſi nomen dignitatis præcedit, commiſſio eſt realis, ſi præcedit nomen proprium, commiſſio eſt perſonalis, quia in dubio ex ordine literæ deducitur intentio concedentis. Meliùs alii tenent, quod ſi committens habuit notitiam perſonæ, cui commiſit, tunc ſi nomen proprium præcedit, commiſſio eſt perſonalis; ſi præcedit nomen dignitatis, commiſſio eſt realis: ſicut realis eſt commiſſio, ſivè nomen proprium præcedat, ſivè ſubſequatur, quando perſonæ notitiam non habuit; videas, *Sanch. l. c. n. 17. & ſeqq.*

Dico quartò, quod quando commiſſio eſt facta dignitati, adjecta qualitate aliqua, ratione cujus videtur habitus reſpectus ad perſonam, & non ad dignitatem, ut ſi commiſſio ſit facta Epiſcopo Acerrarum Neapoli commoranti, tunc talis commiſſio durat in perſona illius, etiam ſi transferatur ad aliam Eccleſiã, nec tranſit ad Succeſſorem in Eccleſia Acerren. prout deciſum in una, *Capuan. de ann. 1552. coram Roſſanen.* refert *Garz. de beneſic. p. 6. cap. 2. n. 29. Corrad. lib. 7. cap. 4. n. 36. verſic. his tamen non obſtantibus.*

Dico tandem, quod quando commiſſio eſt facta dignitati cũ addito, quod illi ſit commiſſio ob peculiarem ſcientiam, ac ſanctitatis notitiam, quam de illo habet, tunc commiſſio eſt perſonalis, & non tranſit ad Succeſſorem, quia dictæ circumſtantiæ, & qualitates fuerunt conſideratæ in Delegato, *Sanch. lib. 8. diſp. 27. nu. 3.* & videtur electa induſtria perſonæ, *Sbroz. de offic. Vicarii lib. 2. q. 135. n. 10.* Non tamen intelligitur commiſsio perſonalis, quando Pontifex in reſcripto injunxit Officiali, ut de earum veritate diligenter ſe informet: addendo, *ſuper quo conſcientiam tuam oneramus*: quia quando dicta verba non dirigũtur perſonæ nominatæ, videntur potius poſita in vim monitionis, quã in vim prædictæ delegationis: ſicut, quamvis dicat, *judicio, & prudentiæ tuæ remittimus*, non cenſetur electa induſtria perſonæ, quando delegatio non fuit facta perſonæ cognitæ, & ideò ad Succeſſorem in officio non tranſit talis commiſsio, *Sanchez loc. cit. num. 34.*

QUÆ-

QUÆRES V.

An commiſſio facta Officiali, vel Vicario Epiſcopi, valeat per Epiſcopum expediri, remoto, aut mortuo Officiali, vel Vicario?

NEga quia adeſt differentia inter Epiſcopum, & Vicarium, ſivè ejus Officialem, *cap. venerabilibus. de ſententia excommunicationis in 6.* ergo in commiſſione facta Officiali, vel Vicario, nullatenùs valet Epiſcopus ſe ingerere, *Navar. de offic. Delegati conſil. 5.* & ſolùm in cauſis, quæ jure ordinario competunt Vicario verificatur, quod idem eſt Epiſcopi, & Vicarii Tribunal, *DD.* quos citat, & ſequitur *Sanch. lib. 8. diſp. 27. n. 30. Corrad. lib. 7. cap. 4. n. 38.* Cum igitur Vicarius Epiſcopi in caſu poſito non venit tanquam Vicarius Epiſcopi, ſed tanquam Delegatus Papæ, ideò ad Epiſcopum non eſt extendenda talis commiſſio, *Sbroz. de offic. Vicarii lib. 2. q. 136. n. 1. & ſeqq.* quod verùm eſt non ſolùm quando commiſſio eſt facta Vicario ſub nomine proprio, & dignitatis, ſeù officii, ſed etiã quando eſt facta ſub ſolo nomine officii, ut benè firmat *Sbroz. l. c. n. 8.* quia cum ſeparatum ſit auditorium Delegati Papæ, & Epiſcopi, non debet reſcriptum extendi ad aliũ, quàm ad ipſum Delegatum; imò in cauſa delegata per Papam, major eſt Vicarius Epiſcopo ſuo, *Sbroz. l. c. n. 4. Navar. de offic. Delegati conſil. 10. n. 2.* Hæc autem locum habent in reſcripto delegationis, non verò in præceptis, literis, & mandatis Apoſtolicis, ut tradit *Sbroz. l. c. num. 9.*

Hinc ſi idem Vicarius, cui fuit facta commiſſio, creatur Epiſcopus ejuſdem Diœceſis, non poteſt de cauſa illa ſibi commiſſa tempore Vicariatus cognoſcere, vel diſpenſationem exequi, quia cum commiſsio ſit realis, facta dignitati Vicarii, & iſte ad aliam dignitatem, quæ priorem non continet, translatus ſit, ceſſat commiſsio reſpectu ſuæ perſonę, & tranſit ad Succeſſorem in Vicariatu, ut ſupra dictum eſt. Si verò commiſsio fuit perſonalis, tunc poterit de illa cognoſcere, etiam ſi factus ſit Epiſcopus, *Sãchez l. c. n. 30. & ſeq. Corrad. lib. 7. cap. 4. n. 44.*

Eodem modo dicendum eſt de Vicario; nam non valet Vicarius expedire cauſam, quæ ſuo Epiſcopo fuit commiſſa, niſi per Epiſcopum ſit ei facta ſubdelegatio: ſicut niſi Vicarius cauſam

ſibi

ſibi commiſſam delegaret Epiſcopo, non poſſet Epiſcopus talem cauſam expedire, *Sbroz.de offic.Vicarii lib.2. q.136. n.15.& q.36.n.3.Corrad.l.c.n.38.* Advertit tamen *Sanch. lib.8. diſput.27. n.34.* Vicarium, vel Epiſcopum poſſe receptionem teſtium, ac informationem committere, non verò ipſam diſpenſationem, quia quando à Principe committitur nudum miniſterium ſimul cum jurisdictione aliqua, non poteſt nudum miniſterium ſubdelegari, benè verò poteſt ſubdelegari jurisdictio illa: ſed in his reſcriptis committitur Officiali jurisdictio veritatis precum examinandæ, & nudum miniſterium exequendæ diſpenſationis; ergo illa delegari poteſt, hoc autem non: & ita poterit Delegatus recipere juramenta teſtium, & poſtea illorum examen, & informationem alteri remittere, vel poterit etiam receptionem juramenti committere, ut in noſtra Curia Archiepiſcopali practicatur, *Corrad. lib.7. cap.6.nu.40.& ſeqq. ubi n.41.* dicit, quod Epiſcopus non poteſt exequi literas directas Vicario, nec injungere pœnitentiā in illis literis contētam, etiam ſi Vicarius ſit abſens.

Ratio autem quare Vicarius non valet exequi delegationem factam ſuo Epiſcopo, eſt quia Epiſcopus nō cognoſcit cauſam Delegatam, ut Epiſcopus, ſed tanquam Delegatus: Epiſcopus autem conſtituendo Vicarium Generalem, ſolùm ea committere videtur, quæ competunt ratione ordinariæ jurisdictionis, non autem illa, quæ competunt ratione delegatæ jurisdictionis, *Sbroz.de offic.Vicarii lib.2.q.135. n.1. & ſeqq.* Poſſet tamen Vicarius exequi mandata, & literas Apoſtolicas Epiſcopo directas. Primò, quando Epiſcopus eſſet abſens. Secundò, quando Vicarius non eſſet ab Epiſcopo conſtitutus, ſed à Pontifice, quia tunc omnes Epiſcopi prærogativas conſequitur, *Sbroz.l.c.n.5. & ſeqq.* quod tamen limitatur, quādo Pontifex copulativè mādavit cauſam Epiſcopo, & ejus Vicario, vel quando Epiſcopo committitur nudum miniſteriū, vel aliqua cauſa ſpecialis, ubi eligitur induſtria perſonæ, ſecus verò ſi committeretur cauſa generaliter, *Sbroz.l.c.n.9.& 10.* qui licèt dicat, quod Vicarius non poſſit exequi cauſam alternativè commiſſam Epiſcopo, vel ejus Vicario, citando *Felin.in cap.eam te.nu.17. de reſcrip.* tamen *Felin.* loquitur de Vicario Capitulari.

Sicut igitur Vicarius Generalis Epiſcopi non poteſt exequi commiſſionem factam Epiſcopo,

ita nec Vicarius Capitularis poteſt mortuo Epiſcopo exequi cōmiſſionem factam Epiſcopo, quia Vicarius Capitularis ſuccedit in juriſdictione ordinaria Epiſcopi, non verò in delegata, *Decius in cap. quoniã Abbas. n.* 21. *&* 81. *de offic.* Judicis *Deleg. Sbroz. l. c. n.* 4.

Advertas, quod nunquam Cancellaria Apoſtolica conſuevit committere diſpenſationes Epiſcopo, & ejus Vicario Generali, inſimul, nec alternativè, ſcilicet Epiſcopo, ſeù ejus Vicario, ſed uni tantùm eorum, ut dicit *Corrad. lib.* 7. *cap.* 4. *num.* 57. ideò tantùm ſunt exequendæ ab illo, cui literæ fuerunt directæ. Et quando Epiſcopus habet plures Vicarios Generales, tunc commiſſio facta Vicario Generali intelligitur facta Vicario principaliori: quod ſi dicti Vicarii ſint æquè principales, & nullus deſignetur in reſcripto, tunc ille debet exequi reſcriptũ, quem pars elegerit; & ſi partes diſcordẽt in illius electione, tunc ille erit Judex, cui fuerũt primo literæ præſentatæ, *Corrad. loc. c. n.* 46. *&* 49.

QUÆRES VI.

An Vicarius Epiſcopi confirmati, & non conſecrati, vel aliqua Eccleſiaſtica cenſura innodati valeat cauſam ſibi Apoſtolica Authoritate delegatam exequi.

AD primum affirma, quia Epiſcopus ante conſecrationem habet plenã juriſdictionem Epiſcopalem, & Vicarius dicitur verè Vicarius Epiſcopi habentis plenam Epiſcopalem juriſdictionem, *Sanch. lib.* 8. *de matrim. diſp.* 27. *n.* 35. *Corrad. lib.* 7. *cap.* 4. *n.* 45. *Sbroz. de offic. Vicarii lib.* 2. *q.* 23. *n.* 2.

Ad ſecundũ etiam affirmativè reſpondemus, quia licèt quando Epiſcopus eſt cẽſuris innodatus, etiam ejus Vicarii juriſdictio eſt ſuſpenſa, tamen ipſe Vicarius retinet habitualem juriſdictionem tanquam verus Vicarius, & ideò poterit cauſam ſibi Apoſtolica authoritate delegatam exequi, nam juriſdictio ſibi delegata, nõ dimanat à dicto Epiſcopo excõmunicato, *Sbroz. lib.* 3. *q.* 17. *n.* 10. *Corrad. l. c. n.* 47. *& ſeq.*

QUÆRES VII.

An expiret juriſdictio Delegati ſi ſemel pronunciavit reſcriptum eſſe ſubreptitium?

AFfirma, undè non poteſt amplius virtute illius reſcripti diſpenſare in impedimẽto, nec poteſt ſuam ſententiam retractare, etiam ſi ſe deceptum invenerit, ſed eſt adeundus Pontifex, qui delegavit; quia cum ſit Judex delegatus, & jam ſit fun-

functus officio ſuo, caret deinceps juriſdictione, quamvis inutiliter, & invalidè judicavit; ſecus verò ſi contra formam mandati judicavit. Sed ſi pronunciavit, legitimam eſſe diſpenſationem, & deindè inveniat ſe deceptum, vel erraſſe, licèt non valeat ut Delegatus cauſam iterum aſſumere, poterit tamen, ut Ordinarius cauſam aſſumere, & impedire contractionem matrimonii, vel jam contractum diſſolvere; & hoc cauſa evitandi peccata: videas *Sanch.lib.8.diſp.* 27. *num.*39. *Corrad. lib.*7. *cap.*4. *nu.*49. *&* 55. Aliter tamen eſt in diſpenſatione pro foro conſcientiæ, ut dicemus infra.

QUÆRES VIII.

An commiſſio diſpenſandi in impedimentis matrimonii, expiret morte, vel ceſſione officii delegantis re integra contingentibus?

EX dictis jam patet, quando commiſſio expiret morte, vel ceſſione officii delegati, nunc videndum eſt, quando ceſſat morte, vel ceſſatione officii delegantis, ſed prius videndum eſt, quando res eſt integra, & quando non, quia re integra expirat commiſſio, ſecus verò re non integra.

Dicimus primò, quod quando Delegatus cœpit uti delegata juriſdictione, res dicitur non integra, ac proindè perpetuatur juriſdictio, nec expirat per mortem, vel ceſſionem officii delegantis, *cap. licèt undique.*30. ibi: *Quod ſi juriſdictione à ſuo ſibi collega delegata, eo vivente uti non cœperit; quia mandatum hujuſmodi re integra morte mandatoris expiravit, non habet ſolus officium judicandi. Si verò ante mortẽ illius juriſdictione uti cœperit, taliter demandata, vices ſuas, & illius poterit adimplere. de offic.Judic.Delegati, cap.penult. de offic.Delegat.in 6.*

Hic autem uſus juriſdictionis habetur per ſolam partis citationem, cum per citationem negotium quaſi ceptum videtur, *cap.gratum.* 20. *de offic. Delegat. Sanch. lib.*8. *diſp.*28. *nu.*10. licèt alii probabiliter aſſerant, quod dicitur cœpta juriſdictio qualitercumq; cœperit Judex juriſdictione uti, etiam ante citationẽ, & alii ſolam citationem ſufficere de jure Canonico aſſerant, quæ tamen de jure civili non ſufficit, ſed inſuper requiritur conteſtatio litis, ut videre eſt apud eundem *Sanch.l.c.n.*8.*&ſeqq.* Ut autem res deſinat eſſe integra non ſufficit, quod à Judice ſit prolatum decretum citandi. Sed requiritur, ut cum effectu ſit facta

citatio, quidquid in contrarium dicat *cit.Doctor l.c.nu.13*.quia licèt in *d.cap.gratũ* (in quo *Sanch.* fundatur) dicatur. *Propoſito citationis edicto*, tamen hoc non est purum decretum citandi, ſed eſt citatio, quia per edictum, etiam partes citantur, & ideò in eodem Textu ſubditur, *quod cum in caſu priori citatione facta negotium ſit quaſi ceptum, &c.* Sicut ergo per mandatum de capiendo, vel de citando non inducitur præventio, ita nec perpetuatio juriſdictionis.

Dicimus ſecundò, quod quãdo Delegatus vices ſuas alteri cõmittit, non cenſetur res nõ integra, nec perpetuata juriſdictio per ſolam ſubdelegationẽ: & ideò ſi moriatur primus Delegans, antequam per ſubdelegatum in aliquo proceſſum ſit, expirat juriſdictio, *Textus expreſſus in cap.penult. de offic.Delegat.in 6.Sanch.lib.8.diſp.28.n.18.*

Dicimus tertiò, quod per ſolam reſcripti præſentationem factam Judici res non deſinit eſſe integra, quia Canones requirunt, quod Delegatus cœperit uti juriſdictione, ut res dicatur non integra, ut patet ex primo, & ſecundo dicto; nec acceptare reſcriptum Delegato præſentatum, eſt incipere uti juriſdictione, ſed eſt præparare ſe ad utẽdũ, *cap. is qui.de Procuratoribus in 6.* ibi: *Non poteſt poſt mandatum ſuſceptum, etiamſi eo uſus non fuerit, &c.* Ubi ſuſcipere mandatum, non eſt eo uti, ita *Sanch.l.c. num.19.*

Dicimus quartò, quod in reſcriptis gratiæ, ut in commiſſionibus diſpenſandi, res deſinit eſſe integra per primum actum judicialem, qui expediri ſolet poſt reſcripti præſentationem, ut ſi Judex jubeat fieri informationem veritatis, vel fecit citari omnes illas perſonas, cum quibus diſpenſandum eſt, ut probẽt veritatem precum, *cap. quamvis de offic.Delegat.in 6.* ibi: *Cum juriſdictio (ex quo ipſe uſus non extitit) nõ cenſeatur in eum efficaciter tranſiviſſe, &c. DD.* apud *Sanch. l.c.n.20.& 29.in fine.* His notatis.

Ad Quæſitũ dicimus, quod poteſtas delegata ad literas juſtitiæ exequendas, expirat morte concedentis, vel finito ejus officio, re integra, id eſt, antequã Delegatus cœperit uti juriſdictione, ſecus verò re non integra, *cap. gratum. cap.relatum. & cap.licèt undique. de officio Delegati, cap. quamvis. & cap.fin. §.officium. de officio Delegati in 6.* Ratio eſt, quia per literas juſtitiæ non fit gratia, vel favor, ſed tantùm habetur mandatum de juſtitia facienda, mandatum autem expirat

pirat morte mandantis, re integra, *l. mandatum. C. mandati*, nam extincto jure Datoris, & Authoris, extinguitur quoque jus Acceptoris, & Succeſſoris, *l. lex vectigalis. ff. de Pignorib.* per exercitium verò juriſdictionis ante mortem Delegantis, quia perpetuatur, & radicatur in perſona Delegati juriſdictio, ideò per mortem delegantis non extinguitur, *Sanch. lib. 8. diſp. 28. n. 30. & ſeqq.*

Dicimus inſuper, quod commiſſiones conceſſę Ordinariis in forma Communi, ad diſpēſandū in matrimonii impedimentis, intelliguntur factæ nomine Pontificis, & non nomine dignitatis, ſeù Sedis Apoſtolicæ, quia Pontifex proprio nomine diſpenſat, ut patet ex formulis diſpenſationis, ubi habetur: *Nobis ſupplicare fecerunt, &c.* & infra: *Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ committimus, &c.* & infra: *Authoritate noſtra diſpenſes, &c.* quæ verba denotant, nomine perſonæ commiſſionem fieri, *Sanch. lib. 8. diſp. 28. n. 46.* ideò multi relati à *cit. Doctore n. 86.* tenent, quod mortuo concedente re integra, expirat talis commiſſio; idque verùm putant, etiam ſi commiſsio ad diſpenſandum in matrimonii impedimentis eſſet facta authoritate Apoſtolica, quia ſemper ac commiſsio Apoſtolica fit in favorem certæ perſonæ, expirat commiſsio morte concedentis re integra, ſecus verò ſi commiſsio non ſit in favorem certæ perſonæ, *Textus expreſſus in cap. ſi cui. 36. de præbendis in 6.* ſed commiſsio ad diſpenſandum in matrimonii impedimentis, eſt ad favorem certæ perſonæ, ut patet; ergo, &c.

Verùm idem *Sanch. l. c. nu. 87.* probabilius putat talem commiſsionem non expirare morte concedentis, etiam re integra, quia quando in literis gratiæ in alicujus favore conceſsis, Miniſter Delegatus volūtarius eſt, & non præcipitur, ut exequatur, ſed ſola facultas exequēdi cōceditur, nō favore ipſius Delegati, ſed favore illius, cui gratia eſt cōcedēda, tūc eſt gratia faciēda, & expirat morte concedentis re integra, quia nulli eſt jus quæſitum per illas literas; at quando exequutor eſt neceſſarius, quia ei præcipitur exequutio, ſi preces veritate nitantur, tunc eſt gratia facta, quia jus ad rem jam eſt acquiſitum illi, in cujus favorem gratia conceſſa eſt, & ſolùm exequutio per Commiſſarium deſideratur, ideò non perit morte concedentis re integra. Cum igitur in commiſsio-

nibus diſpenſandi in impedimentis matrimonii non relinquatur voluntati Ordinarii, vel Confeſſoris diſpenſationem cōcedere, aut denegare, ſed ipſis præcipitur, ut inventa precum veritate diſpenſent, talis gratia non erit facienda, ſed facta, & ideò non extinguitur morte concedentis re integra.

Ex dictis infertur, quod gratia facta à Pontifice non expirat mortuo Pontifice ante expeditionem literarum, quia non eſt neceſſaria ſcriptura ad ſubſtantiam, & valorem gratiæ, ſed ſtatim ac conceſſa eſt per verbum *fiat*, valida eſt in ſe, & perfecta, quoad ſubſtantiam: literæ tamen requiruntur ad probationem gratiæ in judicio, *Clem. dudum. de ſepulturis, Sanch. lib. 8. diſput. 29. n. 2. & ſeqq. ubi n. 4. infert.* integrum eſſe cuipiam in foro conſcientiæ, uti gratia conceſſa, etiam ſi literæ non dum ſint expeditæ.

DISPUTATIO VI.

De verificatione cauſarum, & clauſularum per Delegatum facienda.

Diſpenſationes matrimoniales exequi non poſſunt à Delegato, niſi omninò verificata cauſa, & alia narrata in dictis literis, itaut ſi ipſe Delegatus cognoverit ex tali matrimonio contrahendo poſſe aliquid mali exoriri, poterit diſpenſationem denegare, undè in *Trid. ſeſſ. 25. cap. 18. de reformation.* habetur: *Quod ſi urgens, juſtaque ratio, & major quandoque utilitas poſtulaverit cum aliquibus diſpenſandum eſſe: Id cauſa cognita, ac ſumma maturitate à quibuſcunque, ad quos diſpenſatio pertinebit, erit præſtandum, aliterque diſpenſatio ſubreptitia cenſeatur.*

Delegatus igitur debet de contentis in diſpenſatione diligenter ſe informare, quia diſpenſatio Pontificis eſt Commiſſaria, quæ valida non eſt, niſi fiet inquiſitio circa expreſſa in literis, cum per clauſulam illam, *ſi preces veritate niti repereris*, mandatum reddatur conditionale, prout fuit deciſum in una Oxomeñ. Portionis, coram Veſtano die 20. Junii 1552. teſte *Caputaq. deciſ. 273. n. 1. & 2. p. 1.* Quę informatio veritatis non eſt

ne-

neceſſariò facienda judicialiter teſtibus juramento aſtrictis coram Notario, ſed poteſt exequutor extrajudicialiter ſe informare de precum veritate, idque etiam extra Diœceſim, ut probat *Sanch. lib.8. de matrim. diſput.35. n.15. & ſeqq.* Similiter non debet Delegatus exequutor ſuper narratis ſtare aſſertioni ipſorum Oratorum contrahentium, ſed debet veritatem per alias legitimas probationes, & teſtes inquirere; undè quando probandum eſt impedimentum conſanguinitatis, vel affinitatis, eſt probandum per teſtes deponentes per gradus diſtinctos, computando à ſtipite, ideſt à parentibus, vel Germanis; & ſic præſtito à teſtibus juramento de veritate dicenda, debent, non de auditu deponere, ſed per ordinem, clara computatione, utroque latere ſingulos diſtinguere gradus, nominibus propriis, vel æquipollentibus indiciis deſignãdo perſonas, & etiam debent deponere ſe vidiſſe perſonas, vel ſaltem in uno prædictorum graduum conſtitutas, pro conſanguineis ſe habere. Quando verò teſtes de auditu in aliquo caſu admittuntur, cum juramento concludere debent, ſe accepiſſe à ſuis majoribus, quod deponunt, & credere ita eſſe, ut expreſsè habetur in *cap. licèt ex quadam.47. de teſtibus, cap. tua nos.7. de conſanguin. & affinit.* Debet etiam exequutor Delegatus advertere, ne producantur teſtes minus idonei, & non rectè deponentes, ideò teſtium qualitatem perpendere debet, & an per unum, eundemque præmeditatum ſermonem deponant.

Ut autem in qualibet contractione matrimonii, cauti ſint Judices circa teſtium examen, emanarũt quædam inſtructiones Officii Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis, quas hìc recenſere non inutile erit, ſunt autem ſequentes.

In primis teſtis moneatur de gravitate juramenti, in hoc preſertim negotio pertimeſcendi, in quo Divina ſimul, & humana Majeſtas læditur, ob rei, de qua tractatur, importantiam, & gravitatem.

Interrogetur de nomine, cognomine, patria, ætate, exercitio, & habitatione.

Interrogetur an ſit Cives, vel exterus, & quatenus ſit exterus, à quanto tempore eſt in loco, in quo teſtis ipſe deponit.

Interrogetur, an ad examen acceſſerit ſpontè, vel requiſitus. Si dixerit, acceſſiſſe ſpontè, à nemine requiſitus, interrogetur, an ſciat adeſſe aliquod impedimen-

men-

mentum inter contrahere volẽtes, & ſi reſponderit negativè, dimittitur, quia præſumitur mẽdax. Si verò dixerit acceſſiſſe requiſitum: Interrogetur, an ſibi pro hoc teſtimonio ferendo, fuerit aliquid datum, promiſſum, remiſſum, vel oblatum à contrahere volentibus, vel ab alio ipſorum nomine.

Interrogetur, an cognoſcat ipſos contrahere volentes, & à quanto tempore, in quo loco, & qua occaſione, cujus qualitatis, vel conditionis exiſtant. Si reſponderit negativè, teſtis dimittitur. Si affirmativè: Interrogetur, an contrahere volentes ſint Cives, vel exteri. Si reſponderit eſſe exteros, interrogetur à quãto tempore acceſſerint ad hanc Urbem, undè venerint, an venerint ſimul, an ſeparatim. Si reſponderit, veniſſe de recenti, vel ſimul, ſuperſeditur in licentia contrahendi, donec per literas eorum Ordinarii, ac loci, à quo contrahentes receſſere, doceatur inter ipſos contrahentes non adeſſe impedimentum, & mulierem non eſſe raptam. Si reſponderit veniſſe à multo tempore citra, vel contrahentes eſſe Cives: Interrogetur ſub qua Parochia hactenus contrahentes habitarunt, vel habitent de præſenti.

Interrogetur, an ipſe teſtis ſciat, aliquem ex prædictis contrahere volentibus, quandoque habuiſſe uxorem, vel virum. Si reſponderit affirmativè, non proceditur ad licentiam, niſi producantur authenticæ, & legales atteſtationes, vel teſtes fide digni, & veriſimiliter informati de obitu conjugis defuncti. Si verò teſtis reſponderit, non habuiſſe uxorem, vel maritum:

Interrogetur de cauſa ſcientiæ, & an ſit poſſibile, quod aliquis ex illis habuerit uxorem, vel maritum, & quod ipſe teſtis neſciat. Si reſponderit affirmativè, ſuperſeditur, niſi ex aliis teſtibus probabiliter concludatur, non habuiſſe uxorem, vel virum. Si reſponderit negativè; interrogetur de cauſa ſcientiæ, ex qua deindè Judex colligere poterit, an teſti ſit danda fides, vel ne. Si reſponderit, contrahentes habuiſſe uxorem, vel maritum, ſed eſſe mortuos: Interrogetur de loco, & tempore, quo ſunt mortui, & quomodò ipſe teſtis ſciat eſſe mortuos. Item interrogetur, an poſt mortem dicti conjugis aliquis ex prædictis contrahere volentibus tranſierit ad ſecunda vota. Si reſponderit negativè, interrogetur, an eſſe poſſit, quod aliquis ex illis tranſierit ad ſecunda vota, abſque

eo,

eo, quod ipſe teſtis ſciat. Si reſponderit affirmativè, ſuperſeditur in licentia, donec producantur teſtes, per quos negativa, coarctetur concludenter. Si verò negativè: Interrogetur de cauſa ſcientiæ, qua perpenſa, Judex poterit judicare, an ſit concedēda licentia, vel ne.

Si contrahentes ſunt Vagi, nō proceditur ad licentiam contrahendi, niſi doceant per fides Ordinariorum ſuorum, eos eſſe liberos, & in aliis ſervatur forma *Concilii Trid. in cap. multi. ſeſſ. 24.*

Fides, aliaque documenta, quæ producuntur de partibus, non admittuntur, niſi fuerint munita ſigillo, & legalitate Epiſcopi Ordinarii, & recognita ſaltem per teſtes, qui habeant notam manum, & ſigillum; & in hac materia, pro teſtibus recipiuntur potius cōſanguinei, quā extranei, quia præſumuntur meliùs informati; & Cives potius, quàm exteri.

Iſtæ diligentiæ, quæ per S.C. ſupremæ Univerſalis SS. Inquiſitionis de Urbe ſunt præſcriptæ, non requiruntur in caſu neceſſitatis, quando ſcilicet matrimonium eſt contrahendum ab exiſtentibus in articulo mortis. Verùm ſi infirmus à ſua convaluerit infirmitate, non poteſt ad copulam, & cohabitationem deveniri, niſi præmiſſis dictis diligentiis, ut per eandem S.C. fuit reſcriptū Vicario Generali Neapolitano die 10. Julii 1638.

Similiter, atteſtatio Ordinarii, ea ſolemnitate, qua ſupra dictum eſt, non requiritur pro exteris, qui diſceſſerunt ab eorum infantia, vel tempore non nubili, & pervenerunt ad locum, ubi matrimoniū contrahere cupiūt, ibique continuò permanſerunt. Requiritur tamen Ordinarii atteſtatio pro exteris, qui per decem annos, & ultra domicilium acquiſierunt in loco, ubi ſunt matrimonium contracturi; etiam ſi eorū ſtatus liber probari poſſit per teſtes fide dignos, tàm originis, quàm domicilii. Similiter requiritur dicta atteſtatio pro illis exteris, qui unicam, vel plures uxores duxerunt, & è cōverſo, etiā ſi mortuæ fuerunt in loco, ubi iterum matrimonium contrahere deſiderant, nec amplius à dicto loco diſceſſerunt, ut declaravit S.C. Inquiſitionis de Urbe, quæ declarationes referūtur à *Corrad. lib. 7. diſpenſat. Apoſtolic. cap. 6. n. 22. & 23.*

Quia conſanguinei, & affines Oratorum ſunt magis idonei teſtes ad deponendum ſuper impedimento in literis expreſſo, tāquā magis informati, *jux. Tex. in cap. ſuper eo. il 2. de teſtibus,*

Hh ideò

ideò ſi dicti teſtes, qui debent deponere ſuper verificatione narratorum, non inveniuntur in Civitate, ſeù Diœceſi Oratorũ, poterit Vicarius Delegatus cõmittere hujuſmodi examen, etiã extra dictã Civitatem, vel Diœceſim; quia ut dictum eſt, in præcedenti Diſputatione, poteſt Vicarius Delegatus ſubdelegare juriſdictionem, quoad teſtes deſuper examinandos, licèt nudum miniſteriũ exequendæ diſpenſationis delegare nõ valeat: Et ita fuit practicatum in Curia Archiepiſcopali Neapolitana: nam pro verificandis contentis in literis, fuit commiſſum examẽ teſtium Epiſcopo Marſicen. in cujus Diœceſi teſtes aderant, & ita per Vicarium Neapolitanum fuit exequuta diſpenſatio, receptis literis teſtimonialibus, ſuper dictorum teſtium examine, *Corrad.lib.7.cap.6.n.47.*

Poteſt etiã Judex Delegatus, quando ab Oratoribus fuit expreſſum, quod inter eos fuit cõmiſſa copula, non ſub ſpe facilioris diſpenſationis, committere alteri receptionem juramenti, quod præcipitur in literis Apoſtolicis; videlicet, quod ipſi non habuerunt copulam ſub ſpe faciliùs habendæ diſpenſationis, & ita poteſt id cõmittere Parocho Oratorum, vel Vicario foraneo illius loci, mediante decreto, quod poteſt fieri, hoc modo.

Per Ill. & Rev. Dominum Vicarium Generalem Neapolitanũ, Delegatum Apoſtolicum, fuit proviſum, & decretum, quod ſupplicantes abſolvantur, prout præſenti decreto abſolvi mandantur in foro conſcientiæ ab inceſtu, & exceſſibus, in literis Apoſtolicis expreſſis, à Reverendo Parocho Sanctæ Mariæ Gratiarum, loci N. impoſita eis pro modo culpæ pœnitentia ſalutari, recepto prius ab eis juramento, quod ſub ſpe faciliùs habendæ diſpenſationis, hujuſmodi inceſtum non commiſerint, &c. Corrad.lib.8.cap.2.n.19. Quando autem abſolutio ab inceſtu eſt danda, vide infra in §.3. *diſp.2. q.2.* Nunc videndum eſt de verificatione cauſarum, ob quas diſpenſatio conceditur: undè

QUÆRES I.

Quid eſt verificandum à Delegato, quando diſpenſatio conceditur ob anguſtiam loci?

QUando ob anguſtiam loci conceditur diſpenſatio, vel conceditur ex eo, quia nimis eſt propagata fœminæ cognatio in loco inſigni, quẽ in-

inhabitat, nec in illo reperitur matrimoniũ æquale, præter quã cum conſanguineis, vel affinibus, Exequutor examinare debet, an in dicto loco valeat æquale matrimonium contrahere cum alio non conſanguineo, vel affine: non tamen examinare debet, an in locis circumvicinis reperitũr matrimonium æquale, quod poſſit à tali Oratrice contrahi cum illa dote; ſiquidem ex tenore ſupplicationis, quæ cum expreſſione dictæ cauſæ fit, ſufficienter manifeſtatur Pontifici voluntas Oratricis, quæ eſt contrahendi matrimonium in tali loco, & non extra, & id Pontifex conceſſit; ergo Exequutor Delegatus non debet fines mandati excedere: undè Congregatio Cardinalium ad inſtantiam Archiepiſcopi Mediolanen. die 18. Novembris 1570. declaravit, quod *Clauſula illa, quæ diſpẽſationibus occaſione dotis incompetentiæ apponi ſolet, videlicet, quia virũ ſibi non conſanguineum, vel affinẽ paris conditionis invenire nequit; verificatur, & juſtificatur per diligentiam dumtaxat præſtitam in ipſo loco mulieris, & non in locis circumvicinis*. Et ratio eſt, quia valdè durum eſt cogi fœminam extra proprium Oppidum nubere, ut ſic Patris, & Matris, ac conſanguineorum conſortio deſtituta, acerbam, ac ſolitariam vitam tranſeat, *Sanch. lib. 8. de matrim. diſp. 19. n. 13. Genuen. in prax. cap. 25. n. 6. & ſeqq.*

Nec eſt deneganda exequutio diſpenſationis ex eo, quòd in loco Oratricis reperiuntur aliqui paris conditionis, qui non ſunt conſanguinei, vel affines, & cum illis poſſet matrimonium contrahere. Siquidem pro verificãda tali cauſa, ſatis eſt, ſi communiter non reperiuntur in loco Oratricis viri pares, qui non ſint conſanguinei, vel affines, licèt aliqui pares ibi exiſtant: Nam matrimonia debent eſſe libera, & non eſt reſtrigenda mulier ad unum, vel alterum conjugium, *Sanch. l. c. n. 14.* Æqualitatem autem matrimonii Delegatus judicare debet ex generis, & divitiarum æqualitate, & inſuper ex moribus viri: aſperitas autem ingenii viri inæqualitatem facit: & etiam eſt habenda ratio, an ſit valdè diſpar ætas, vel vir ex alio matrimonio filios habeat: ex omnibus enim iſtis colligi poteſt inæqualitas matrimonii, *Sãchez l. c. n. 15.*

Debet tamen Delegatus in caſu, quo ob anguſtiam loci conceditur diſpenſatio, vel quando conceditur ob incompetentiam dotis, magnã diligentiam adhibere; quia ut plurimum dictæ

diſpenſationes ſolent eſſe ſubreptitiæ:& ideò poteſt ſe ex officio de veritate informare, & non examinare teſtes à parte productos, *Corrad. lib.7.cap.5.num.39. & 40. Genuen. in prax. cap. 25. nu.*18. Faciunt tradita per *Trident.ſeſſ.22.cap.5.de reformation.* Ordinarius autem non poteſt cognoſcere de ſubreptione diſpenſationis matrimonialis, niſi ſubreptio fuerit evidens ex confeſſione partis, vel tenore Bullæ; quia Delegatus diſpenſando nomine Summi Pōtificis cum cauſæ cognitione, facit, quod Ordinarius non valeat ſe intromittere: annotatio ad *Genuen.l.c.n.*19. *Pignatell.tom.6.conſult.*97.

QUÆRES II.

Quid eſt verificandum à Delegato, quando diſpenſatio eſt conceſſa propter Incompetentiam dotis?

EXequutor Delegatus non debet admittere diſpenſationē, cū hac cauſa, ſcilicet propter dotem minùs competentē, vel pro penitùs indotata, quando mulier ipſa nihil poſſidet, ſed ejus parentes, qui tenentur & cōpelli poſſunt ad illā dotādā, ſunt divites; nam tunc, cū ipſa habeat jus ſuccedendi in bonis parentum, ac eos compellendi ad illam dotandam ſtatim, juxtà ipſius Oratricis qualitatem, ac ipſorum parentum facultates, *l. fin. §. utranque igitur. C. de dotis promiſ.l.dotem.6.ff.de collat.bonorum*; non verificatur ejus paupertas, vel incompetentia dotis. *Corrad. lib.7.cap.2.nu.23. Sanch. lib.8.diſp.19.n.21.*

Admitti tamen debet diſpenſatio, quando Oratrix eſt pauper, & dotem habet minùs competentem, cum clauſula, *quia virum ſibi non conſanguineum, vel affinem paris conditionis invenire nequit*: Quæ clauſula verificatur, & juſtificatur per diligentiam factam, tantùm in ipſo loco mulieris, & non in locis circumvicinis: ut dictum eſt in præcedenti Quæſito, ex declaratione Sacræ Congregationis, de qua etiā *Corrad.lib.7.cap.5.n.38.*

Dicitur autem mulier pauper. Primò, quando habet dotem minùs competentem, & à patre, vel aliis aſcendentibus, qui dotare tenentur, nihil pro dote habere poteſt, ex eo, quia pauperes ſunt; licèt frater, vel quicunque alius illam dotare intendat, dummodò nullum pactū dotandi præceſſerit, ex quo jus irrevocabile fuerit mulieri quæſitum; vel ſi præceſſit pactum dotandi, fuit tamen pactum limitatum,

tum, puta promiſit dotem, dummodò illa nubat ſuo conſanguineo; tunc enim ſi in veritate ſua dos eſt incompetens pro matrimonio contrahendo cum extraneo, juxtà ſui qualitatem, & conditionem, poterit ab exequutore diſpenſari; non obſtante, quod frater, vel alius dotare intendat modo explicato: *Sanch. l. c. n. 24. Corrad. l. c. n. 24.*

Secundò, pauper mulier reputatur, & dote competenti carere dicitur, quando facultates parentum non ſufficiunt ad competenter dotandam filiam ex ſola aſſignatione legitimæ, quæ illi jure naturæ debita eſt; quamvis certa ſit, parentes velle dictá mulierem cæteris filiis præferre, & ejus conditronem meliorare; quia ipſa jus non habet, ut cæteris præferatur, ſed id ex voluntate parentũ dependet, *Sanchez lib. 8. diſp. 19. n. 23.* ubi dicit, id maximè procedere in illis locis, ubi parentes tantùm legitimam dare tenentur, nec poſſunt filiam cauſa dotis præferre, ex eo quia, jure municipali, hoc eis interdicitur.

Tertiò, pauper mulier dicitur, quando ejus parentes in eorum vita nequeunt ſe ſpoliare parte bonorum, pro competente dote conſtituenda; cum bona illa vix ſufficiant (ut ſupponimus) pro honeſta & convenienti ſuſtentatione propriæ vitæ: adeoque licèt mulier habito reſpectu ad bona, in quæ, parentibus defunctis neceſſariò eſt ſucceſſura, dicatur dives, vel dotem habere competentẽ, tamen hic, & nunc in tali circumſtantia poſita, dicitur pauper; nam dos deſervit pro ſuſtinendis oneribus matrimonii, & ideò ſtatim contracto matrimonio eſt habenda, *Sanch. lib. 8. diſp. 19. nu. 25.* Oppoſitum videtur tenere *Corrad. lib. 7. diſp. Apoſtolic. cap. 2. n. 23.* qui licèt in principio dicat, quòd non dicitur indotata ex eo, quia habet jus ſuccedendi in bonis parentum, ac eos compellendi ad illã dotandã ſtatim, juxtà ipſius mulieris qualitatem, & parentum facultates, tamen ſubdit: *Parum refert, quod juxtà præſentem ſtatum, nihil habeat*: Quod tamen falſum eſſe, patet ex dictis.

Quartò, mulier pauper dicitur, quando bonis liberè renunciavit, quocunque fine; dummodò renunciatio non ſit facta eo animo, ut valeret paupertatis titulo obtinere diſpenſationem contrahendi cum cõſanguineo, ut ſuſtinet *Sanch. l. c. n. 26.* quamvis alii aſſerant, etiam in tali caſu pauperem eſſe: Quod ego admitterẽ, quãdo renunciatio fuiſſet facta abſque pacto expreſsò, vel

vel tacito retrotradendi contracto jam matrimonio. Ratio eſt, quia ſtante tali renunciatione abſoluta, verè dicitur pauper, cū bona non habeat. Solùm in dubium poſſet revocari, an ex eo, quod renunciatio eſt facta in fraudem Sacrorum Canonum ad extorquendam à Pontifice diſpenſationem, reddatur impetratio ſubreptitia, & ita ex iſto tantùm capite ſit nulla.

Poteſt hìc dubitari, an valeant diſpenſationis literæ ratione incompetentiæ dotis, quādo tempore impetrationis mulier verè carebat dote, ſed antequam per Ordinarium exequerentur, fuit inſtituta hæres, vel fuit relicta Legataria magnæ quantitatis; & ſic fuit facta dives.

Ad hoc dicimus, quod ſi hæreditatem, vel legatum acceptat, fruſtratur diſpenſatio, quia ceſſat cauſa diſpenſationis: poteſt tamen mulier ne valor diſpenſationis ceſſet, non acceptare, ſed repudiare hæreditatem, vel legatum, quia per repudiationē non minuitur ejus patrimoniū, ſed tantùm non augetur, cum repudiare ſit non acquirere: & ſicuti poteſt debitor nolle acquirere hæreditatem, vel legatum, *l. qui autem. ff. quæ in fraudem.* Gomez, & alii relati à *Sanch. lib. 7. de matrim. diſp. 4. n. 9.* quāvis *Bonac. tom. 2. tract. de reſtitutione in genere diſp. 1. q. 8. punct. 2. nu. 36.* cum aliis dicat, quod mortaliter peccat; ita poterit iſta mulier nolle illa acquirere, ut benè probat *Sanch. lib. 8. diſp. 19. n. 27. Corrad. lib. 7. diſpenſat. Apoſtolic. cap. 2. n. 25. & ſeqq.*

Ex hoc infertur, quod ſi mulier inſcia ipſam fuiſſe inſtitutam hæredē, vel Legatariam, eò quòd id fuit in partibus remotiſſimis, miſit Romam pro obtinenda diſpenſatione, allegando ſuam paupertatem; qua obtenta, & matrimonio virtute illius contracto, ſi deindè notitiam habet inſtitutionis, vel legati, poteſt acceptare hæreditatem, vel legatum ſine præjudicio valoris matrimonii; quia vera paupertas fuit allegata Pontifici, cum illa nondum acceptaverat hęreditatem, vel legatum, & tunc temporis inſcia erat illius juris ad rem: ita *Sanch. l. c. n. 28. Corrad. loc. cit. num. 27.*

Quintò, mulier dicitur pauper, & dotem inſufficientem habere, quando abſolutè habet dotem ſufficientem, ſed reſpectivè ad ejus ſtatum, & ad circumſtātias ſuæ perſonæ, non eſt ſufficiens, puta quia ipſa grandæva eſt, vel filios ex alio matrimonio habet, vel eſt deformis, aut aliquo

quo crimine diffamata; ſufficientia enim dotis non eſt conſideranda abſolutè, ſed reſpectivè, ut mulier nubere valeat, *Sanch. loc.cit.nu.29.* faciunt tradita per *Dian.tom.1.p.2.tract.16.Miſcell. reſol.52. Antonell. de regim. Eccl. lib.1.cap.10. §.1.nu.6. Pignatell. tom.1.conſult.41.n.4.*

Sextò, mulier dicitur habere dotem incompetentem, quando ejus pater, qui plures filias habet, poſſet commodè dotare unã, ſed habita ratione dotis aliarum filiarum, non poteſt unam dotare: quod ſi pro ſecunda remaneret dos competens, ſecundùm conſuetudinem loci, licèt talis dos non aſcendat ad quantitatẽ primæ, non tamen ex hoc dici poteſt, primam habere dotem incompetentẽ, ut advertit *Corrad. lib.7.cap.2.n.34.& ſeqq. Genuen. in prax.cap.25.n.8.* ubi etiam dicit, quod circa diſpenſationem impetratam propter incompetentiam dotis, ſufficit defectus dotis ad contrahendum cum illo, qui mulierem petit, & non cum quolibet ſibi pari, nec habetur ratio, quod puella ſperet magnam hæreditatem, quæ ſibi de neceſſitate non debetur, etiã ſi materna ſit. Hæc ille.

QUÆRES III.

Quomodo ſe gerere debet Exequutor, quando petitur diſpenſatio ratione incompetentiæ dotis, & Orator intendit cum dicta dote mulierem illam ducere, illiuſq; dotem competenter augere ſecundùm qualitatem dictæ mulieris?

Clauſula iſta de *augenda dote*, quando diſpenſatio petitur ob illius incompetentiam, non requiritur in omnibus gradibus, ſed tantùm in quibuſdam gradibus proximioribus, puta in ſecundo, & tertio, vel in tertio tantùm, ſivè conſanguinitatis, ſivè affinitatis: ſimiliter in ſecundo, & quarto gradibus à communi ſtipite diſtantibus, & in primo gradu publicæ honeſtatis juſtitiæ: ſi verò diſtarent Oratores in tertio, & quarto gradu, ſivè ex eodem, ſivè ex diverſis ſtipitibus proveniant, non requiritur illud augmentum dotis, *Corrad. lib.7.diſp.Apoſtolic.cap.2. num.37.*

Exequutor igitur, quia verificare debet, dotem eſſe incompetentem, ideò non poteſt diſpenſare in ſupradictis gradibus, vigore Apoſtolicæ diſpenſationis cum ſupradicta cauſa, niſi

prius

prius dos ipſa augeatur competenter, ſecundùm qualitatẽ mulieris, nam inter clauſulas, quæ in literis per Officiales præpoſitos ſupplicationibus matrimonialibus apponuntur, reperitur iſta clauſula. *Et poſtquam dictæ Oratricis dos competenter aucta fuerit, ut præfertur*: *Corrad.lib.7. diſp.Apoſtolic.cap.2.nu.38. Sanch. lib.8.diſp.35.n.7.*

Duo tamen dubia hìc remanent diſcutienda. Primum, an tale augmentum dotis ſit faciendum ab ipſo Oratore tantùm, an verò valeat fieri ab alio. Secundum, an tale augmentum ſit faciendum uſque ad integritatem dotis, ſecundùm qualitatem mulieris.

Ad primum dicimus, quod ſufficit, ut augmentum dotis fiat, ſivè ab ipſo Oratore, cũ quo vult matrimonium contrahere, ſivè ab alio, qui intantùm dotem vult augere, ut matrimonium cum tali conjuncto contrahat: undè ſi vir propter paupertatem non valet dotem augere, poterit alius augere, hac conditione, ut cum tali viro contrahat, & non aliàs, quia in hac matrimoniali materia parùm refert, à quo, & ex cujus bonis augmentum fit, ſed ſolùm ſpectatur augmentũ dotis mulieris pauperis, quod augmentum habetur etiam ab illo, qui ex liberalitate auget, ut huic nubat; & parum refert, quod Orator in ſupplicatione dixit, ipſum velle augere dotem, quia tale mendacium, eſt circa rem nil conferentem ad diſpenſationem, *Sanch.lib.8.de matrim. diſp.35.nu.6. Corrad. lib.7.cap.2. n.48.& ſeqq.*

Ad ſecundum, cum diſtinctione loquendum, nam vel Orator in ſupplicatione dixit, *quod illius mulieris dotem uſque ad quantitatem, ſecundùm qualitatem dictę mulieris competentem augere intendit*. Vel dixit, *velle augere competẽtem dotem dictæ mulieris*. Si primum, eſt neceſſariò integra dos dictæ fœminę augenda, itaut augmentum illud, ſimul cum illius fœminæ dote plenam, & ſufficientẽ dotem cõſtituat, juxta fœminæ qualitatem: quia cum verbum *Augere*, cadat ſupra quantitatem dotis, & adſit particula *Uſque*, juncta cum quãtitate illius dotis augenda, videtur complectere totam quantitatem dotię quæ deerat, ut dos illa eſſet competens, ſecundùm qualitatem mulieris. Si ſecundum, tunc non tenetur integram quãtitatem dotis ſupplere, ſed ſufficit ſi ſuppleat augmentum cõpetens, & conſideratione dignũ, ſecundùm qualitatem fœminæ, *Sanch.l.c.Corrad.lib.7.cap.2.n.39.*

Verùm

Verùm ad tollendas omnes difficultates ſint moniti Oratores, ut non ſimpliciter dicant, *quod intendunt augere dotem*, ſed ſpecificent qualitatem ipſius augmenti, *Corrad. l. c. n. 44.*

Curare igitur debet Exequutor, quando vult in iſto caſu diſpēſare virtute Apoſtolicæ diſpēſationis, ut augmentum revera ſolvatur mulieri, vel illud ei aſſignetur, & promittatur mediāte ſcriptura publica, acceptante muliere, *Sanch. l. c. n. 7. Corrad. l. c. n. 40. ubi n. 43.* dicit, quod in Curia Archiepiſcopali Neapolitana non admittitur vir ad conſtituendum Oratrici dotem, ſivè illius augmentum ſuper omnibus bonis ſuis, ſed in ſpecie debet oſtendere ſe habere bona particularia, ſuper quibus debet facere conſtitutionem, ut ita ſit magis cōſultum uxori in caſu mortis viri.

Sciat tamen exequutor, quod licèt in tali augmento faciendo intercedat præjudicium filiorum primi matrimonii, non debet ex hoc retardare exequutionem; quia cum tale augmentum detur ob cauſam oneroſam, ſcilicet, ut Pontifex diſpenſet, debet extrahi ex toto patrimonio, etiam in filiorum præjudicium, *Sanch. lib. 8. diſp. 35. nu. 7. Corrad. lib. 7. cap. 2. n. 41. & ſeq.*

Advertat etiam exequutor, quod ſi diſpenſatio fuerit petita ad contrahendum cum cauſa *incompetētis dotis Oratricis*, & poſtea in illius verificatione fuerit compertum, Oratricem eſſe omninò indotatam: vel ſi fuerit diſpenſatio impetrata cum cauſa *pro Oratrice indotata*, & poſtea conſtat eam habere dotem, licèt incompetētem; diſpenſatio redditur nulla, quamvis Orator vellet augere dotem. Quo caſu diſpenſatio corrigi non poteſt, ſed eſt impetranda nova gratia ſaltem in forma *perindè valere*, ut dicit *Corrad. l. c. n. 51. & ſeqq.*

QUÆRES IV.

Quid verificandum quando diſpenſatio petitur propter lites ſuper ſucceſſione bonorum?

NOn ſufficit, quod lis ſuſtineatur ſuper ſucceſſione quorundam bonorum, quia pro modicis bonis non datur diſpenſatio. Verùm cujus quantitatis, vel qualitatis debeant eſſe bona, ut valeat diſpenſatio exequi, pendet ex arbitrio exequutoris, cui relinquuntur ea, quæ certa lege definita non ſunt, *Corrad. lib. 7. diſp. Apoſtolic. cap. 2. n. 57.*

QUÆRES V.

Quid verificandum quando diſpenſatio datur propter dotem litibus involutam?

EXequutor debet inſpicere, & indagare, an ſint lites, & an dictus Orator ſit valdè neceſſarius ratione ſuæ peritiæ circa illam litem, aut alia de cauſa neceſſarius ſit, itaut magna cũ difficultate mulieri ſubveniri poſſit, non inito inter eos matrimonio, *Corrad.l.c.n.61.*

QUÆRES VI.

Quid verificandum quando diſpenſatio datur propter lites ſuper rebus magni momenti?

NOn poteſt Exequutor ad exequutionem literarum procedere, niſi prius conſtito de litibus, & niſi facta hinc indè litium hujuſmodi ceſſione, ſeù compoſitione; quia in literis, quę expediuntur, ſemper apponi conſuevit iſta clauſula, *& facta prius litium hujuſmodi ceſſione, ſivè earum compoſitione, Corrad. lib.7. diſp. Apoſtolic. cap.2. n.63. & ſeq.*

QUÆRES VII.

Quid verificandum quando diſpenſatio datur propter inimicitias?

PRobandum eſt inimicitias eſſe graves, quia ex levi inimicitia nõ præſumitur quis velle alium lædere, & graves inimicitiæ dicuntur, quæ ortæ ſunt ex injuria atroci, vel ex controverſia omnium bonorum; cum cauſa pecuniaria ardua, capitali æquiparetur, *Bald. in l. parentes. C. de teſt.* nam pecuniæ, loco ſanguinis ſunt, *l. advocati. C. de advocat diverſ. judic. Jaſon. in l. nec quicquam. §. ubi decretum. n.2. in fin. ff. de offic. proconſul.* Inimicitiæ verò ex aliis cauſis ortæ, an ſint graves, vel non, remittitur arbitrio Judicis, qui ex circumſtantiis, & qualitate perſonæ, & inimicitiæ æſtimabit, an illæ verè tales fuerint, quales aſſeruntur, *Menoch. de arbitrar. Judic. lib.2. centur.2. caſu 110.*

Inimicitiæ igitur ſunt coram Delegato plenè, & concludenter probandę per teſtes ſuper dictis inimicitiis deponentes; qui inimicitiæ qualitatem probare debent in ſpecie, & non in genere: & debet aſſignare cauſam inimicitiarũ; quia teſtes debent

ſui dicti probabilem rationem reddere, alias nihil probāt *Bald. in l.ſiquis teſtib.n.8. & in l.ſolam. C.de teſtib.Corrad.lib.7.diſpenſat. Apoſtolic.cap.2. à n.66.uſq.ad* 73.

Poſſet etiam Exequutor admittere diſpenſationem, quamvis inimicitiæ non vigeant de præſenti, ſed pax de recenti inter illas perſonas fuit inita; quia in iſto caſu non videtur omninò ſublatus effectus præcedentis inimicitiæ, ſed adhuc præſumitur, odium, & animus nocendi adeſſe; & ideò poſt pacem de recenti initam, remanent dictæ perſonæ etiam ſuſpectæ, adeout etiam à teſtimonio ferendo repellantur, *Innoc.in cap.cum oporteat.n.6.de accuſat.Corrad.loc.cit. n.*78.Sed cautius eſt in ſupplicatione exprimere,non ſolùm cauſam *propter inimicitias ſedandas*, ſed etiam *propter confirmationem pacis*.

QUÆRES VIII.

Quid verificandum quando diſpenſatio datur pro Oratrice excedente 24. annum?

NIhil aliud probandũ,quàm exceſſus 24. anni, qui exceſſus ſufficienter habetur, ſi vigeſimum quintum annum attingit:ex hoc enim ſufficienter probatum habetur, illam virum paris conditionis hactenus non inveniſſe; quia credendum non eſt, quod ſi inveniſſet virum ſibi parem, ei nubere noluiſſet, quatenus voluiſſet virum habere. Quod ſi ex Oratricis cōfeſſione, vel aliundè conſtaret,illam huc uſque nubere noluiſſe, tunc non ſufficit probare talem exceſſum ætatis,ſed etiam probare debet, quod non poteſt invenire virum paris conditionis, qui non ſit conſanguineus, vel affinis, *Corrad. lib.7. diſpenſ.Apoſtolic. cap.2. n.93.circa finem.*

QUÆRES IX.

Quid verificandum quando diſpenſatio datur ob excellentiam meritorum?

MErita ipſa veniūt verificāda corā Exequutore;quia gratia Pontificis abſolutè fundata eſt in meritis Oratoris, & ideò, cum merita allegata in conditionem ſonant, probanda ſunt, præſertim, quia in diſpenſatione apponitur clauſula illa, *ſi preces veritate niti repereris, &c. Corrad.l.c.n.*110.*in fine.*

QUÆRES X.

Quid verificandum quando diſpenſatio datur ex certis rationabilibus cauſis?

COram Exequutore nõ ſunt probandæ dictæ cauſæ, nec declarandę; quia cum dictæ cauſæ in animo conſiſtant, ſoli Deo debent eſſe cognitæ. Nec obſtat, quod in litteris ſit appoſita clauſula, *te diligenter informes*; quia illa refertur ad impedimentum, quod allegatur, in quo eſt diſpenſandum, & non ad alia narrata, *Corrad.l.c.n.113. Sanch.lib. 8.diſp.35 n.24.*

QUÆRES XI.

An quando Oratores in ſupplicatione mentionem fecerunt ſe eſſe nobiles, vel de nobili genere procreatos, aut principales Oppidi, vel illuſtres, debent id coram Exequutore probare.

DIſtinguas, vel ſupradicta qualitas Oratorum exprimitur mere narrando in principio, dicendo, quod ipſi, qui ex honeſtis familiis, aut nobiles, &c. Vel exprimitur in corpore narrativæ ſupplicationis pro ſecundo, & tertio gradibus, cum cauſa *propter anguſtiam, &c.* dicendo: *Cupiunt Oratores prædicti, qui ex honeſtis familiis, ſeù nobiles, &c.* (nam quando Oratores intendunt effugere clauſulam, *& ſi extra, &c.* tenentur eorum qualitatem exprimere.) Si primùm, qualitas Oratorum non eſt verificanda coram Exequutore; quia ponitur per modum præfationis, & non tanquam cauſa ad diſpenſandum. Si ſecundùm, verificanda eſt; quia venit per modum conditionis, *Corrad. lib.7. diſp. Apoſtolic.cap.2. num.115.& ſeqq. Sanch.lib.8.diſp. 35. num.25.*

Hinc quando Oratores ex honeſtis familiis ſe aſſerunt exiſtere, debent probare, ipſos honeſtè vivere, & eorum familiam nullo turpitudinis vitio laborare, *Corrad.l.c.n.118.* Quando aſſerunt ſe nobiles eſſe, debẽt probare, ſe nobiliter vivere, abſtinendo ſe ab his, quæ populares facere conſueverunt, & ea exercendo, quæ ad ſtatũ nobiliũ ſpectant: nõ tamen requiritur, quod nobilitas ſit ex antiqua progenie, ſed ſufficit, quod nobiliter vivant; niſi diſpenſatio ſit pro Oratoribus de nobili genere procreatis; quia tunc non ſufficit probare, ſe nobiliter vivere, ſed eſt probanda nobilitas patris,

tris, & matris per teſtes, vel per inſtrumenta, & privilegia, *Corrad. l.c.n.119.* Similiter in tali caſu non ſufficit probare ſuam nobilitatem ex honoribus, vel divitiis, ſed ex genere, *Corra.l.c. n.120.* Quando diſpenſatio petitur pro illuſtribus perſonis, eſt probandum, Oratores eſſe de genere ſplendente juriſdictione, & imperio, ut ſunt Duces, Comites, &c. *Corrad.l.c.* Et tandem quando narratur Oratores eſſe principales, vel ex principalioribus populi, tunc ſufficit probare eos eſſe viros potentes, & valdè divites; licèt non ſint nobiles, *Corrad.l.c.n.121.& ſeq.*

QUÆRES XII.

Quid verificandũ quando diſpenſatio fuit conceſſa in forma pauperum?

Ultra alia expreſſa in literis, eſt ab Exequutore verificanda paupertas Oratorum, ſcilicet, quod illi verè pauperes, & miſerabiles, & quod tantùm ex proprio labore, & induſtria vivunt: undè non ſufficit ſi abſolutè probetur paupertas, habita cõſideratione qualitatis perſonarum, ſed neceſſariò eſt probandum, quod tantùm ex labore, & induſtria ſua vivunt, quia in literis ponitur clauſula illa, *dummodò pauperes, & miſerabiles exiſtant*, *Corrad.lib.8 cap. 5.n.20.* quæ paupertas non ſufficit, quod ſit probata in Dataria per fidem Ordinarii, ſed denuò eſt verificanda coram Delegato, quando præſentatur reſcriptum, & ideò ſi tali tempore reperiantur Oratores divites, gratia eis conceſſa non habet effectum, *Corrad.l.c.n.30. & ſeq.* undè antequam publicam incipiant Oratores pœnitentiã, debent paupertatem probare, ne facta pœnitentia, reperiatur illos non eſſe pauperes.

Quamvis probatio paupertatis arbitrio Judicis ab aliquibus relinquatur, *Gloſ.communiter recepta in auth. præterea. C. undè vir, & uxor, Covar.variar.reſol. lib.2. cap.6. n.8. Franch.dec.249. nu.7.* Tamen alii dicunt, quod pauper dicitur ille qui habet quidem bona ſufficientia, ut poſſit vivere, non tamen ſecundùm conditionem ſuæ perſonæ, *Antonel. de regimine Eccleſiæ lib.1. cap.10.§.1.n.6. Diana tom.1.p.2. tract.16. Miſcell.reſol.52.Pignatell.tom.1.conſul.41.& Paulus de Caſtro in l.id, quod pauperibus. C. de Epiſcopis, & Clericis n.4.* ponit differentiam inter inopem, & pauperem. De jure verò pauper eſt ille, qui minus, quàm quinqua-

quaginta aureos habet, *l. nonnulli.10. ff. de accuſationib.* ſicut locuples eſt, qui ſatis, & idoneè habet pro magnitudine rei, quã actor reſtituendam eſſe petit, *l. quos nos.234. §. locuples. ff. de verborum ſignificat.* Sed in caſu noſtro nõ ſolùm eſt probanda paupertas, ſed etiam, quod proprio labore, & induſtria vivunt.

Plenè autem probatur paupertas, etiam ſi negativa ſit ejus aſſertio, puta ſi teſtes deponant, Titium habere iſta bona, & non plura, adjecta ea ratione, quia ſi plura Titius haberet, ipſi teſtes hoc ſcirent, nec poſſent ignorare inſpecta peculiari, & certa ſcientia, quam habent de ejus patrimonio, *Gloſſ. in auth. de hæredib. & falcidia. §. verò ſi adſunt, verbo, & vidiſſe, & in l. 1. in principio. ff. de itinere, actuque privato*, *Covarr. lib. 2. variar. cap. 6. num. 8.*

Teſtes, qui de paupertate Oratorum deponunt, vel deponunt, quod Oratores ſunt pauperes, & nihil poſſident, ſed tantùm proprio labore, & induſtria vivunt, & tunc talis probatio valet: vel deponunt de paupertate Oratorum attenta eorum qualitate, quia poſſident aliqua bona, ſed nõ ſunt magni momenti; & tunc talis probatio eis non prodeſt, quia licèt pauper dicatur, qui non habet in bonis quinquaginta aureos, ut ſupra dictum eſt, & miſerabilis dicatur ille, ad cujus commiſerationem nos natura inclinat, *Corrad. lib. 8. cap. 5. n. 12. & ſeqq.* tamen ad effectum obtinendi diſpenſationem propter paupertatem, requiritur, quod Oratores adeò pauperes, & miſerabiles ſint, quod ex labore, & induſtria manuum ſuarum vivãt, ut dictum eſt. Sed de probatione paupertatis Oratorum in ſequenti Diſputatione ſermo erit, in *Quæſit. 2.*

QUÆRES XIII.

Quomodò intelligitur aliquos diſtare in duplici quarto gradu, vel in ſecundo, & tertio, aut quadruplici quarto, &c.

QUamvis de jure Canonico inter collaterales diſtantia deſumatur per ordinem ad ſtipitem, undè quandò inæqualiter à ſtipite diſtant, illo gradu diſtant inter ſe, quò remotior diſtat à communi ſtipite, ſicut quando æqualiter à ſtipite diſtant, illo gradu diſtant inter ſe, quò unus eorum diſtat à communi ſtipite; tamen de ſtylo Curiæ, pro obtinenda diſpenſatione in impedimentis matrimo-

mo-


monii, quando aliqui ex pluribus capitibus ſe attinent,& conſanguinitas ex multiplici parte conſurgit,quia tunc non eſt unica ſanguinis communicatio, ſed multiplex(ſivè ab uno ſtipite,ſivè à diverſis ſtipitibus deſcendant) ideò non ſufficit unam diſtantiam explicare, ſed requiritur, quod omnes diſtantiæ, ex quibuſcunque capitibus provenientes exprimantur.

Hinc multoties diſpenſationes conceduntur pro illis, qui ſunt in duplici quarto: vel triplici quarto: vel quadruplici quarto: vel in tertio, & quarto, ac quarto: vel in duplicibus tertio, & quarto: vel in duplicibus tertio, & quarto, ac quarto: vel in tertio,& quarto,ac duplici quarto: vel in duplicibus tertio, & quarto, & duplici quarto: vel in triplici tertio,& quarto,ac quarto: vel in tertio, ac duplici tertio, & quarto: vel in tertio, & tertio,ac quarto: vel in tertio ex uno, ac duplici quarto: vel in tertio ex uno, tertio, & quarto ex altero, & quarto ex reliquo: vel in duplicibus ſecundo,& tertio. Undè pro petenda diſpenſatione inter conjunctos, neceſſe eſt ſcire quomodò iſti ſe attineant,ut poſſit vera diſtantia exprimi, non ſolùm pro compoſitione ſolvenda, quæ variatur ſecundùm quod variantur gradus, ſed etiam, ut reſcriptũ careat vitio ſubreptionis, vel obreptionis; quæ diſtantia cum ſit examinanda, & verificanda ab Exequutore Delegato, ut in ſequenti Quæſito habes ex decreto diſpenſationis, ideò debet ipſe ſcire quomodò enumeratæ diſtantiæ intelliguntur: de quare aliqua à nobis fuerunt tradita ſupra *Diſp.4.q.2.& 3.* In præſenti autem aliqua alia addam ad majorem rei intelligentiam.

In duplici quarto diſtantia eſſe poteſt, vel ex eodem ſtipite, vel ex diverſis ſtipitibus. Ex diverſis ſtipitibus eſt, quando non ſolùm ſub uno ſtipite diſtant in quarto gradu, ſed etiam ſub alio ſtipite, ſit exemplum poſitum à *Corrad. lib.7. diſp.Apoſtolic.cap.5. num.87.*

Po-





EXplicationem hujus duplicis quarti gradus ponit *Corrad. l.c.n.*88.dicendo, quod Annibal ſponſus, & Portia ſponſa ſunt in duplici quarto gradu, quia ſub uno ſtipite, ſcilicet ſub Polydoro ſunt Jo: Baptiſta pater Annibalis ſponſi, & Octavius pater Portiæ ſponſæ, ſub alterò verò ſtipite, ſcilicet ſub Trojano ſunt iidem Octavius pater Portię ſpōſæ, & Jo:Baptiſta pater Annibalis ſponſi, & ſic ſub utroque ſtipite habent dicti ſponſi ſuos genitores, & ſub utroque in quarto gradu diſtant. Sed quomodò Portia deſcendat à Polidoro, & à Trojano non dicit, undè adhuc legens remanet perplexus, quomodò in exemplo poſito ſalvari valeat dicta diſtantia duplicis quarti gradus.

Dico tamen, quod iſta diſtantia provenit ex eo, quod ſub ſtipite Polydori Fabricius pater Octavii matrimonium contraxit cum Portia, quæ eſt ſub ſtipite Trojani, & ex tali matrimonio natus eſt Octavius, & ita ſub utroque ſtipite cōtinentur Portia ſponſa, & Annibal ſponſus,& ſub utroque, quarto gradu diſtant, dinumeratione facta ſecundùm jus Canonicum. Poſſet

etiam

etiam talis diſtantia duplicis quarti provenire, ex eo quod Jo: Aloyſius natus Polydori, duxit in uxorem Juliam, Trojani natam, à quibus per ſucceſſivas generationes deſcendit Annibal; Franciſcus Polydori natus, & Jo: Aloyſii frater, matrimonium contraxit cum alia ſorore Juliæ, à quibus per ſucceſſivas generationes deſcendit Portia, tunc Portia ſponſa ſub utroque ſtipite quarto gradu diſtat ab Annibale ſponſo, unde in figuris poſitis eſſent mutanda aliqua nomina, & ubi dicit Antonius dicas Antonia uxor Franciſci, ubi dicit Portia, dicas Fabricius, vel mutare potes nomina ſub ſtipite Polidori in eo ſenſu, quo dictum eſt.

Sub eodem ſtipite etiam datur diſtantia duplicis quarti gradus, & poteſt eſſe, quando ſub eodem ſtipite ſunt tres fratres, vel ſorores, puta Petrus, Paulus, & Joannes, & quilibet facit ſuam deſcendentiam, unus ex deſcentibus Petri tertio gradu diſtans à communi ſtipite, mediante diſpenſatione matrimonium contrahat cum deſcendente Pauli, quæ etiam tertio gradu diſtat à ſtipite, ex quibus naſcitur Nicolaus E. G. ſponſus, qui quarto gradu diſtat à communi ſtipite, tunc Antonia ſponſa deſcendens Jo: quarto gradu diſtans à communi ſtipite, dicitur in duplici quarto diſtare à Nicolao ſub eodem ſtipite, quia Nicolaus eſt deſcendens Petri, & Pauli, ut patet, & in quarto gradu diſtat ab Antonia, tam ſi conſideretur, ut deſcendens Petri, quàm ſi cōſideretur, ut deſcendens Pauli, & ita in duplici quarto gradu diſtant.

Exemplum diſtantiæ quadruplicis quarti gradus ponitur à *Corrad. l. cit. n. 89.* ubi ponit talem diſtantiam ex diverſis ſtipitibus hoc modo.

	Jo: ſtipes				Franciſcus ſtipes	
Joannes I.	Margarita I.	Ludovicus I.		Maria I.	Antonius I.	Joanna I.
Catharina II.	Franciſca II.	Magdalena II.		Franciſcus II.	Ferdinandus II.	Antonius II.
Ludovica III.	Nicolaus III.	Franciſcus III.		Nicolaus III.	Franciſcus III.	Hieronyma III.
Jo: Sponſus IV.	Maria Sponſa IV.	Jo: Sponſus IV.		Maria Sponſa IV.	Jo: Sponſus IV.	Maria Sponſa IV.

Dicit ergo citatus Doctor, quod Jo: ſponſus, & Maria ſponſa in quadruplici quarto cõſanguinitatis gradu diſtant, quia Franciſcus, & Ludovica genitores Jo: cum ſint in tertio gradu conſanguinitatis conjuncti, contraxerunt prævia diſpenſatione ſuper eodem tertio gradu conſanguinitatis, & ita Maria ſponſa in duplici quarto gradu diſtat à Jo: ſponſo in ſtipite Joannis. Quo verò ad alium ſtipitem Franciſci, ſunt etiam ipſi Jo: & Maria in duplici quarto conſanguinitatis gradu, quia Nicolaus, & Hieronyma genitores Mariæ contraxerunt pariter prævia diſpenſatione etiam in tertio gradu conſanguinitatis. Initium autem hujus parentelæ ex eo provenit, quia in principio harum arborum Joannes eſt vir Mariæ, Antonius vir Margaritæ, & Ludovicus vir Joannę.

Verùm in hoc exemplo non mihi videtur, quod poſſit colligi diſtãtia quadruplicis quarti gradus, imò in eo falſum continetur; ponitur enim, quod Jo: eſt vir Mariæ, ergo ex Jo: & Maria debent eſſe iidem deſcendentes,

quo-

quomodo ergo ex Jo: deſcendit Ludovica, & ex Maria deſcendit Nicolaus, qui etiam ex Margarita deſcendit? Præterea, ſi Antonius, & Margarita ſunt vir, & uxor, ergo deſcendentes Antonii ſunt etiam deſcendentes Margaritæ, quomodo nunc Nicolaus deſcendit à Margarita, & Franciſcus deſcendit ab Antonio, & à Ludovico; Patet igitur, quod non rectè proceſſit *Corradus* in figura poſita pro quadruplici quarto gradu, nec aliquod explicavit, pro habenda cognitione talis diſtantiæ, & ſituationis perſonarum.

Hanc diſtantiam quadruplicis quarti gradus habes ſi ſupradictum exemplum hoc modo corrigas, Joannes ſit vir Mariæ, ſub Joanne ponas Catharinam, Ludovicam, Jo: ſponſum, quæ perſonæ etiam ſub deſcendentia Mariæ ſub ſtipite Franciſci poni debent, cum Maria, & Jo: ſint vir, & uxor. Sit Margarita uxor Antonii, ſub Margarita ſit Franciſca, ſit Nicolaus, qui mediante diſpenſatione matrimonium contraxit cum Ludovica ex deſcendentia Joannis, ex quibus Joannes ſponſus, etiam procreatus eſt, quæ perſonæ etiam poni debent ſub deſcendentia Antonii in ſtipite Franciſci. Sit Ludovicus vir Joannæ, ex quibus deſcendant Magdalena, Franciſcus, & Maria ſponſa, quæ perſonæ etiam poni debent ſub deſcendentia Joannæ, cum Ludovicus, & Joanna ſint vir, & uxor. Hoc modo formata arbore habes, quod Maria ſponſa ſub ſtipe Joannis diſtat à Jo: ſponſo in duplici quarto gradu, quia per duas collaterales lineas ſibi jungitur, ſcilicet per lineam Margaritæ, & per lineam Joannis, ſtante matrimonio contracto inter Nicolaum, & Ludovicam mediante diſpenſatione. Similiter habes in ſtipite Franciſci, quod Maria ſponſa diſtat in duplici quarto gradu à Jo: ſponſo ob ſupradictam rationem, & ita diſtãtia eſt in quaduplici quarto gradu ex diverſis ſtipitibus.

Poteſt etiam talis diſtantia quadruplicis quarti gradus haberi ſub eodẽ ſtipite, quando ſcilicet ſunt quinque fratres, vel ſorores, & quilibet facit ſuam deſcendentiam, & perſonæ unius lateris mediantè diſpenſatione copulantur cum perſonis alterius lateris, in certis tamen gradibus, ut patet in ſequenti arbore.

		Franciſcus ſtipes		
Januarius I.	Dominicus I.	Felix I.	Joſeph I.	Petrus I.
Margarita uxor Pauli II.	Paulus vir Margaritæ II.	Cajetanus vir Portiæ II.	Portia uxor Cajetani II.	Nicolaus II.
Alexander vir Tereſię III.	Alexander vir Tereſię III.	Tereſia uxor Alexandri III.	Tereſia uxor Alexandri III.	Franciſcus III.
Andreas Sponſus IV.	Andreas Sponſus IV.	Andreas Sponſus IV.	Andreas Sponſus IV.	Catharina Sponſa. IV.

Ex hac arbore patet, quod Margarita, & Paulus ſecundo gradu inter ſe diſtantes, matrimonium contraxerunt mediante diſpenſatione, ex quo matrimonio eſt genitus Alexander; Similiter Cajetanus, & Portia ſecundo gradu diſtantes, contraxerunt mediante diſpenſatione, ex quo matrimonio procreata eſt Tereſia, nunc mediante diſpenſatione in duplici tertio cōſanguinitatis gradu matrimonium contrahunt Alexander, & Tereſia, ex quibus generatur Andreas ſponſus, qui ex ratione jam dicta eſt collocandus in linea Januarii, Dominici, Felicis, & Joſephi, & ita Catharina ſponſa, quæ à Petro deſcendit, diſtat à dicto Andrea ſpōſo in quadruplici quarto gradu, quia talis diſtantia ex quadruplici parte cōſurgit, ſcilicet, in quantum Andreas eſt deſcendens Januarii, Dominici, Felicis, & Joſephi.

Diſtantia verò in tertio, & quarto, ac quarto habetur ex hoc, quod aliqui ſecundo, & tertio gradu diſtantes, matrimonium inter ſe, prævia diſpenſatione contraxerunt, ex quibus filia

filia procreata eſt, nunc collateralis quarto gradu à ſtipite diſtans, vult cum iſta filia matrimonium contrahere, requiritur in iſto caſu diſpenſatio in tertio, & quarto, ac quarto, quia dicta filia per unum latus ei conjungitur in tertio, & per aliud ei conjungitur in quarto, & ſic verificatur diſtantia in tertio, & quarto, ac quarto, unde pro formanda arbore facias deſcendentias trium collateralium, prout hìc tibi dixi.

Diſtantia in duplicibus tertio, & quarto poteſt eſſe, vel ſub eodem ſtipite, vel ſub diverſis. Sub eodem ſtipite eſt ſi ponas deſcendentiam trium collateralium, ut ſupra dixi, facias ſub uno collaterali deſcendentiam uſque ad quartum gradum, ſub alii duobus deſcendas uſque ad ſecundum, & ſupponas iſtos ſecundo gradu diſtantes matrimonium inter ſe contraxiſſe, ex quibus procreatur filius, qui diſtat à communi ſtipite in tertio gradu, in quo gradu ex duplici capite diſtat ab illo collaterali, qui eſt in quarto gradu, & ita eſt diſtantia in duplicibus tertio, & quarto.

Sub diverſis ſtipitibus poteſt dari talis diſtantia, quando duo fratres E. G. unius ſtipitis contraxerunt cum duabus ſororibus alterius ſtipitis, & ex uno matrimonio habetur deſcendentia uſque ad tertium gradum, ex alio verò uſque ad quartum, nam in tali caſu ſub uno ſtipite diſtant in tertio, & quarto, & ſub alio ſtipite etiam taliter diſtant, & ita habes diſtantiam in duplicibus tertio, & quarto.

Eodem modo diſcurre potes de aliis diſtãtiis, quæ verificãtur, vel ſub eodem ſtipite, vel ſub diverſis ſtipitibus, & faciliùs percipiuntur dictæ diſtantiæ, quando caſus tibi contingerit, quia tunc diſponendo arborem cognoſcitur, in quo gradu diſtant, an ſit una, vel multiplex attinentia, & an ſit ſub eodem, vel diverſis ſtipitibus.

QUÆRES XIV.

Quomodo eſt formandum Decretum diſpenſationis ab Exequutore Delegato.

VErificatis omnibus in literis contentis, ut dictum eſt, Exequutor debet facere Decretum diſpenſationis, quod ſequenti, vel conſimili formula concipi poterit.

N.N. U.J.D. Prothonotarius Apoſtolicus Emin. & Rev. Domini N. S.R.E. Cardinalis N. Archiepiſcopi N. in ſpiritualibus, & tem

temporalibus Vicarius, & Officialis generalis, ad infraſcripta per SS. D.N. Innocentium Papa XII. Judex, & Exequutor deputatus.

Univerſis, & ſingulis has præſentes litteras inſpecturis notum facimus, & atteſtamur, qualiter nuper coram nobis pro parte N.N. & Antoniæ N. Neapolitanæ Diœceſis exhibitæ, productæ, & præſẽtatæ fuerũt litteræ præd. SS.D.N. Papæ Innoc. XII. plumbeo pendente ſigillo ad cordulam fili canapis, more Romanæ Curiæ expeditæ, ſanæ, integræ, non vitiatæ, non cancellatæ, non abraſæ, nec in aliqua ipſarum parte ſuſpectæ, ſed omni prorſus vitio, & ſuſpicione carentes: quas nos, cum omni qua decuit reverentia, recepimus, tenoris ſequentis, v3. Innocentius, &c. Hic inſeritur totus tenor dictarum litterarum, & poſtea hoc modo continuatur. *Poſt quarum quidem præinſertarum literarum Apoſtolicarum præſentationem, & receptionem, fuimus pro parte dicti N. & Antoniæ, debita cum inſtantia requiſiti, quatenus ad exequutionem earumdem litterarum procedere deberemus: Nos autem attenta illarum forma mandavimus de expoſitis in eiſdem capi diligentem, & ſummariam informationem, per quam reperimus prædictos N. & Antoniam tertio, & quarto à communi ſtipite provenientibus conſanguinitatis gradibus invicem eſſe conjunctos, dictamq; Antoniam propter hoc raptam non fuiſſe, omniaq; in eiſdem litteris Apoſtolicis contenta fuiſſe, & eſſe vera, ac veritate fulgiri. Propterea cum prædictis N. & Antonia, ut matrimonium inter ſe publicè ſervata forma Concil. Trident. contrahere, illudque in facie Eccleſiæ ſolemnizare, & in eo poſtmodum remanere licitè poſſint Apoſtolica authoritate nobis commiſſa, & qua fungimur in hac parte diſpenſandum duximus, prout præſentium tenore diſpenſamus. Impedimento quarti conſanguinitatis gradus hujuſmodi, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriq; contrariis, nequaquam obſtantibus. Diſtantiam verò tertii gradus prædicti eis non obſtare declarantes; prolem exindè ſuſcipiendam legitimam nunciando. In quorum fidem præſentes manu noſtra ſignatas, & per infraſcriptum Notarium Curiæ Archiepiſcopalis ſubſcriptas fieri juſſimus. Datum Neapoli die, &c.*

Lato iſto decreto poterunt Oratores ſtatim matrimonium contrahere, etiam ſi ipſi contrahentes non habuerint notitiam ſupradicti decreti, quia ſufficit, quod matrimonium ſit contractum poſt diſpenſationem, licèt veriſimiliter non potuerit haberi

beri notitia factæ diſpenſationis, *Rota coram Juſto 5. Decembris 1607. & p. 3. recentiorum deciſ. 280. n. 5. Corrad. lib. 7. cap. 7. n. 87.*

QVÆRES XV.

Quomodo eſt regulanda exequutio diſpenſationis pro foro conſcientiæ.

DIſpenſationes pro foro cõſcientiæ à Sacra Pœnitentiaria committuntur, & diriguntur Confeſſario Magiſt. in Theologia, vel decretorum Doctori, ex approbatis ab Ordinario per Oratorem eligendo, idque ob dignitatem literarum Apoſtolicarum, *cap. ſtatutum. de reſcriptis in 6.*

Hinc Deputatus exequutor debet eſſe Doctor in aliqua Accademia approbata, licèt fortè ſit indoctus, nec ſatis eſt ſi ſit licentiatus, vel ſit approbatus à Rectore Collegii, vel à ſua Religione, ſi Regularis ſit, *Corrad. lib. 7. diſpenſ. Apoſtolic. cap. 4. n. 68. & ſeq. Sanch. lib. 8. de matrim. diſp. 34. n. 8.* Oppoſitum dicit *Zerola p. 2. praxis verbo Pœnitentiarius*, ubi dicit, quod ſufficit ſi ſit licentiatus, vel approbatus à ſua Religione, vel à Rectore alicujus Collegii approbati, & ita practicatum refert, aſſignando rationem, quia aliàs in Religionibus, vel Cõgregationibus, ubi non fiunt, neque Magiſtri, neq; *DD.* non poſſent eligi ex illis Confeſſarii pro tali effectu, quod non eſt dicendum, cùm mens Sacræ Pœnitentiariæ ſit, ut eligatur vir doctus, & non ſolùm Doctor; ſed quia regularitèr *DD.* ſolent eſſe docti, ideò de ſtylo Pœnitentiarię committitur exequutio Doctori, quia hoc modo ſe in tuto ponit. Puto tamen, quod Doctoratus gradus collatus ab aliquo vigore particularis privilegii non ſufficit in hoc caſu, ſed requiritur, quod talis gradus ſit receptus in aliqua publica Univerſitate, à qua doctorandi examinantur, & eorum idoneitas approbatur; nam Pius V. anno 1568. ſua Conſtit. quæ incipit: *Quamvis à Sede*, revocavit facultates Comitum Palatinorum, & aliorum gradus concedendi, propter omiſſam neceſſariam in gradibus concedendis examinationem, & ſimul voluit ab illis Doctoratos, vel graduatos non gaudere privilegiis graduatorum, & licèt talis conſtitutio dicat, nõ gaudere privilegiis graduatorũ quoad dignitates, aut alia beneficia, *Pignatel. t. 2. cõſult. 224. n. 8.* tamen nec etiã gaudent privilegio, ut poſſint in Vicarium Capitularem eligi, ut cenſuit S. Congr. Epiſc. & Regul.

dic

dic 19. Auguſti 1667. *Pignatell. loc. cit. n. 10.*

Secundò, non poteſt dictas literas exequi, & expedire, qui publicè in Accademia aliqua Theologiam, aut jus Canonicũ docet, ſed requiritur, ut Doctoris gradum habeat, *Sanch. l. cit. n. 7. Corrad. l. cit.* undè fruſtratur effectus dictæ diſpenſationis, quãdo illa exequitur ab aliquo, qui verè non eſt dicto gradu inſignitus, licèt communi errore reputetur Doctor, *Sanch. l. c. n. 10.*

Tertiò, non poſſunt illas exequi Regulares, qui juxtà ſuorũ Ordinum inſtituta Magiſtri appellantur, niſi in aliqua Univerſitate ad gradum Magiſterii promoti ſint, *Sanch. lib 8. diſput. 34. n. 9.* Limitatur tamẽ hoc in Preſbyteris Societatis Jeſu, nam per privilegium Gregorii XIII. eis conceſſum die 3. Aprilis 1582. incipit: *Dilecte fili*, poteſt Generalis, vel alius Superior ejuſdem Societatis, de licentia tamen Generalis, deputare pro exequutione dictarum literarũ Preſbyteros Societatis, approbatos, & approbandos ab Ordinario, & tunc iſti taliter deputati valent literas Sacræ Pœnitentiariæ Doctoribus, vel Magiſtris deſtinatas, exequi, licèt ipſi nullo gradu ſint inſigniti; de quo privilegio mentionem facit *Corrad. l. c. n. 71. Sanch. l. c. n. 11.* dicens, quod in Compendio privilegiorum Societatis Jeſu, verbo *Confeſſarius*, P. Generalis addidit: *Omnes Superiores Societatis approbatos ab Ordinario poſſe uti hac conceſſione, & omnes alios Confeſſores ejuſdem Societatis, quos ipſi ad id deputaverint.* Dicit etiam, quod non requiritur, quod Superiores antè hanc licentiam ſint approbati ab Ordinario, ſed ſatis eſt, ut approbentur, antequam literas exequantur, & ita intelliguntur verba illa Bullæ: *Approbati, vel approbandi.* Et quia Mendicantes habent communicationem privilegiorum, ideò poſſunt uti tali privilegio, ſi à ſuis Generalibus fuerint deſignati, *Sanchez l. cit.*

Requiritur etiam, quod exequutor diſpenſationis pro foro conſcientiæ ſit Confeſſarius approbatus ab Ordinario, qui poterit dictas literas exequi, quãvis occultè eſſet revocata licentia audiendi confeſſiones, dummodò cõmuni errore reputetur Confeſſarius, ſecundùm *Sanch. loc. cit. n. 14.* Similitèr ſi Confeſſarius ſit approbatus ab Ordinario cum limitatione perſonarum, non ex defectu ſcientiæ, ſed ratione ætatis, poterit exequi dictas literas, ſivè ſit requiſitus à viro, ſivè à muliere, ut dicit *San-*

chez d. diſp. 24. ubi refert alios contrarium tenentes.

Advertas hic, quod ſi literæ S. Pœnitentiariæ fuerint præſentatæ, & apertæ à Confeſſario, qui non ſit in gradu requiſito pro exequendis dictis literis, non evaneſcit ex hoc diſpenſatio, dummodo alius Cōfeſſarius Doctor, vel Magiſter in Theologia illas exequatur, *Sanch. l. cit. n.* 12. Imò poſtquam pœnitens literas præſentavit alicui Confeſſario, à quo fuit negata diſpēſatio, quia judicat illam eſſe ſubreptitiam, poterit dictus pœnitens adire alium Confeſſarium, qui fortè ſit in ea opinione, ut reſcriptum valeat; quia cum talis cōmiſſio ſit facta in foro conſcientiæ, ſequitur ejus fori naturam, quæ eſt, ut non teneatur pœnitens acquieſcere ſententiæ unius Confeſſarii, ſed poteſt aliū adire, *Sanch. lib.* 8. *diſp.* 27. *n.* 40. *& diſp.* 34. *n.* 18. *Corrad. lib.* 7. *diſpenſ. Apoſtol. cap.* 4. *n.* 73. *Contra Navarr. conſ.* 8. *de offic. jud. deleg. Genuenſ. in prax. cap.* 25. *n.* 11. aſſerentem, quod electio ſemel facta de viro diſcreto, cui per Pœnitētiariam commiſſa eſt diſpenſatio, non poteſt mutari.

Tenetur iſte exequutor cognoſcere de veritate cauſæ expoſitæ, & injūgere pœnale opus prudenter, putà injungere onus recipiendi Sacramentum Pœnitētiæ quolibet menſe, vel per bimeſtre, aut trimeſtre, & alia opera ab Eccleſia pręcepta, & approbata, *Perez de matr. diſp.* 48. *ſect.* 6. *n.* 5. de quibus operibus injungendis videas *Sanch. d. diſput.* 34. *n.* 32. *& ſeq. & n.* 41. dicit, quod opera pietatis, & religionis injungenda ſunt, videlicet, quod aliqua die in hebdomada ſe abſtineat à carnibus, vel aliqua illius die jejunet, vel utatur cilicio, vel carnem affligat verberibus ſemel in hebdomada, &c.

Hæc autem diligens examinatio veritatis cauſæ eſt facienda non receptis teſtibus, ſed cum pœnitente tantùm, cui eſt concedenda diſpenſatio, quia talis facultas diſpenſandi committitur in ſolo foro ſecretiſſimo conſcientiæ, & ideò pœnitenti integra fides habenda eſt, nec ab ipſo eſt petendum juramentum de veritate dicenda: poterit tamen illum monere, ut ſincerè veritatem explicet, ſignificādo ei, quantùm illius interſit, *Sanch. lib.* 8. *diſp.* 34. *n.* 22. *&* 27. ſed quia iſta diſpenſatio commiſſa in foro ſecretiſſimo conſcientiæ, non in omnibus aſſimilatur abſolutioni Sacramentali, in qua omninò judicium eſt ferendum juxtà pœnitentis confeſſionem, ideò ſi Confeſſarius

aliundè norit, quam ex confeſſionis Sacramento, preces allegatas eſſe falſas, poterit non diſpenſare, *Sanch. l. c. n.22.*

Advertas tamen, quod iſte Confeſſarius virtute literarum non tenetur abſolvere oratorem in foro Sacramentali, & pœnitentiali, ſed in foro conſcientiæ, qui eſt forus diſtinctus à pœnitentiali, & à foro externo, ſeù judiciali, ſicut abſolutio in foro conſcientiæ ab excommunicatione fieri valet extra confeſſionem, *Sanch. d. diſp.34. n.29.* ubi dicit, quod non officit, abſolutionem commiſſam Confeſſario approbato; quia id non eſt, ut ab eo abſolvatur in foro pœnitentiali, ſed quia præſumitur prudens, & non ignorans, quæ expediuntur, & ideò duplex teſtimonium de tali ſcientia requiritur, alterum Accademiæ conferentis illi gradum Doctoris, aut Magiſterii, & alterum Ordinarii illum approbantis ut idoneum ad audiendas confeſſiones.

Verùm *Theſaur. de pœnis Eccleſ. p.1. cap.22. §. 2. differentia,* dicit, quod habens facultatem abſolvendi, vel diſpenſandi pro foro conſcientiæ tantùm, non poteſt illam èxequi extra Sacramentum confeſsionis, & in ipſo foro tantùm pœnitentiali, ſeù Sacramentali, præſertim quando committitur talis facultas Confeſſariis, vel imponitur clauſula illa: *injuncta pœnitentia ſalutari,* ut tenent multi relati ab eodem *Theſaur. l.cit. & à Pignatel. to.1. conſult.20. n.4.* contra *Sanchez, Suar.* & alios, quorum ſententia, licèt probabilis ſit; tamen, ut dicit *Theſaur.* in commiſsionibus Sacræ Pœnitētiariæ non eſt amplectenda ſententia, *Sanch.* quia in illis ſolet apponi clauſula: *in ipſo actu Sacramentali confeſſionis tantùm, nec alitèr, nec alio modo.* An autem talis facultas diſpenſandi pro foro conſcientiæ, poſsit à Confeſſario exerceri, quando pœnitens eſt abſens, & ſic abſolutionem, & diſpenſationem concedere abſenti per literas, per nuncium, vel dando abſolutionem, & diſpenſationem procuratori habenti ſpeciale mandatum, ponunt *Theſaurus loc. cit. §. tertia differentia, Pignatell. d. conſult.* 20. qui dicunt, quod utraque ſententia practicari poteſt: melius tamen eſt præſentem abſolvere, & diſpenſationem præſenti concedere, quàm abſenti, quamvis abſentia non obſtet dictæ abſolutioni, & diſpenſationi; videas *Pignatell. d. conſult.20. n.10.*

Confeſſarius autem facta diſpenſatione tenetur literas Pœnitentiariæ dilacerare, nec poteſt

teſt illas tradere oratori: & ſi ei tradantur, nihil prodeſt, pro foro externo, & contentioſo, & hoc aliquando præcipi ſolet ſub pœna excommunicationis latę ſententiæ, *Sanch. lib. 8. diſp. 34. n. 42.* Undè ſi contingerit tale impedimentum ad forum externum deduci, non poterit juvari diſpenſatione Pœnitentiariæ, ſed requiritur alia diſpenſatio Datariæ, quia tunc non dicitur ampliùs impedimentum occultum, *Sanch. licit. n. 43. in fine, & lib. 3. diſp. 15. n. 13. & ſeq.* & ſi Confeſſarius dedit Pœnitenti literas Sacræ Pœnitentiariæ, vel ſchedulam diſpenſationis, poteſt Ordinarius, quando in foro contentioſo notitiam habet de impedimento, non habere ratam talem diſpēſationem datam pro foro conſcientiæ tantùm, ſed cōſtito de impedimento, poteſt cogere virum & uxorem, ut ſeparentur, donec obtineant diſpenſationem in Dataria; *Theſaur. de pœnis Eccleſ. p. 1. cap. 22.*

Quomodo autem procedendum ſit, quando diſpenſatio Pœnitentiariæ non eſt ad contrahendum matrimonium, ſed ut matrimoniū ſemel invalidè initum de novo validè contrahatur in foro conſcientiæ; videas *Sanchez lib. 8. diſp. 34. n. 59.*

DISPUTATIO VII.

De expenſis faciendis pro diſpenſatione obtinenda.

ORatores pro obtinenda diſpenſatione ſuper impedimentis matrimonii à Dataria, tenentur impenſas facere, & cōpoſitiones perſolvere juxtà taxam ipſius Datariæ, de qua ſolutione videas dicta ſupra *§. p. diſp. p. q. 6. volum. 8. & ſeqq.* Hic autem aliqua de tali impenſa examinanda ſunt. Undè,

QUÆRES I.

Cujus expenſis eſt impetranda diſpenſatio.

QUando communi conſenſu Oratorum impetratur diſpenſatio, uterque contribuere debet, quia de eorum communi intereſſe agitur, *Sanch. lib. 8. diſp. 36. n. p.* ubi *n. 2.* id limitat, niſi alter ratione legati, vel ſucceſſionis in Majoratum gravatus ſit ad tale matrimonium,

vel ſit inſtitutus ſub tali conditione, ut conſanguineam aliquã ducat: Quando verò unus impetravit diſpenſationem altero inſcio, & ante tractatum matrimonii, tunc tantùm impetrans expenſarum onus ſentire debet. *Sanch.l.cit.n.3.*

Hinc quando alter injuſtè recedit à promiſſione data de contrahendo non poteſt portionem ſuám repetere: quod ſi à principio illam non dedit, tenetur alteri ſuam portionem dare, unde qui à principio non habuit animum contrahendi vel quia intendebat religionem ingredi,vel ob aliud motivum, tenetur alteri partem expenſarum, quam ſolvit,refundere, quia alium decepit, efficiendo, ut inanes expenſas faceret; & jura deceptis, & nõ decipientibus ſubveniunt. Quod ſi alterius culpa reſiliat quis à contractione matrimonii, itaut reſiliens nequeat abſque proprio damno, & dedecore tale matrimonium contrahere, tunc qui fuit in tali culpa tenetur integras expenſas perſolvere;ſicut etiam ſi impedimentum dirimens culpa unius fuit contractum, ille tenetur integras facere expenſas. *Sanch.dicta diſp.36.*

QUÆRES II.

An quando diſpenſatio conceditur in forma Pauperum, etiam dictæ expenſæ ſunt facienda.

PArtialiter evitãtur impenſæ quando diſpenſatio petitur cum copula in forma Pauperum, ſub qua forma cõceditur etiam diſpenſatio ſi inter Oratores non fuit carnalis copula ſequuta,ſed tantùm illius ſuſpicio adeſt, ex qua inſurgit mulieris infamia, quæ propter hujuſmodi ſuſpicionem innupta remaneret,*Corrad. lib.7.cap.2.ſub n.21.*

Ad obtinendam autem diſpenſationem in forma Pauperum,eſt probanda paupertas,quę requiritur in utroque Oratore, *Corrad.lib.8. cap. 5. n. 2. & 3.* ad quam probandam primò requiritur fides Parochi; ſecundò ſunt examinandi duo teſtes de paupertate, & miſerabilitate Oratorum, virtute quarum atteſtationum Vicarius Epiſcopi facit aliam fidem authenticam, quod Oratores ſunt pauperes,& miſerabiles, quæ fides hoc, vel conſimili modo fit.

N. N. U. J. D. Protbonotarius Apoſtolicus Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi D. N. Cardinalis N. Ar-

Archiepiſcopi Neapolitani in ſpiritualibus, & temporalibus Vicarius Generalis.

Fidem facimus, & atteſtamur Jo: N. & Luciam N. hujus Neap. Diœceſis, adeo pauperes, & miſerabiles eſſe, quòd ex labore, & induſtria ſua tantùm vivunt, prout ex fide Parochi, aliorumq; fide dignorum nobis conſtare fecerunt; in cujus rei teſtimonium præſentes fieri fecimus, manu noſtra ſubſcriptas, noſtroq; ſigillo munitas, Neap. anno, &c.

Iſta fides paupertatis eſt facienda ab Ordinario loci, ubi Oratores, vel alter ipſorum reſpectivè domicilium contraxit, & non ab Ordinario originis, *Corrad. lib.8.cap.5.n. 24.* undè in fide eſt dicendum: *Fidem facimus, & atteſtamur prædictos N. & B. ſeù prædictum N. Diœceſis Meſſaneñ. & in hac Civitate, ſeu Diœceſi Neapolitana à tot annis commorantes, in qua domicilium contraxerunt, eſſe adeo Pauperes, & miſerabiles, quòd ex labore, & induſtria ſua tantùm vivunt, &c.*

Ego verò requirerem atteſtationem paupertatis tam ab Ordinario Originis, quàm ab Ordinario Domicilii, quia poteſt eſſe, quod in loco Originis bona habeat, & ob aliquod delictum, vel aliam cauſam ibi ad tempus non maneat, & in loco domicilii ſit pauper. Imò ſcio, aliquos in hac Civitate oſtiatim mendicare, & in propria patria bona poſſidere, cum quibus poſſent commodè, & decenter vivere; undè ſi ſola fides Ordinarii Domicilii ſufficeret, poſſet quis data opera domicilium in aliquo loco contrahere vivendo propriis laboribus, & induſtria, ut ita effugiat compoſitionem in Dataria. Verùm tamen eſt, quod ſi in propria patria habet bona, ſed nihil percipit, quia ab aliis detinētur, vel quia eſt ab illa fugitivus ratione delicti, & non poteſt lucrum ex ſuis bonis habere, nec illa alienare, in tali caſu pauper dicitur; cum paria reputentur non habere bona, & illa habere, ſed fructum ab illis non poſſe percipere.

Præterea teſtes, qui de paupertate Oratorum deponunt, vel dicunt, quod Oratores ſunt pauperes, & nihil poſſident; ſed tantùm proprio labore, & induſtria vivunt, & tunc fieri poteſt fides, ut dictum eſt; vel deponunt de paupertate Oratorum, attenta eorum qualitate, quia poſſident aliqua bona, ſed non ſunt magni momenti, & tunc Ordinarius non poteſt tuta conſcientia teſtificari de ipſorum Oratorum paupertate; quia licèt pauper dicatur, qui non ha-

habet in bonis quinquaginta aureos, *Inſtit. de excuſat. tutor. § ſed propter paupertatem*, ubi *Gloſ. l. nonnulli.* 10. *D. de accuſat.* ſicut etiam pauper dicitur ille, qui habet quidem bona ſufficientia ut poſſit vivere, ſed non ſecundùm conditionem ſuæ perſonæ, *Antonell. de regim. Eccleſiæ lib. p. cap.* 10. *§. p. n.* 6. *Dian. to. p. par.* 2. *tract.* 16. *miſcell. reſol.* 52. *Pignatell. to. p. conſult.* 41. *n.* 4. *Paul. de Caſt. in l. id quod pauperibus, C. de Epiſc. & Cler. n.* 4. & miſerabilis dicitur ille, ad cujus commiſerationem nos naturam inclinat, *Corrad. lib:* 8. *cap.* 5. *n.* 12. *& ſeqq.* Tamen ad effectum obtinendi diſpenſationem propter paupertatem, requiritur, quod Oratores adeò pauperes, & miſerabiles ſint, quòd ex labore, & induſtria manuum ſuarum vivant. Ideò in tali caſu poterit Ordinarius concedere Oratoribus literas teſtimoniales continentes integras teſtium depoſitiones, ex quibus D. Datarius, ejusque Officiales videant, an Oratores valeant ſaltem aliquam partem compoſitionis ſolvere, habita conſideratione ad quãtitatem, & qualitatem bonorum, in dictis literis teſtimonialibus expreſſorum, *Corrad. l. cit. n.* 22. cum arbitrio Judicis relinquatur probatio paupertatis, *Gloſſ. communiter recepta in authentica præterea. C. unde vir, & uxor, Covar variar. reſol. lib.* 2 *cap.* 6. *n.* 8. Videas dicta in præcedenti diſp. in q. 12.

Obtenta tali fide paupertatis, tenetur Orator accedere ad Urbem pro impetranda diſpenſatione, & peragenda pœnitentia pro patrato inceſtu, ſi ab ea diſtet infra centũ milliaria, ſecus verò ſi ultra: ſi verò adeo pauper ſit, ut non valeat ad Urbem accedere, eſt de hoc facienda expreſſa mentio in fide paupertatis, hoc modo: *ex labore, & induſtria ſua tantùm vivunt dictusque Orator ob hujuſmodi paupertatem non valeat ad Urbem accedere, &c.*

Acceſſus autem iſte ad Urbem non eſt neceſſarius quando Oratores ſunt conjuncti in gradibus remotioribus, puta in quarto gradu, vel in quarto, & tertio, ſed requiritur, quando ſunt in tertio gradu, vel in ſecundo, & tertio. Quandò verò Oratores ſunt conjuncti in primo, vel in primo, & ſecundo, vel in ſecundo tantùm, tunc non obſtante quacunque diſtantia, & paupertate, tenetur Orator ad Urbem accedere, etiam mendicando, quando ſequuta eſt copula carnalis, vel illius ſuſpicio adeſt; idque etiam ſi ſit cæcus, vel clau-

claudus, vel alias corpore vitiatus, *Corrad. lib. 8. cap. 5. n. 26.* & ſecum debet deferre non ſolùm dictum teſtimonium paupertatis, ſed etiam teſtimoniũ (ſi ita res ſe habeat) quod niſi matrimonium contraheretur, gravia ſcandala exoritura eſſent, & tam Oratori, quàm Oratrici vitæ periculum immineret; & inſuper in Urbe ſunt examinandi duo teſtes coram Præfecto Datariæ, qui deponant ſe cognoſcere dictum Oratorem, & hoc ne unus pro alio ſupponatur. Quod ſi Orator ad Urbem accedens pro hujuſmodi diſpenſatione obtinenda non habet ſecum ſufficiens paupertatis teſtimonium, tunc poteſt Præfectus Datariæ recipere teſtes ſuper paupertate dicti Oratoris; ſed hoc cum cautela faciendum eſt, quia multoties paupertatem affectant, ideo tutius eſt teſtimonium à ſuo Ordinario de illius paupertate exigere, *Corrad. loc. cit. n. 27.*

Acceſſus autem iſte ad Urbem remittitur non ſolùm in diſpenſatione *in forma pauperum* ſuper Cõpaternitate, quando per Oratores offertur aliqua eleemoſyna erogãda locis piis ipſius Urbis, ſed etiam in diſpenſatione ſuper impedimento affinitatis fornicariæ in forma pauperum, non ſolùm in ſecundo, ſed etiam in primo, & ſecundo à cõmuni ſtipite, imo etiam in primo tantùm gradibus, & ipſis Oratoribus pœnitentia collationis operis remittitur in partibus peragenda, *Corrad. l. cit. verſic. Quo verò.*

QUÆRES III.

An ab Exequutore Delegato aliquod accipi poſſit pro exequenda diſpenſatione.

Nega, idque etiam ſi ei aliquod ſpontè detur, ſed tantùm Notarii pro examine teſtium poſſunt quartam partem auri, ſeu ducati licitè accipere, ut patet ex declarat. S. Congreg. Concil. de qua mentionem faciunt *Bellarminus*, *Farinaceus*, *& Barboſ. ad Trid. ſeſſ. 24. cap. 5. de reformat. matrim. n. 22.* & ideò in literis Apoſtolicis ponitur iſta clauſula *Depoſita*, *&c.* quæ ita extenditur. *Depoſita per te omni ſpe cujuſcunq; muneris*, *&c.* Unde hodie ſub pœna excommunicationis Papalis latæ ſententiæ prohibetur, ne Delegatus, cui dicta diſpenſatio committitur exequenda, aliquod munus recipiat ab Oratoribus, ſeu eorum altero, & ideo in fine literarum ponitur iſta clauſula: *Volumus autem, quod ſi ſpreta monitione*

ne noſtra hujuſmodi, aliquod muneris, ſeu præmii, &c. excommunicationis latæ ſententiæ pœnam incurras, &c. quæ clauſula ſemper ponitur quando diſpenſatio matrimonialis committitur Vicario Epiſcopi; quia ſi Epiſcopo committeretur, tunc non ſupradicta clauſula, ſed ſequens apponitur, *ut ſi munus, aut præmiũ qualecunque exegerit, aut oblatum receperit, eo ipſo à juriſdictionis, & Pontificalium exercitio, fructuumque menſæ ſuæ perceptione tandiu ſuſpenſus exiſtat, donec à Sede Apoſtolica relaxationem ſuſpenſionis hujuſmodi, per ſatisfactionem condignam meruerit obtinere, &c.* Præterea in diſpenſationibus matrimonialibus, quę in forma pauperum conceduntur, apponitur etiam pœna nullitatis abſolutionis, & diſpenſationis, per hæc verba, *& nihilominus abſolutio, & diſpenſatio hujusmodi à te facienda, nullius ſint roboris, vel momenti, Corrad. lib. 7. diſpen. Apoſt. cap. 6. n. 7. & ſeqq. Genuen. in prax. cap. 25. n. 13.*

Tenetur igitur Epiſcopus exequutor, vel quicunque Ordinarius, cui committuntur diſpenſationes extra Romanam Curiam, ſummariè tantùm, & extrajudicialiter cognoſcere, an preces expreſſæ vitio ſubreptionis, vel obreptionis ſubjaceat, nec ne, idque quando diſpenſationes gratiosè conceduntur, ſcilicet ſine cauſa, & ante talem cognitionem, dictæ diſpenſationes ſuum non ſortiuntur effectum, ut loquitur *Trid. ſeſſ. 22. cap. 5. de reform. ubi Barb. Bellarm. & Farinac.* Epiſcopus autem, vel quilibet alius exequutor nihil valet in tali caſu accipere, nec ratione conſuetudinis, etiam immemorabilis, nec ratione ſigilli, nec ratione Decreti, nec pro receptione, & examinatione teſtium; imo nec pro acceſſu ad examinandos teſtes alibi commorantes, cum id tendat ad capiendam informationem. Solùm Notarii pro examine teſtium quartam partem auri, ſeu ducati licitè accipere valent, *Corrad. l. cit. n. 14. ex declarat. S. Congregationis, Bellarmin. Barboſ. & Farinac. l. cit.* Videas de hac re *Pignatell. to. 6. conſult. 97.*

Scio tamen, quod *Sanch. lib. 8. de matr. diſp. 35. n. 10. & ſeq.* tenet, quod ſtipendium laboris accipi valet, munus autem, & prę- mium, non; præſertim ubi adeſt conſuetudo recipiendi tale ſtipendium. Sed talis opinio eſt directè contra expreſſam mentem S. Congregationis, quæ tantùm Notariis permittit accipere quartam partem auri; undè exequutor dictarum literarum, non

fo-

ſolùm eſculenta, & poculenta, quæ paucis diebus conſumi poſſunt, accipere non valet, quia cujuſcunque muneris ſpes prohibetur, ut ex clauſulis Bullę patet, & tradit *Corrad. lib. 7. cap. 6. n. 15. & ſeqq. Sanch. l. cit. n. 12. & ſeqq. Genuenſ. l. cit.* Sed nec etiam accipere valet ſtipendium laboris, ut probàtum eſt; cum S. Cong. expreſsè prohibeat aliquid recipi pro decreto, pro ſigillo, pro examine teſtium, &c. Et quamvis *in cap. mulieres. 2. de judiciis in 6.* permittatur Judici, ut ex cauſis ibi expreſſis, poſſit expenſis partis producentis accedere ad domos mulierum pro illis examinandis; tamen id intelligitur quando non tractatur de materia diſpenſationis matrimonialis, quia in iſta cauſa, ſervandum eſt, quod per S. Cong. fuit determinatum; imo quod decrevit Gregor. XIII. ex ſententia S. Cong. ut dicit *Pignat. l. cit. n. 1.* & inſuper *Tex.* intelligitur tantùm in caſibus ibi expreſſis, & ideò dicit: *Proviſo, quod caſus hujuſmodi, videlicet, ut Judex vadat perſonaliter, non fingatur; nec fraus interveniat in hac parte; alioquin actor hujuſmodi, vel fraudator ipſo facto ſententiā excommunicationis incurrat.* Hæc autem excommunicatio nulli eſt reſervata, ut dicit *gloſſ. ibid.*

§. *III.*

De Crimine Inceſtus.

Tertius caſus de Jure Canonico requirens ſcientiam graduum, & cognationum eſt, quando de copula Inceſtuoſa tractatur tam in foro contentioſo, quàm Sacramentali. Ut tamen ſolita claritate procedatur, Sit.

DISPUTATIO I.

De Inceſtu quoad Forum Conſcientiæ.

Quāvis in *can. lex illa. 36. q. p.* dicatur, quod inceſtuoſa eſt copula habita cum conſanguineis, vel affinibus, tamen non omnis commiſtio carnalis habita cum Cognatis, vel

Affinibus inceſtuoſa eſt, ſed tantùm illa, quæ cum perſonis intra gradus, in quibus non poteſt celebrari matrimonium, habetur. Undè inceſtus definitur: *Eſt congreſſus carnalis cum perſona cognata intra gradus, in quibus non poteſt matrimonium celebrari, Anton. Gubert. Conſtant. de matrim. in tit. de his qui nuptias contrahere poſſunt n.* 154. *Covarr. in 4. decretal. p.* 2. *cap.* 6. §.8.*n.p.* & ideò nuptiæ cum iſtis perſonis contractæ inceſtuoſæ dicuntur, tam de jure Canonico, quàm Civili, quæ ita appellantur quaſi non caſtæ, ut *Nonius* putat; Quamvis *Javell. p.3 philoſophiæ Chriſtianæ tract. 8. de luxuria cap.* 4. dicat, quod inceſtus dicitur ab Incendendo, quoniam inceſtuoſi pœna eſt incendium, unde *Levit. cap.* 20. habetur, *qui ſupra uxorem filiam duxerit matrem ejus: ſcelus operatus eſt, vivus ardebit cum eis.* Sed Eruditi inceſtum deducunt à Ceſto, Veneris cingulo, quo amor maritalis in legitimis nuptiis conciliari putabatur; & ita inceſtus dicitur concubitus illegitimus, cui cingulum illud juſtarum nuptiarum inſigne non adhibetur, in quo ſenſu à Poëtis cingulum illud Veneris, quo ipſa Martem, & Juno Jovem conciliabant, Ceſtus dicitur, Martialis.

Ut Martis revocetur amor, ſummiq; tonantis.
A te Juno petit Ceſton, & ipſa Venus.

QUÆRES I.
In qua linea, & uſque ad quem gradum committitur inceſtus.

COpula iſta habita cum conſanguineis, & affinibus intra gradus, in quibus non poteſt matrimonium celebrari, aliquando à lege Civili appellatur *Nefaria*, & naturæ contraria, aliquando *Inceſtuoſa*. Nefaria appellatur copula habita cum deſcendentibus, vel aſcendentibus. Inceſtuoſa verò dicitur copula habita inter collaterales, vel affines, ut patet ex *rubric. C. de inceſtis, & inutilibus nupt.* Jure verò canonico abſolutè inceſtuoſa appellatur ſivè ſit copula habita cum aſcendentibus, & deſcendentibus, ſivè cum collateralibus, & affinibus, *Petr. Foller. in pract. crim. in 6. part. principal. n.8. Boſſius in tit. de coitu damnato, & punibili n.* 5. & quamvis jus civile *Nefariam* dicat copulam, quæ eſt habita inter aſcendentes, & deſcendentes, tamen non abſolutè illam Nefariam appellat, ſed etiam inceſtuoſam ad differentiam copu-

pulæ habitæ cum collateralibus, & affinibus, quæ abſolutè inceſtuoſa dicitur. *Inſtit. de nupt.* §. *ergo non omnes*, ibi: *Et ſi tales perſonæ inter ſe cojerint, nefarias, atque inceſtas nuptias contraxiſſe dicuntur, & Boer.q.318. n.p.* dicit: *Et videtur in iſto nefandiſſimo inceſtu primi gradus in linea recta aſcendentis, & deſcendentis commiſſo, pœnam capitis eſſe infligendam*, adeoque patet, quod copula habita cũ aſcendentibus, & deſcendentibus *inceſtuoſa* eſt, ſed ad majorem illius deteſtationem appellatur etiam *Nefaria*.

Committitur ergo inceſtus cum omnibus aſcendentibus, & deſcendẽtibus in infinitum, quãvis non conſtet inter Doctores, an matrimonium contractum cum conſanguineis lineæ rectæ extra quartum gradum ſit invalidum, *Bonac. de matrim.q.4.pun. 16.propo.p. n. 2.* Imò aliqui dicunt, quod inceſtus committitur etiam cum illis, qui loco aſcendentium, vel deſcendentium habentur, puta cum Noverca, vel Concubina patris, *Boer. dicta q. 318. n. 3.* Sed veritas eſt, quod copula habita cum Noverca, vel Concubina patris eſt inceſtuoſa ratione Affinitatis, non quia loco aſcendentium habentur. In linea verò collaterali committitur inceſtus cum fratre, vel ſorore, Nepte, Amita, Matertera, & cum omnibus illis collateralibus, qui quarto conſanguinitatis gradu cõjuncti ſunt, de quibus *in can. de inceſtis conjunctionibus. 35.q.2.& 3.* Ratione Affinitatis, inceſtuoſa dicitur copula habita cum Noverca, Socru, Privigna, Cognata, & aliis perſonis, cum quibus ratione Affinitatis matrimonium contrahi non poteſt, de quibus ſupra §.*p. diſp. 2. q. 3.* unde *Levit.18.n.17.* legitur: *Turpitudinem uxoris tuæ, & filiæ ejus non revelabis. Filiam filii ejus, & filiam filiæ illius non ſumes, ut reveles ignominiam ejus: quia caro illius sũt, & talis coitus inceſtus eſt*; adeoq; patet, quod cum Affinibus ex copula licita committitur inceſtus uſq; ad quartum gradum, cum Affinibus verò ex copula illicita, inceſtus committitur in primo, & ſecundo gradu affinitatis, *Bonac. de matrim.q.4. punct. 16.prop.p.n.1.& 2.*

Quia inceſtus non ſolùm committitur cum conſanguineis, & affinibus, ut dictum eſt, ſed etiam cum cognatis cognatione legali per adoptionem, aut cognatione ſpirituali per ſuſceptionem in baptiſmo, vel in confirmatione, aut illorum adminiſtratione, in iis tamen gradibus, in quibus dirimitur matrimonium, *Boer. d. q.318.n.3. circa finem, Foller. in*

pract. crim. in 6. parte principal. n.8. Bonac. l cit. n.2. pro quibus, videas quæ diximus ſupra fol.88. fol.100.q.1. & fol.104.q.3. Ideò aliqui inceſtum definiunt, quod eſt copula inter conjunctos in gradu impediente matrimoniū. Vult inſuper *Diana p.3.tr.4.reſol. 140.* quod ad inceſtū reducitur, quando quis copulam habet cum conſanguinea in primo gradu ſponſæ propriæ de futuro contra publicæ honeſtatis impedimentum, & ideò talis circumſtantia eſt in confeſſione aperienda.

Ex dictis patet, quod copula habita cum Moniali, vel Clerico in ſacris conſtituto non eſt inceſtuoſa, quia licet cum iſtis non poſſit contrahi matrimonium, tamen id non prohibetur ratione Cognationis, & Affinitatis, ſed aliundè: inceſtus autem committitur cum conſanguineis, & affinibus, ut dictum eſt, & etiam cū Cognatis, cognatione ſpirituali, & legali. Videas *Clar. in §. inceſtus, verſic. Sed nunquid*; quamvis *Fontanell. clauſ.5. gloſ.5. p.2. n.* 8. talem copulam inceſtuoſam appellet.

Similiter copula inter Confeſſarium, & pœnitentem non eſt inceſtuoſa, neque eſt circumſtantia neceſſariò explicanda in confeſſione, quia inceſtus committitur inter Cognatos: Sacramentum autem Confeſſionis non inducit propriè cognationem ſpiritualem Et quamvis in *can. omnes. 30. q.p.* dicatur, quod *omnes, quos in pœnitentia ſuſcipimus, ita noſtri ſunt ſpirituales filii, ut & ipſi, quos vel nobis ſuſcipientibus, vel trina merſionis vocabulo mergentibus unda ſacri Baptiſmatis regeneravit*. Tamen in citato *Tex.* copula habita cū tali pœnitente non appellatur inceſtuoſa, ſed fornicaria, ut etiam patet ex ſequēti *can.* quod incipit, *Si quis Sacerdos*: nec filiatio, quæ contrahitur per pœnitentiam eodem modo ſe habet, ac filiatio per baptiſmum, quia per pœnitentiam non contrahitur ſpiritualis cognatio cum patre, & matre pœnitentis, ut contrahitur in Baptiſmo, & Confirmatione, ideò copula cum pœnitente non eſt inceſtuoſa, *Bonac. de matrim. q.4. punct.16. prop.5. n. 8. & 10.*

QUÆRES II.

An copula ſodomitica habita cum adoleſcente conſanguineo ſit inceſtuoſa, & in confeſſione, ut talis ſit explicanda?

AFfirma, ſed eſt inceſtus minus propriè, & largè, in quantū nō eſt inceſtus in ordine

ad

ad matrimonium impediendum, aut dirimendum: eſt tamen ſodomia inceſtuoſa, in quantum eſt commiſſa contra pietatem debitam cognatis, & eſt abuſus luxurioſus inter cognatos, ideò habet ſpecialem deformitatem, & malitiam, præter malitiã ſodomiticã; undè *Azor. part. 3. lib. 3. cap. 18. q. 5. Graſſi. de Arbitr. Confeſſar. lib. 2. cap. 34. n. 3.* dicunt, quod in cõfeſſione non ſufficit exprimere, quod fuit perpatratum peccatum ſodomiticum, ſed etiam quod fuit cum fratre in primo, & ſecundo gradu, vel cum cognato, vel cognata. Imò dicunt, quod copula ſodomitica inter maſculos conſanguineos in tertio, & quarto gradu etiam habet ſpecialem deformitatem, & malitiam, præter ſodomiticam. Verùm *Dian. p. 3. tr. 4. reſol.* 101. *&* *reſol.* 159. tenet, quod per copulã ſodomiticam nulla contrahitur affinitas, & ideò non contrahitur inceſtus, & quamvis per talem copulam cum conjunctis gravius ſit peccatum, tamen probabilis eſt ſententia, quod circumſtantia aggravans intra eandem ſpeciem non eſt aperienda in confeſſione; & ita tenet, quod poteſt quis ſe accuſare de actu ſodomitico habito cum conſanguineo, vel affine, ſine explicatione gradus primi, vel ſecundi, quæ ſententia eſt etiam cõtra *Bonac. de matr. q. 4. p. 11. n. 7.* volentẽ in cõfeſſione eſſe explicandum, an ſodomia ſit commiſſa cum conſanguinea, vel affine intra primum, & ſecundum gradum: ſicut etiã quando fuit commiſſa cum aliquo conſanguineo in linea recta, etiam ſi perſona ſit in gradu valdè remoto, eſt explicandum in confeſſione, ſodomiam fuiſſe habitam cum conſanguineo, & ſolùm excipit tertium, & quartum gradum affinitatis, vel conſanguinitatis in linea collaterali; Videas ipſum loc. cit. n. 8. 10. & 11. ubi quærit, Quarè eſt explicandus primus, & ſecundus gradus conſanguinitatis, vel affinitatis quando copula nefaria eſt habita cum conſanguineo, vel affine, & non eſt explicandus tertius, vel quartus gradus; & rationem aſſignat, quia nefaria copula in primo, & ſecundo gradu affinitatis, vel conſanguinitatis eſt ſpecialiter contra jus naturale, ſeù contra naturalem reverentiam debitam cognatis intra primum, & ſecundum gradum, ſicut ſodomia commiſſa cum conſanguineo lineæ rectè in quocunque gradu eſt contra jus naturale. Cæterum copula habita cum collateralibus in tertio, vel quarto gradu non eſt contra naturalem reverentiam debitã cognatis.

tis. Sed quia pendet reſolutio expreſſionis horum graduum, ex eo quia copula eſt, vel non eſt contra naturalem reverentiam debitam cognatis, ideo videas, quæ diximus ſupra fol. 16. q. 4. fol. 24. q. 5. fol. 37. q. p. & fol. 42. q. 2.

Quando verò copula eſt habita cum cognatis cognatione legali, tunc non videtur talis circumſtantia neceſſariò explicanda; ſicut nec eſt explicanda talis circumſtantia, quando copula fuit habita cum cognatis cognatione ſpirituali, *Bonac. l. cit. n. 8.*

Malitia autem inceſtus committitur, nõ ſolùm per copulam, ſed etiam per alios actus impudicos contra naturam, quia hujuſmodi actus ſunt luxurioſi, & repugnant reverentiæ cognatis debitæ, *Bonac. de matr. q. 4 pu. 16. n. 3.* Unde in confeſſione eſt explicandum an oſcula, vel alii actûs impudici fuerunt cum conſanguineis, vel affinibus, quia ad peccatum inceſtus reducuntur, teſte *S. Fauſt. in Theolog. moral. lib. 4. q. 96. §. idem dicendum.* Sed an circumſtantia iſta conſanguinitatis, vel affinitatis ſit exprimenda, an verò ſufficiat dicere cõmiſi actus impudicos inceſtuoſos, ex dicendis infra patebit.

QUÆRES III.

An cum propria uxore poſſit committi peccatum inceſtus?

Affirma, & caſus eſt, quando quis copulam conſummatam habet cum conſanguinea ſuæ uxoris in primo, vel ſecundo gradu, nam tunc ſi ſuam uxorem cognoſcit, committit peccatum inceſtus, quamvis non adſit fornicatio. Ratio hujus eſt, quia per illam copulam inceſtuoſam, quã habuit cum conſanguinea ſuæ uxoris in primo, & ſecundo gradu, eſt factus affinis ſuæ uxoris in eo gradu, in quo fœmina carnaliter cognita erat conſanguinea uxori; ſed qui cognoſcit affinem, committit inceſtum, ut dictum eſt, ergo, &c. ita *Bonac. de matr. q. 4. pun. 16. n. 11.* Requiritur tamen, quod copula habita cum conſanguinea uxoris ſit conſummata intra vas naturale, quia tũc verificatur, quod ſunt facti una caro, ex quo affinitas conſurgit: Undè ſi taliter non fuit conſummata copula, committit quidem peccatum inceſtus, ut patet ex præcedenti quæſito, non tamen contrahit affinitatem cum propria uxore, & ideo illam cognoſcendo non committit inceſtum.

QUÆ-

QVÆRES IV.

An omnes inceſtus ſint ejuſdem ſpeciei?

Quia dictum eſt in primo quæſito, quod peccatum inceſtus non ſolùm committitur cum Conſanguineis, ſed etiam cũ Affinibus, cum Cognatis cognatione legali, & Cognatis cognatione ſpirituali, & in confeſſione ſunt exprimenda peccata ſecundùm ſpeciem, & numerum, ideò neceſſe eſt cognoſcere, an dictæ quatuor conjunctiones faciunt differentiam ſpecificam in inceſtu, itaut in confeſſione ſit neceſſariò exprimenda ſpecies conſanguinitatis, vel affinitatis, &c. an verò ſatis ſit dicere, toties peccavi peccato inceſtus.

In hac quæſtione non conveniunt inter ſe *DD.* Prima ſiquidè, ſententia aſſerit omnes dictas conjunctiones differre ſpecie. Ita *Valentia tom.3. diſp.9. qu.3. pun.3. verſ. atq; hic nota*, *Leſſius lib. 4. cap.p. dub.11. n.79. & alii.* Rationem aſſignant, quia longè ſcelestius reputatur inceſtus cum propria matre, quàm cum noverca, vel alia cognata cognatione legali, vel ſpirituali: Secunda ſententia tenet, omnes inceſtus eſſe ejuſdem ſpeciei, quia omnes inceſtus opponuntur eidem virtuti, ſcilicet reverentiæ debitæ propinquis, & conjunctis, & ratione hujus reverẽtiæ inter illos prohibita ſunt matrimonia. Ita *Bonac. de matrim. q.4. punct. 16. n. 6. Dian. p.p. de circumſtantiis reſol. 31.* Tertia ſententia tenet Conſanguinitatem, & Affinitatem non producere differentiam ſpecificam in peccato inceſtus, quia utrobiq; conjunctio ex ſanguine naſcitur, ex quo ſpecifica diverſitas colligi nequit: Similiter tenet cõjunctionem ſpiritualem ex Confirmatione, vel Baptiſmo non differre ſpecie à conjunctione legali, quia utraque cõjunctio ex jure poſitivo naſcitur, adeoq; videtur, quod inceſtus commiſſus cum Conſanguineis, vel Affinibus ſpecie differat ab inceſtu commiſſo cum cognatis cognatione ſpirituali, vel legali.

Dicimus tamen, probabile eſſe omnes inceſtus eſſe ejuſdem ſpeciei, quia una virtus offenditur, nec peccata diverſificantur ſpecie ob diverſitatem præceptorũ juris naturæ, Divini, aut humani, quando dicta præcepta habent unum finem, ſicuti de facto eſt in caſu noſtro, nam prohibitio accedendi ad conſanguineos, & affines intra certos gradus fuit inſti-

ſtituta, ut reverentia illis gradibus deferatur, ſed idem finis eſt in prohibitione accedendi ad cõjunctos conjunctione legali, vel ſpirituali, ergo omnes dictę prohibitiones ad unũ finem tendunt, & unã virtutẽ reſpiciunt, ergo actus contra dictas prohibitiones unam ſpeciem peccati conſtituunt, licèt unum ſit alio graviùs, magis enim, & minus non variant ſpeciem, & ſic graviùs eſt peccatum inceſtus in linea recta, quàm in linea collaterali, graviùs in primo, quàm in ſecundo gradu.

Ex hoc etiam infertur, quod gradus conſanguinitatis, vel affinitatis nõ differunt ſpecie, quia dicti gradus ſolùm denotant cõjunctionem inter perſonas eſſe magis, vel minus ſtrictam, magis autem, vel minus non mutat ſpeciem, & ſic ſatis eſt in confeſſione dicere, toties inceſtum commiſi, *Diana p.3.tr.4.reſol.159. & p.p.tr.de circumſtantiis reſol.31.*

Melius tamen, & tutius eſt aſſerere, & tenere omnes dictas conjunctiones differre ſpecie: nam inceſtus licèt ſit ſpecies fornicationis, eſt tamen genus ſubalternum continens ſub ſe alias ſpecies, & in qualibet, licet gradus non mutet ſpeciem generalem, & genus inceſtus, mutat tamen ſpeciem ſpecialiſſimam, & ta non ſufficit dicere, cognovi conſanguineam, ſed etiam oportet exprimere gradum, & an ſit in linea recta, vel transverſali, præſertim quando in primo gradu conjunguntur. Videas *de Luca ad Franc.dec.378.n.2.*

QUÆRES V.

Si probabile eſt omnes inceſtus eſſe ejuſdem ſpeciei, & quod pœnitens in confeſſione non tenetur explicare qualitatem conjunctionis, nec gradum, quarè in quibusdam partibus reſervatur inceſtus in primo, & ſecundo gradu Conſanguinitatis, vel Affinitatis tantum?

REServatio peccatorum eſt, non verò circumſtantiarũ, quæ ſpeciem non mutant, quia dictæ circumſtantiæ non ſunt aperiendæ in cõfeſſione, juxtà probabilem *DD.* ſententiam, licet ſint aggravantes peccatum, ut per *Dian.p.3.tr.4. reſol.67.* undè cum peccata ſint confitenda ex diſpoſitione Divina, nec Eccleſia poteſt reddere materiam neceſſariam, quando talis non eſt de jure Divino, ideò videtur, quod talis reſervatio nõ ſit valida, quia per illam tenetur quis confiteri circumſtantiam, quàm alias non teneretur. Hæc pro ratione dubitandi.

Cer-

Certum tamen eſt, quod pura circumſtantia, quæ ex ſe peccatum non eſt, reſervari non poteſt, ſed tantùm, atrociora quædam, & graviora crimina reſervantur, ut dicit *Trid. ſeſſ. 14. cap. 7.* & quia peccatũ cum circumſtantia gravius eſt, quàm ſine illa, ideò poteſt Superior peccatum cum tali circumſtantia ſibi reſervare, licèt pœnitens non teneatur circumſtantiam illam fateri præciſa reſervatione. In caſu autem noſtro circumſtantia inceſtus neceſſariò eſt exprimenda in confeſſione, quia eſt diverſa ſpecies à ſimplici fornicatione.

Dicet tamen aliquis, utique poſſe Superiorem ſibi reſervare peccata gravia, & atrocia, at non illa, quæ ita ſunt ratione circumſtantiæ aggravantis, & non mutantis ſpeciem, quia tunc imponeretur onus confitendi circumſtantiam illam, quam confiteri probabiliter non tenetur. Quod ſi Superior abſolutè ſibi reſervaſſet peccatum inceſtus, tunc optima eſſet talis reſervatio, quia inceſtus ſpecie differt à ſimplici fornicatione, poteſt committi cum conſanguineis, affinibus, cõjunctis conjunctione legali, vel ſpirituali, & ſic pœnitens confiteretur peccatum ſine onere explicandi, an ſit patratum cum conſanguinea, vel affine, &c. & ſine onere exprimendi gradum, quod tamen onus per ſupradictã reſervationem, de qua controvertitur, videtur injunctum.

Gravis eſt hæc difficultas Aliqui tamen dicunt, quod ratione reſervationis eſt exprimenda circumſtantia, quam præciſa reſervatione explicare non tenemur: ſicut ratione præcepti, res præcepta indifferens tranſit in ſpeciem virtutis obedientiæ, ut ferre habitum talarem, comam eſt res indifferens, & tamen accedente præcepto, tranſgreſſor peccat; ita etiam licèt circumſtantia primi, & ſecundi gradus ſpeciem non mutet, accedente tamen reſervatione explicanda eſt. Sed contra iſtam ſententiam videtur poſſe taliter inſurgi. Poſita tali ſolutione, reſervatio induceret novam ſpeciem peccati inobedientiæ, quæ non poſſet tolli ſine abſolutione à quolibet Confeſſario, etiam ſi Superior reſervationem auferret, ſed hoc eſt falſum, ergo, &c.

Alii verò dicunt Eccleſiã reſervare quoque circumſtantias non mutantes ſpeciem ſequendo opinionem dicentium, circumſtantiam non mutantem ſpeciem eſſe explicandam. Sed poſſet aliquis dicere, quod pœnitens ſequendo aliam opinionem probabilem aſſerentem circumſtantiã

non mutantem ſpeciem non eſſe explicandam; non ligatur reſervatione. Præterea peccatum dubium non eſt materia reſervationis; quia dubia non ſunt materia confeſſionis, ergo nec reſervationis; cum reſervatio,tanquam odioſa,eſt reſtringenda ad peccatum certum; ergo circumſtantia, de qua dubitatur, an ſit exprimenda, vel non in confeſſione, nec erit materia reſervationis,ſicut nec venialia reſervari valent. Videas *Anton. à Spir. Santo par.p.direstor. tr.5 diſp.14. n.937.& 943.*

Dicimus tamen,quod finis reſervationis eſt, timore pœnæ obviare enormibus peccatis; nam dignum eſt, ut quos Dei timor à malo non revocat, Eccleſiaſticæ ſaltem coerceat ſeveritas diſciplinæ,ut loquitur *Tex.in cap.cum in cunctis.7.§.fin.de elect.* Et quia ex *Trid.l.cit.*reſervatio debet eſſe in ædificationem, non in deſtructionem Eccleſiæ, ideo tantũ enormia, & gravia delicta reſervari debent, ſicut nec reſervari valet frequens lapſus, quia redderetur oneroſa magis, & intolerabilis confeſſio, ſi pro frequẽtioribus lapſis teneretur Superiorem adire. Videas *Quarant.in Summ. Bullar. verbo Caſus reſervati poſt n. 14. Squill.de privileg. Epiſcopi par. 3. cap. 21.* Cum igitur peccatum inceſtus ſit enorme, & grave, poteſt Epiſcopus illud ſibi reſervare; & licèt ſit in Epiſcoporum arbitrio quos velint reſervare, ut dicit *Quarant. l.cit.n.p.* quia abſolutio ab inceſtu nemini eſt reſervata de jure, *Corrad.lib.8.cap.2.n.12.*& ſic poſſunt omnes inceſtus ſibi reſervare, ſicut de facto Mediolani reſervatur inceſtus in primo, & ſecundo gradu cum cõſanguineis, affinibus, & cognatis ſpirituali cognatione, ut dicit *Bonac. de matrim. q.4.punct.16.n.4.*tamen in noſtra Neapolitana Diœceſi tantùm inceſtus cum conſanguineis, & affinibus in primo, & ſecundo gradu reſervatur, ne oneroſa, & intolerabilis redderetur confeſſio; ſicut eſset ſi omnes inceſtus ſub reſervatione comprehenderentur: unde S. Congreg. die 26. Novembris 1602. reſcribendo Archiepiſ. Neap. inter alia hæc habet: *In peccatis etiam carnalibus reſervandis multa utantur circumſpectione,propter periculum ſcandalorum in iis maximè perſonis, in quas ob acceſſum ad Confeſſarios extraordinarios, vel frequentem reditum ad ordinarios, ſuſpicionis aliquid cadere poteſt.* Et ita pœnitens non gravatur per talem reſervationem.

Addo, quod inceſtus de jure committitur cum Cognatis, & Affi-

Affinibus tantùm, ex Doctorum verò extenſione cōmittitur etiā cum cognatis cognatione legali, vel cognatione ſpirituali: faciunt tradita per *Dian. p. 3. tract.* 4. *reſol. 140.* ideò in Diœceſi Napolitana ne gravētur pœnitentes fuit tantùm reſervatus inceſtus, qui à jure talis appellatur; ſicut pœnæ, quæ contra inceſtuoſos imponuntur *in auth. Inceſtas nuptias. C. de inceſt. & inutilib. nupt. & in Clem. unic. de conſang. & affinit.* non habent locum contra cōmittentes inceſtum cum cognatis cognatione legali, vel ſpirituali, ut tradunt *DD. apud Antonell. de regim. Eccleſ. lib. 6. cap. 35. ſub n. 3. verſic. Tertio licet.* Unde in noſtra Diœceſi poſſet pœnitens optimè ſe accuſare dicendo, commiſi peccatum reſervatū inceſtus; abſque eo, quod teneatur dicere, an fuit cum conſanguineis, vel affinibus, an fuit cum perſona in primo, vel ſecundo gradu conjuncta, quia hoc exprimere non tenetur, ut patet ex dictis, *Dian. p. p. tract. de circumſtantiis reſol. 31.* quāvis ſibi contradicere videatur *p. 3. tract. 4. reſol. 67.* Sed tu ne recedas ab eo, quod dixi in fine præcedentis Quæſiti. Pro majori tamen claritate hujus caſus reſervati in hac Diœceſi.

QUÆRES V.

Quænam peccata inceſtus comprehendantur ſub reſervatione Neapolitana?

Comprehenditur peccatum inceſtus cum conſanguineis, vel affinibus in primo, & ſecundo gradu, & maſculi tantùm ſub tali reſervatione comprehenduntur, ut patet ex Tabella caſuum reſervatorum: & quia reſervatio eſt odioſa, ideò non omnes inceſtus comprehenduntur ſub tali reſervatione. Unde

Primò, copula ſodomitica inceſtuoſa cum adoleſcente in primo, vel ſecundo gradu conſanguinitatis, vel affinitatis non cōprehenditur, ut probabiliter tenet *Paulus Maria Quarti de caſibus reſervatis ſect. p. cap. 2. caſu 3. difficult. p. Dian. p. 3. tract. 4. reſol. 101.* quia inceſtus ſodomiticus non habet malitiam inceſtus propriè dicti, ſed largè, & minus propriè; ergo non comprehenditur ſub reſervatione inceſtus; quæ cum ſit odioſa, in ejus explicatione, ſervanda eſt verborum proprietas, & intra proprietatē verba ſunt reſtringenda, non extendenda ex ſimili, identica, vel majori ratione; ut tradunt com-

muniter *DD.* Imò dato, quod ſodomia inceſtuoſa habeat malitiam inceſtus propriè dicti, ut tenent aliqui apud *Buſſenbaum li.3. tract.4.cap.2.dub.3.* tamen non eſt inceſtus conſummatus, ad quē requiritur ſeminatio utriuſque, & commixtio ſeminum, ergo nō cōprehenditur ſub reſervatione, quæ intelligitur de peccato conſūmato in ſua ſpecie. Videas *Paul. Maria Quarti l.cit.& diffic.6.*

Secundò, copula habita cum cognata ſpirituali, vel legali, licèt ſit inceſtuoſa, non tamen eſt reſervata, quia reſervatio expreſsè eſt de copula habita cum conſanguineis, vel affinibus in primo, & ſecundo gradu. Ita *Quarti l.cit. difficult.2.* & copula habita cum cognata ſpirituali ab aliquibus vocatur inceſtus ſpiritualis, *Dian. p.3. tr.4. reſol.* 140. ubi etiam dicit, quod copula habita cum cognatis legalibus reducitur ad inceſtum, ergo non eſt inceſtus propriè dictus.

Tertiò, ignorans mulierem illam, cum qua rem habet, eſſe ſibi affinem, vel ignorans malitiam inceſtus, non ligatur tali reſervatione; quia poſita tali ignorantia non poteſt dici, quod ille habuit voluntatem committendi inceſtum, cum nihil poſſit eſſe volitum, quin præcognitum; ergo non contraxit malitiam inceſtus, adeoque nec reſervationem. Ita *Paulus Quarti l.cit. diffic.4.* & patet ex *cap.p.de eo, qui cognovit conſang.* ignorantia enim excuſat à culpa inceſtus, & facit, quod non ſit formaliter peccatū inceſtus, *Sanch. lib.7.diſp.15.n.9. Corrad. lib.8.cap.p.n.34.& cap.4. n.29.*

Quartò, impuberes cōmiſcentes ſe cum conſanguineis, vel affinibus non includuntur in caſu reſervato inceſtus, ut probabiliter tenet *Dian.p.3.tract.4.reſol.*101.*contra Floronum de caſib. reſer.p.2.caſ.6.n.28.Homobon. de caſib.reſ.p.p.c.3.fol.6.* Ratio eſt, quia ſicut minor ætas in foro exteriori excuſat à pœna ordinaria, ita & in animæ judicio. Idem *Dian.p.2.tr.p. Miſcell.reſol.p.* Undè, qui 14. annum non habent, ſub reſervatione non includuntur, ut etiam expreſsè habetur in Tabella caſuum reſervatorum in Nap. Diœceſi.

Quintò, maritus, qui commiſit inceſtum, rem habens cum ſorore ſuæ uxoris, ſi poſtea cognoſcit uxorem, & ita committit alium inceſtum, juxtà ſuperiùs dicta, tantùm in primo inceſtu ligatur reſervatione, non verò in ſecundo inceſtu cū ſua uxore, ut probabiliter defendit *Paul. Maria Quarti l.cit. diffic.5. contra Bauc. Graff.& alios.* Quia inceſtus, ut

ſit

ſit reſervatus debet eſſe cum copula ex ſe non licita, nec maritali, nam caſus reſervatus odioſus reſtringendus eſt ad congreſſum illicitum ex omni parte; talis autem copula cum ſua uxore, non eſt inceſtuoſa directè, & per ſe, ſed indirectè, & per accidens, ob pœnam jure poſitivo inflictã marito, propter priorem inceſtum, & propter affinitatem contractã cum uxore; quæ pœna privationis debiti, eſt ex prohibitione juris poſitivi, qua ſecluſa liberè, & licitè poſſet maritus accedere ad uxorem non obſtante affinitate, quia vinculum matrimoniale, quo acquiritur jus ad copulã fortiùs eſt, & ſuperioris ordinis, & ideò vincit impedimentum ſupervenientis affinitatis inter cõjuges; ergo acceſſus prædictus non eſt ſecundùm ſe illicitus, & inceſtuoſus, ſed per accidens ob pœnam adjunctam. Ità *Paul. Maria Quarti.*

Ex quo patet, quod licet *in* §. *p. diſp.* 2. *q. p.* diximus, quod ex copula illicita etiam naſcitur naturale vinculum affinitatis, ut etiã tenent aliqùi relati à *Dian. p.* 3. *in addit. ſecundaria reſol.* 21. *in fine*, ubi illam probabilem vocat, tamen ex hoc non oritur, quod cõtracta affinitate cũ propria uxore ex illa copula illicita, committatur inceſtus, quãdo ad ſuam accedit uxorem ſecluſa prohibitione. Quia ut dictum eſt vinculum matrimoniale, quo acquiritur jus ad copulam, cùm ſit fortiùs, & ſuperioris ordinis, vincit impedimentũ ſupervenientis affinitatis inter conjuges, quod impedimentum favore matrimonii facilè tolli poteſt diſpenſatione. Videas *Paul. Maria Quarti, & Sanch. lib.* 7. *de matrim. diſp.* 15. *& lib. p. diſp.* 7. *&* 32.

Sextò, ad incurrendum ſupradictum caſum reſervatum requiritur, quod actus ſit completus in loco naturali, ſcilicet, ut ſeminis emiſſio ſecuta ſit intra vas, *Bonac. de matrim. q.* 4. *p.* 16. *n.* 5. & ratio eſt, quia lex puniens delictum requirit, ut delictum ſit conſummatum in ſua ſpecie, copula autem, quæ fit ſine ſeminis emiſſione intra vas, non dicitur propriè inceſtus, nec eſt actus conſummatus in ſpecie inceſtus, ſed potiùs eſt immunditia, vel peccatum mollitiei contra naturam, quod præter malitiam peccati contra naturam habet etiam malitiam inceſtus; in materia autem reſervationis, quæ odioſa eſt, facienda eſt reſtrictio ad actum conſummatum, niſi aliter conſtet de mente reſervantis. Ita *Bonac. l. cit.*

Septimò, copula inter Confeſſarium, & pœnitentem non eſt in-

inceſtus, quia ut dictum eſt in primo quæſito Sacramentum Confeſſionis non inducit propriè cognationem ſpiritualem, inceſtus autem inter Cognatos committitur: ideò ex hoc capite non eſt peccatum reſervatum.

DISPUTATIO II.

De inceſtu quoad forum externum.

GRave delictum eſt peccatum inceſtus, ideò graviter punitur quando ad forum externum deducitur; & non ſolùm punitur per leges Civiles, ſed etiam per leges Canonicas: undè copula inceſtuoſa, & nefaria inter aſcendentes, & deſcendentes, puta inter patrem, & filiam, avum, & neptem, &c. punitur ſivè dicti deſcendentes ex juſtis nuptiis procreati ſint, ſivè ex illicita copula, *l. nuptiæ. l. & nihil. & l. adoptivus. §. ſerviles, D. de ritu nupt.* nam eſt contra naturale jus, & pudorem, à patre filiam quomodocumque quæſitam cognoſci: nec mulieres in tali delicto veniam infirmitatis ſexus impetrare valent, *l. ſi adulterium cum inceſtu. D. ad leg. Jul. de adult.* ſicut nec poſſunt defendi ignorantia juris, quia rem prohibitam à naturali jure admiſerunt, undè nec ſexui, nec ruſticitati in his parcitur. Quando verò inceſtus committitur ratione affinitatis contractæ ex illicito coitu, tunc puniri quis valet pœna inceſtus, quando illicitè cognovit primam, & illicitè etiã cognovit ſecundã, quia ut dicit *Ammend. ad Franç. dec. 340. n. 24. & 26.* excuſatur ab inceſtu, quando ſecundam cognovit *in figura* matrimonii, ut eſt caſus, quando quis ſecretò concubuit cum Bertã, deindè publicè matrimonium bona fide contraxit cum ſorore Bertæ; undè ex illicito coitu cõtrahitur affinitas quoad impedimentum matrimonii, ſecus quoad puniendum aliquem de inceſtu, ut ſingulariter *notat Hippol. de Marſil. ſing. 254. Capon. controv. for. 26. num. 15.* Si verò poſt contractũ matrimonium cognovit ſororem ſuę uxoris, vel aliam illius conſanguineam uſque ad quartum gradũ, tunc de inceſtu teneretur, *Boer. dec. 318. n. 5.* Similiter in affinitate in ulterioribus gradibus præter primum, & ſecundum ex copula illicita non committitur inceſtus, ſtante Bulla Pii V. de

qua

qua ſupra in §.*p.diſp.2.q.3.* & ita in tali caſu ceſſant pœnæ inceſtus, ut probat *Guttier. lib.p. canonic.quæſt.cap.23.n.3.* Cum igitur inceſtus utroq; jure punitur. Ideo,

QUÆRES I.

Quænam eſt pœna inceſtus de jure Civili?

ALiqui relati à *Clar.in §.inceſtus.verſic.ſed quæro*, dicunt, quod eſt pœna mortis;quã ſententiam veram dicit *Clar.* quando inceſtus committitur cum aliqua alia ſpecie fornicationis, puta cum adulterio, vel ſtupro. De facto tamen practicatum refert, quod ratione ſolius inceſtus inter aſcendentes,& deſcendentes in linea affinitatis, puta quando cognovit matrem, & filiam, vel neptem, aliquando fuit data pœna mortis, aliquando pœna triremis,aliquando pœna pecuniaria. Imò per S.C. quidam, qui ſtuprum, & inceſtum cum duabus ſororibus conſobrinis commiſit, fuit damnatus ad triremes, reformata ſententia M. C. V. per quam ad mortem damnatus erat: de qua re *Reg. S.Felic.dec.*417.

Nos tamen dicimus, quod inceſtus inter aſcendentes, & deſcendentes punitur pœna ultimi ſupplicii,*Boſſ.in tit.de coitu damn. & punibili n.6.ubi dicit*,quod parentes propter nefarium inceſtum habitum cum ſuis filiabus, fuerunt igne combuſti,vel furcis ſuſpenſi, *Boer. dec.* 318. *n.p. Fontanell. de pact. nuptial. clauſ.5. gloſ.5.p.2.n.6. Viſcon. ad Franch. dec.378. in fin.* & alii relati *à de Luca ad Franch.l.cit.n.4.* Similiter inceſtum commiſſum à Privigno cum Noverca puniri pœna mortis dicit *Caball.cent.2. caſu 200.n.2.& 9. Bajard.ad Clar. in §. inceſtus.n.5.* Mitius verò punitur inceſtus in linea collaterali. Hinc.

Quando inceſtus committitur in figura matrimonii,tunc ſi ſcienter inceſtas contraxerunt nuptias,non ſolùm ſunt ſeparandi, ſed etiam de jure civili ſunt aliis pœnis puniendi, de quibus *in l. qui contra legum.4. l.ſi quis inceſti.6. & authent. inceſtas C. de inceſt. & inutilib. nupt. l.ſi adulterium* 38. *§.ſtuprum in ſororis filiam D. ad leg. Juliam de adulter.* & in tantùm per leges Civiles abominatur copula inceſtuoſa, quod per diverſos Imperatores prohibitum fuit, uxorem fratris ducere,vel duabus ſororibus cõjungi, *l.fratris.5. l.licet.8. & l ab inceſt.9.C.de inceſt.& inutil. nup.* quibus juribus cõtra inceſtas nu-

prias

tias ſcienter cõtrahentes punitur pœna publicationis omnium bonorum, dignitatem ſi quam habet amittit, in exilium mittitur, & ſi vilis ſit etiam verberatur, *Antonell. de regimine Eccleſ. lib.6. cap.35. n. 2.* non tamen punitur pœna mortis, niſi cum inceſtu ſit conjunctum adulterium, vel aliud grave crimen, *Anton. Faber. lib.5. C. tit.3. definit.p.* vel niſi ſit inceſtus, qui jure gentium committitur, puta quando aſcẽdens deſcendenti conjungitur; quia tale crimen, cum ſit longè gravius, quàm inceſtus, qui de jure Civili eſt talis, ut eſt inceſtus inter collaterales, ideò gravius punitur, nullamq; omninò admittit excuſationem, nec in mulieribus, nec in minoribus, ſed ſupremo capitis ſupplicio punitur, ſivè matrimonium præceſſerit, ſivè non, *Faber l. cit. definit.5. l. ſi adulterium. 38. §. ſtuprum, D. ad l. Jul. de adult.* Si verò ignoranter inceſtas nuptias contraxerunt, tunc ſeparantur, & nulla pœna puniuntur, *Bajard. ad Clar. l. cit. n. 10.* quia ſcientia neceſſaria eſt, non ut cõtrahatur inceſtus, ſed ut pœna committatur, *Faber. d. tit.3. defin. 8. d.l. ſi adulterium. 38. §. ſtuprum.*

Quando verò inceſtus committitur ſine figura matrimonii, ſcilicet per viam fornicationis, tunc non eſt neceſſe diſtinguere ſcienter-ne, an ignoranter ſit cõmiſſus, ſed ſemper punitur, niſi copula ſit habita cum meretrice, vel muliere impudica, quia tunc vir ſi verè erat ignorans nõ punitur, *Bajard. l. cit.* pœna autẽ dicti inceſtus de jure cõmuni extra figuram matrimonii cõmiſſi, quando non eſt contra jus gentium, ſed eſt contra jus poſitivum ſivè illud jus Civile ſit, ſivè Canonicum, neque aliud crimen habet annexum, non eſt pœna capitis, ſed eſt pœna exilii, & confiſcationis bonorum; accedente verò alio crimine eſt pœna capitis, niſi aliud ſit, quod moliendam pœnam ſuadeat, ut in perpetuas triremes ſupplicium capitis commutetur, ut dicit *Faber l. cit. definit. 7. qui definit. 8.* dicit duas ſorores cum eodem amaſio rem habentes, & ita inceſtum committentes, etiam extra figuram matrimonii, virgis cædendas eſſe placuit, ſi modò altera alterius criminis cõſcia fuiſſet, & *Fontanell. de pact. nupt. clauſ.5. gloſ.5. part. 2. n. 6.* refert de inceſtu commiſſo cum duabus ſororibus, quod fuit punitus deportatione, & mulieres fuerũt incluſæ in Monaſterio. Mulier verò, quæ ſui copiam fecit duobus fratribus, fuit punita pœna fu-

fuſtigationis, & exilii per triennium, ut idem refert.

In Statu verò Eccleſiaſtiaco per Conſtit. Sixti V. eſt contra inceſtuoſos ſtatuta pœna ultimi ſupplicii, quando quis auſu nefario ſcienter matrem, & filiam, ſivè duas ſorores germanas carnaliter cognoſcit, etiam ſi illæ, vel altera earum publicæ meretrices fuerint, ſivè clam, ſivè palam, ſivè in figura matrimonii ſit commiſſum inceſtus: Eadem pœna punitur mulier, quæ ſciens matrem, vel filiam, vel ſororem ſuam cum aliquo viro rem habuiſſe, eidem corporis ſui copiã fecit, ſivè ſint meretrices, ſivè non, *Bajard. ad Clar. l. cit. n.* 10. Idem dicas de muliere, quę ad ſui concubitum admiſit patrem, & filium, vel duos fratres germanos: & non ſolùm ipſa punitur pœna mortis quãdo ſciẽnter admiſit, ſed etiam vir, qui cum ea peccavit, quam ſcit peccaſse cum ſuo patre, filio, vel fratre, *Fontanell. l.cit. n.7. Antonell. de Regim. Eccleſiæ lib.6.cap.35.ſub n.2.*

Advertas tamen hic, quod aliquando eſt inceſtus de jure Canonico, ſed non eſt inceſtus de jure Civili, ideò inter *DD.* dubitatur, an pœnæ de jure Civili introductæ pro inceſtu locum habeant tantùm in inceſtu de jure Civili, an verò extendi valeant ad inceſtum de jure Canonico: de qua re pertractat *Sanfelic. deciſ.* 417. ubi defendit, quod talis extenſio non eſt facienda, & ſolvit rationes, quæ in oppoſitum adducuntur: idem tenet *Antonell. de Regim. Eccleſ. lib.6.cap.35. n.3. Diaz in pract. crim. cap.78. de Luca ad Franch. obſer.* 240. *nu.* 6. ubi dicit, quod *Caballus reſolut. criminal. cent.2. caſu* 200. *nu.* 41. oppoſitum firmat.

Ex dictis patet, quod in crimine inceſtus non ſemper imponitur pœna mortis, & ideò falſum eſt, quod aliqui dicunt, quod punitur eadem pœna, qua adulterium, & ſic punitur pœna mortis; ex eo quia adulterium, & inceſtus æquiparantur, & crimen inceſtus majus eſt crimine adulterii. Siquidem, quod non liceat arguere ab adulterio ad inceſtũ optimè firmat *Sanfelic. dict. deciſ. 417. De Luca ad Franch. obſervat. 378. n.3.* Unde tale delictum de conſuetudine arbitraria pœna, vel triremium, vel fuſtigationis, relegationis, vel pecuniaria punitur, juxtà facti, & perſonarum qualitatem, *Antonell. de Regim. Eccleſiæ lib. 6. cap. 35. n.2.* Immò, quod inceſtus ſimul cum adulterio non puniatur pœna mortis, ſed pœna deportationis in Inſulam, quando cum adulterio, vel ſtupro concurrit, expreſsè

habetur *in l. ſi quis viduam.5. D. de quaeſtion.* & ideò quando ſolùm concurrit inceſtus, locum non habet dicta poena deportationis in Inſulam, ut notat *Hippol. de Marſil. in d. l. ſi quis viduam. n. 2.* quia quando concurrunt duae rationes in lege, ceſſante una ipſarum rationum, ceſſat legis diſpoſitio, in citata autem lege fuit impoſita poena deportationis, quando cum inceſtu concurrit adulterium, vel ſtuprum. Videas *Marſil. l. cit. n. 3.* ubi argumenta in oppoſitum ſolvit, *& n. 4. & ſeqq.* dicit, quod eadem poena eſt puniendus vir, & mulier, quando inceſtum, & ſtuprum, vel adulterium commiſerunt, quod habetur in *l. ſi adulteriũ. 38. D. ad l. Jul. de adult.* Jure verò Codicis adulteri gladio erant puniendi, *l. quamvis. in fine, C. ad leg. Jul. de adult.* quae poena in foemina mitigata reperitur in *Authentica Sed hodie. C. cit. tit.* Quomodo autem ſalvari poſſit diſpoſitio *Tex. in l. ſi quis viduam. D. de quaeſtionibus*, ubi pro inceſtu, & adulterio imponitur poena exilii, cum *l. ſi adulterium. 38. §. ſtuprum. D. ad l. Jul. de adult.* & cum aliis legibus, in quibus pro adulterio imponitur poena mortis, videas *gloſſ. in d. l. ſi quis viduam*, ubi etiam *Hippolit. de Marſil. in fine.*

Infertur ex dictis, quod inceſtus commiſſus in figura matrimonii mitius aliquando punitur, quàm adulterium, vel inceſtus ex fornicatione, puta quando ex errore, vel ignorantia juris, & bona fide eſt contractum matrimonium; nam juſta excuſatio in tali caſu allegari valet, quae tamen nunquam allegari poteſt in fornicatione, vel adulterio, ut expreſsè habetur *in d. l. ſi adulterium. 38. §. ſtuprum* cum aliis ſequentibus, & mulier in tali caſu propter ignorantiã juris excuſatur à poena inceſtus, ab adulterio verò commiſſo nullatenus excuſari valet, *d. §. ſtruprũ. Antonell. l. cit. n. 3.* ubi dicit, quod poenae impoſitae cõtra inceſtuoſos locum nõ habet contra illos, qui inceſtas nuptias per ignorantiam juris, vel facti, etiã ex craſſa, & lata culpa contrahunt; idque etiam ſi detecta cõſanguinitate adhuc cohabitent, & ſe carnaliter cognoſcant, quãvis in tali caſu graviter peccent.

Advertas, quod licèt ſecundùm aliquos committatur inceſtus cum Cognato cognatione legali per adoptionem, aut cognatione ſpirituali, per ſuſceptionem in Baptiſmo, vel in Confirmatione in iis gradibus, in quibus dirimitur matrimonium, tamen in iſtis caſibus locum non ha-

habent pœnæ de jure Civili ſtatutæ contra inceſtuoſos, *Antonell. l.cit.circa finem*.

QUÆRES II.

Quænam ſunt pœnæ inceſtus de jure Canonico?

Condemnatus in judicio de crimine inceſtus plures patitur pœnas. Primò eſt ipſo jure infamis, qui de tali crimine eſt in judicio damnatus, *can.conjunctiones. 35. q. 2. & 3.* id multò magis ſi inceſtus culpabilis contingat ſub figura matrimonii, à qua pœna excuſatur, qui ignoranter contraxit, *can. qui propinquam.35.q.2. & 3.* quæ ignorantia præſumitur, quando matrimonium fuit contractum in faciē Eccleſiæ, ſervata forma Concil. Trid. ſcilicet factis denunciationibus, *Theſaur. de pœnis Eccleſiaſticis p.2. verbo Inceſtus pœna*. Controvertitur tamen inter *DD.* an utroque jure ipſo facto fiat infamis infamia juris, qui inceſtas contrahit nuptias; & aliqui affirmant *ex Authentica Inceſtas. C. de inceſtis nupt. can. conſanguineorum. 3. q. 4. Farinac. q. 149. n.136.* Alii dicunt id verum eſſe de jure Canonico, ſecus de jure Civili, *gloſ. in d. can. conſanguineorum.verbo ſub infamia. Theſaur.dec.Pedem.100.n.3.* Tandem alii requirunt ſententiam condemnatoriam, ſicut in aliis publicis judiciis, *Turrecrem.in can. conjunctiones. 35.q.2. Menoch. de arbitr.lib.2.caſu 502.n.54.*

Secundò, contrahens inceſtas nuptias, & conſūmans fit irregularis, quando tale crimen notorium eſt, vel de tali crimine eſt damnatus, *Turrecrem. in can.nec eam.num.3.35. q.2. Farin.q.149. n. 136. Sayr. de cenſ.lib.7. cap.12. n.12. Majol. lib.5. cap.39.n.p.*

Tertiò, committens inceſtum ſub figura matrimonii incurrit excommunicationem latæ ſententiæ, quando ſcienter contraxit; imò talem excommunicationem incurrit, qui ſcienter inceſtas nuptias contraxerit, ſed non conſummavit, *Clement.unic. de conſang. & affinit.* ſed talis excommunicatio non eſt reſervata Papæ, *Salzedò ad Diaz in pract. crim. cap.78. §. laicus*, *Theſaur. de pœn. Eccleſ.p.2.verbo Matrimonium cap. 5.* Difficultas tamen eſt, an committens inceſtum extra figuram matrimonii incurrat excommunicationem, & licèt *Duennas reg.150. ampl.p.* affirmativam ſententiam ſequatur, ſicut etiam *Farinac. q. 149. n.16. ex can.ſi quis cum matre.33.q.2.*ibi:*anathematis percutitur ictibus*; tamen communi-

ter alii tenent, quod committens inceſtum extra figuram matrimonii non incurrit excommunicationem latæ ſententiæ, ſed ferendæ. Videas *Theſaur. dicto verbo Inceſtus pœna*. Et certè non reperitur pro tali delicto excommunicatio in jure, nam in *can. de inceſtis conjunctionibus. 35. q. 2. & 3.* ſolùm dicitur, quod inter cathecumenos orare, & manere debent, donec legitimè ſatisfecerint, ibi: *Quos omnes, olim, & nunc ſub hac conſtitutione inceſtos eſſe non dubitamus, & inter cathecumenos uſque ad legitimam ſatisfactionem manere, & orare præcipimus*: & ità inceſtuoſi poſſunt ſtare uſque ad miſſam cathecumenorum, *can de his. 35. q. 2. & 3.* quod excommunicatis non eſt permiſſum; cathecumeni enim, ut dicit *gloſ. in d. can. de his.* poterant in miſſa ſtare, uſque ad Surſum corda, vel uſque ad conſecrationem Corporis Chriſti, vel uſque ad Evangelium, & deindè expellebantur ab Eccleſia.

Poſſunt tamen inceſtuoſi incurrere excommunicationem, quando Ordinarius per ſuam cōſtitutionem Synodalem, vel per caſus reſervatos, excommunicationem incurrere declaravit inceſtuoſos, quos in pœnam peccati poteſt Ordinarius excommunicare, cum de jure inceſtuoſi ſint excommunicandi, & *Gregor. XIV. in conſtit.* quæ incipit, *Sicut antiquitus.* anno Domini 1590. adjecit excommunicationem, aliaſque pœnas contra inceſtuoſos in primo, & ſecundo gradu conſanguinitatis, aut affinitatis; & demum locorum Ordinariis in virtute ſanctæ obedientiæ præcepit, ut contra hujuſmodi inceſtuoſos tam viros, quā mulieres, cujuſcumque ſtatus, gradus, dignitatis, ordinis, & conditionis exiſtant, juxtà Sacrorum Canonum decreta procedant, ipſoſq; excommunicatos declarent, ac tanquam tales à Chriſti corpore, & Eccleſiæ Dei unitate ſeparatos, ingreſſum Eccleſiarum prohibeant, & graviter puniant, *Corrad. lib. 8. diſp. Apoſt. cap. 2. n. 15. & 16.*

Ex hoc colligitur ratio, quare in literis diſpenſationū in gradibus proximioribus, quę per Breve expediuntur, cōmittitur Ordinario, ſeù Vicario, *ut ipſos Oratores, non ſolùm ab inceſtus reatu, & exceſſibus hujuſmodi, verùm etiam ab excommunicationis, aliiſque cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, & temporalibus, tam à jure, quàm ab homine, contra ſimilia perpetrantes, promulgatis; quas ipſi Oratores propterea incurrerunt, abſolvat*. Similiter colligitur ratio, quare in ſupplicatione pro diſpen-

penſatione cum inceſtuoſis, ubi
gitur de matrimonio contra-
iendo, ſecuta copula ſcienter, vel
gnoranter, ſuper gradibus re-
notis, aliiſque impedimentis,
etitur abſolutio *ab excommuni-
ationis ſententia, quam Oratores
ropter præmiſſa incurrerunt, in-
eſtus reatu, & exceſſibus hujuſ-
odi, &c.* & tamen in literis diſ-
enſationis ſuper ipſa ſupplica-
one expeditis nunquam datur
bſolutio à dicta excommunica-
onis ſententia, ſed tantùm ab
nceſtu, & exceſſibus ſupradictis,
ım dictæ excommunicationis
bſolutio poſſet etiàm dari in
ſis literis.

Ratio autem horum eſt, quia
ceſtuoſi in primo, aut ſecundo
adu conſanguinitatis, vel affi-
tatis incurrunt excommunica-
ones ex conſtit. Gregorii XIV.
ideò in literis diſpenſationis
mittitur abſolutio dictæ excõ-
unicationis: Inceſtuoſi verò in
iis gradibus remotioribus non
currunt excommunicationem,
ſi talis excommunicatio con-
inceſtuoſos ſit impoſita ab
rdinariis locorum per aliquam
onſtitutionem Synodalem, vel
caſibus reſervatis, vel ſint per
rdinarios declarati excommu-
cati juxta Sacrorum Canonum
creta; ideò non eſt neceſſe in
eris committere ſpecialiter
abſolutionem ab excommunica-
tione in dicto caſu, cum ſola ſup-
plicationis ſignatura ſufficiat pro
abſolutione ab hujuſmodi ex-
communicatione incurſa propter
talem inceſtũ, *Corrad. l. cit. n. 13. & ſeq.* Undè quando nulla ex-
communicatio ab Ordinariis re-
peritur lata, non ſunt abſolvendi
ab excommunicatione. Si verò
matrimonium ſcienter in gradi-
bus cõnſanguinitatis, & affinita-
tis conſtitutione Canonica inter-
dictis contraxerunt, tunc ipſo fa-
cto ſunt excommunicati, *Clem.
unic. de conſang. & affinit. Bonac.
de excommunic. in partic. extra
bull. cœnæ diſp. 2. q. p. pun. 7. The-
ſaur. de pœn. Eccleſiaſticis verbo
Inceſtus pœna, & verbo Matrimo-
nium cap. 5.*

Abſolutio verò ab inceſtu in-
terdum committitur Ordinariis
locorum, vel Vicariis in literis
diſpenſationis, non quia inceſtus
eſt crimen reſervatum, cũ non in-
veniatur in jure talis reſervatio,
& quilibet valeat abſolvere Ora-
tores ab inceſtu; ſed quia talis
abſolutio cõceditur ad effectum
contrahendi matrimonium præ-
via diſpenſatione Apoſtolica,
cum non poſſint matrimonium
contrahere, niſi prius ab inceſtu
abſolvantur; ideò cum Papa in
tali caſu manus imponat conce-
dendo diſpenſationem, videtur
to-

totum negotium ad ſe avocare, & inferiorum manus ligare. Ita *Corrad. lib.8. diſp. Apoſtol. cap. 2. n. 12. & ſeq.*

Ego tamen dico, quod abſolutio ab inceſtu committitur locorum Ordinariis in literis diſpenſationis, non quantùm ad facultatem abſolvendi à peccato inceſtus, quia tale peccatum à quolibet Confeſſario abſolvi valet, niſi ſit reſervatum, ſed committitur quantùm ad facultatem abſolvendi à pœnis incurſis propter inceſtum, cum inceſtuoſus nequeat matrimonium contrahere cum qualibet perſona, nec poſſit debitum petere, *can. ſi quis cum matre. 35. q. 2. & 3. can. ſi quis cum duabus. 33. q. 2. cap. p. 2. & 4. de eo qui cognovit conſang. uxor. ſuæ*; à qua pœna abſolvitur per talem commiſſionem: Et quamvis aliqui *DD.* aſſerant, quod talis pœna hodie locum nõ habet, niſi inceſtus ſit commiſſus in primo, vel ſecundo gradu; tamen communiter alii tenent, quod uſque ad quartum conſanguinitatis gradum extenditur talis pœna, *Sanch. lib. 7. de matri. diſp. 15. n. 4.* Verùm tamen eſt, quòd talis pœna non eſt impedimentum dirimens matrimoniũ, ſed tantùm impediens *cap. tranſmiſſæ. 4. de eo qui cognovit cõſang. uxor. ſuæ. Sanch. l. cit. n. p.* imò tale impedimentum videtur deſuetudine ſublatum, nec eſt neceſſe petere diſpenſationem à tali pœna, ſicut in diſpenſatione ad petendum debitum, qui habet jus diſpenſandi, non tenetur injungere, ut ſi ſupervixerit conjugi, maneat celebs, quamvis de ſtylo Datariæ, & Pœnitentiariæ id injungatur, *Theſaur. de pœnis Eccleſiaſticis verbo Inceſtus pœna. Sanch. lib. 7. diſp. 17. n. 8. & 9.* Præterea inceſtuoſus ex duplici capite non poteſt cum ſua conſanguinea, cum qua copulam habuit matrimonium contrahere, & quia eſt illius conſanguineus, & quia inceſtum commiſit, ideo in diſpenſatione Pontificis de utroque eſt facienda mentio; diſpenſatio enim conceſſa ſuper impedimento conſanguinitatis, vel affinitatis non expreſſa copula inceſtuoſa habita cum eadem perſona ſubreptitia eſt, & nulla. De iſta abſolutione ab inceſtu, videas dicta ſupra in §. 2. diſp. 6. circa finem.

Quartò, committens inceſtum cũ conſanguineis ſuæ uxoris, vel ſui mariti, privatur ipſo facto jure petendi debitum conjugale *cap. p. de eo, qui cognov. conſang. uxor.* quæ pœna hodie locum habet quando cum dictis conſanguineis in primo, & ſecundo gradu tantùm committitur inceſtus,

quia

quia *Trid. ſeſſ.24. cap.*4. reſtrinxit impedimentum affinitatis ex copula fornicaria ad primum, & ſecundum gradum, & S.Congr. declaravit idem eſſe quoad impedimentum petendi debitum, *Theſ. l. cit.* §. 4.

Quintò, committens inceſtum cum conſanguineis ſuis uſque ad quartum gradum, vel cum perſona, cum qua habet jus publicæ honeſtatis, vel cum affinibus in primo, & ſecundo gradu incurrit ſpeciale impedimentum matrimonii contrahendi cum eadem perſona, cum qua inceſtus eſt commiſſus, & ideò diſpenſatio conceſſa à Papa ſuper impedimento conſanguinitatis, vel affinitatis eſt ſubreptitia, & nulla, ſi non fuit facta mentio de copula inceſtuoſa habita cum eadem perſona. Imò ſi talis copula inceſtuoſa ſit habita ea intentione, ut faciliùs obtineat diſpenſationem matrimonialem, etiam de tali intentione eſt facienda expreſſa mentio, aliàs nulla erit diſpenſatio, ut ex dictis in præcedenti §. conſtat. Verùm tamen eſt, quod ſi copula iſta inceſtuoſa eſt occulta, ſufficit petere in Dataria diſpenſationem ſuper gradibus, & in Pœnitentiaria ſuper copula inceſtuoſa; ſed tunc ſervanda eſt forma in Brevi reformationis Sacræ Pœnitentiariæ ſtatuta à Sanctiſs. D.N. Urbano VIII. qua diſponitur, quod ſi copula eſt publica, quamvis intentio ſit occulta, eſt impetranda in Dataria diſpenſatio, etiam ſuper intentione, ſecus verò ſi copula fuit occulta, & ita intelliguntur, quæ diximus ſupra in §.2. *diſp.3. q.3. & 7.* Videas *Theſaur. de pœnis Eccleſiaſt. verbo Inceſtus pœna*, §. *ſexto inceſtum.*

Sextò, ſecundùm aliquos *DD.* filii inceſtuoſi infames ſunt infamia juris; alii verò dicunt, quòd ſunt infames infamia facti, de quo videas *Theſaur. l. cit.* §. 7. *filii*. Ipſi tamen inceſtuoſi ſunt infames, & adeò ſunt odioſi, quòd eos defendentes, & eis patrocinium præſtantes ſimilem incurrunt infamiam, *Foller. in pract. crim. in 6. parte principal. num.9.*

Septimò, Clerici inceſtuoſi depoſitionis pœna puniuntur, *Clar. in* §. *inceſtus, verſic. ſed quæro*, & ſecundùm gravitatem delicti, non ſolùm deponuntur, ſed etiã carceri mancipari valent ad tempus, *Diaz in pract. crim. canon. cap. 68.* Ipſo jure vacant illorum beneficia, & ſi Clericus in ſacris ordinibus conſtitutus matrimonium contrahere præſumpſerit, ipſo facto eſt excommunicatus, *Clem. unic. de conſang. & affinit. Antonell. de regim. Eccl. lib.6. cap. 35.*

35.n.2.in fin. Foller.in pract.criminal.in 6.part.princip. n.9. Verùm *Fab. de Monteleon. in prax. arbitr. p.4. n. 126.* dicit, quod tunc Clerici deponendi veniunt ab omnibus eorum Ordinibus, officiis, & beneficiis Eccleſiaſticis, quando inceſtuoſas nuptias contraxerunt.

Et octavò, inceſtuoſi repelluntur à teſtimonio, ex eo quia infames, *can. infames.6.q.1.Foller. l.cit.* ubi etiam dicit, quod non poſſunt hæredes inſtitui, nec aliquid eis legari, & ſi contrarium factum fuerit, Fiſco applicatur, cum auferatur, ut ab indigno: quæ tamen pœna procedit de jure Civili, quia de jure Canonico eis aſſignatur aliquid loco alimentorum, ut idem Doctor dicit.

§. IV.

De perſonis, quæ revelare non tenentur virtute Monitorii.

QUarto requiritur cognitio graduum, & cognationum, ut diſcerni valeat, quandò quis revelare nõ tenetur virtute Monitorii, nam ut dicit *Genuen. in prax.cap.2.n.3.* qui de jure compelli non poſſunt ad teſtificandum, ut ſunt conſanguinei, & alii enumerati in *l.Julia.D.de teſtib.* (de quibus agemus infra in cap.2.§.13.) nõ tenentur revelare, niſi quando compelli poſſunt, ſcilicet in aliorum defectum, juxtà limitationem præcitati Doctoris, *Piaſec.in prax. p.2.cap.4. art. 13.n.16.*

De iſtis Monitoriis concedendis latè pertractant *Genuenſ. in prax. cap.p.& 2. Piaſec. loc.cit. Squillant. de Privileg. Epiſcopor. par p.cap.26. n.20. & ſeqq.* & alii relati à *Barboſ. ad Trid. ſeſſ. 25. cap. 3. de reform. Zerola in prax. p.1.verbo Excommunicationis cauſa materialis, Guttier. lib.p. canonic.qq.cap.11.* quos videas, nam in hac materia immorari non expedit, cum de gradibus cognationum nihil contineat, præterquam excluſionem illarum perſonarum, quæ ratione cognationis revelare nõ tenentur. An autem dentur perſonæ, quæ accuſare non tenentur hæreticos ratione cognationis, dicemus infra in dicto §. 13.

§. V.

De perſonis, quæ licitè cum Excommunicato vitando converſari valent.

QUintò, ſcientia cognationum, & graduum requiritur jure Canonico pro ſciendo, quando Conjuncti poſſunt cum excommunicato vitando licitè communicare. Quamvis enim unus ex effectibus majoris excõmunicationis ſit, privatio communicationis cum aliis fidelibus, tam de jure humano, quàm Divino, ut probat *Covarr. in cap. Alma mater. §. 1. num. 1. de ſent. excom. in 6.* quando communio eſt in Divinis; in aliis autem actibus civilibus eſt tantùm lege humana, itaùt peccet communicans in rebus civilibus, & actionibus humanis cum excommunicato vitando, & incurrat minorem excommunicationem; dummodò non communicet in crimine criminoſo, ſcilicèt non cõmunicet cooperando crimini, & contumacię, quia tunc majorem incurreret excommunicationem, *Bonac. de excom. diſp. 2. q. 2. p. 6.* tamen excuſantur à peccato, & à minori excommunicatione, quando communicãtes cũ dictis excommunicatis ſunt Cõjuncti, putà ſunt filii, vel Affines, qui loco filiorum habentur, ut Gener, Nurus, Privignus, *Bonac. d. pun. 6. §. 2. pro. 2. num. 28. Marc. Anton. Roveſcallenſ. ad Dec. in l. jura ſanguinis. ff. de regul. iur. Hippolyt. de Marſil. ſingul.* 210. Similiter excuſantur à peccato, & excommunicatione Pater, & Mater, & alii Aſcendentes; ſicut etiam, qui loco aſcendentiũ habentur, ut Noverca, Socrus, &c; unde Gener poteſt cum Socero excommunicato licitè communicare, *Bonac. l. c. n. 30.* Filii ergo non ſolùm in poteſtate, ſed etiã emancipati, vel naturales poſſunt cum patre excommunicato licitè cõmunicare; Adoptivi verò quamdiù non ſunt emancipati etiam cõmunicare valent, *Dian. p. 5. tract. 9. reſol.* 118. & nomine filiorum veniunt Nepotes, Pronepotes, Nurus, Gener, Socer, Privignus, Privigna, & Pupillus, quamdiù ſub tutoris cura eſt in ejus domo, quia loco parentis eſt: ſi verò extra tutoris domum habitet, poterit communicare ſolùm in his, quæ ad munus tutoris pertinent, *Dian. loc. cit. reſol. 119.* & Pater etiam cum filio ex-

excommunicato communicare valet, *Dian.l.c.n.*120. Sicut etiam Uxor cum Marito, unde non peccat communicando cum illo, tàm in petitione, & redditione debiti, quàm in omnibus aliis obſequiis, & actibus, quæ ad matrimonium ſpectant, ut in gubernatione domus, in cōmuni menſa, & etiam in familiari colloquio, *Dian. d. tract.9. reſol.*122. ubi excipit primò, quando excommunicatio eſt lata cauſa matrimonii, de quo dubitatur, an ſit legitimè contractum. Secundò excipit, quando mediante divortio ſunt ſeparati, nam durante divortio communicatio cū viro excōmunicato nō eſt licita, quæ tamen licita redditur, ſi cū eo reconcilietur etiam durante excommunicatione, & cohabitent. Tertiò excipit, quando cōmunicaret in crimine, propter quod fuit lata excommunicatio. Quartò excipit, quando maritus excōmunicatus invitaret ad mēſam alium excommunicatum, mulier enim tunc tenetur excōmunicatum invitatum vitare, præciſa neceſſitate. Et quintò excipit, quando vir eſſet excommunicatus ob hæreſim, quæ exceptiones etiā ponuntur à *Sanch. lib.9. de matr. diſp.14. n.9. & ſeqq.* Maritus poteſt etiam licitè cum uxore excommunicata communicare, ut probat *Dian. p.5. tr.9. reſol.* 123. *Covarr. in cap. alma mater.* §.1. *nu.*8. *de ſent. excomm. in 6. Sanch. l.c. n.*14. *& ſeqq.* penès quem aliorum placita habes. Sponſa verò non poteſt cum ſpōſo excommunicato communicare, nec è contrario *Dian. l.c. reſol.*126. ubi de vera ſponſa (quæ de futuro intelligitur) loquitur, ut etiā dicit *Sanch. lib.9. diſp.*14. *num.*8.

Non ſolùm enumeratæ perſonæ excuſantur, quando communicant cum excommunicato vitando, ſed etiam excuſatur frater communicans cum fratre excommunicato, dummodò in eadem domo habitent, vel adſit aliqua neceſſitas, aut utilitas cū illo communicandi, *Dian. l.c. reſol.*125. frater enim non excuſatur ratione conjunctionis, ſed ex aliis cauſis, quæ etiam extraneos excuſare valent, ſicut excuſantur ſervi, qui cum alio ſervo excommunicato ejuſdem Domini communicant, *Dian. l.cit. & reſol.* 127. ubi tamen loquitur de ſubditis communicantibus cum eorum Superiore.

Si autem cupis ſcire, quodnam peccatum eſt communicare cum excommunicato vitando, videas *Felinum in cap. à nobis.* 2. *num.*11. *de except. Covarr. in cap. alma mater.* §.3. *n.*7. *ubi n.*3. ponit,

nit, quando communicans cum excommunicato vitando incurrit etiam majorem excommunicationem.

Advertas, quod enumeratę perſonę licitè valent communicare in humanis cum excommunicato vitando, ſecus verò in Divinis, quia, ut probat *Covar. l.c.§.1.n.1.in fin.* lege Evangelica prohibetur cõmunio cum excommunicatis, in his, quæ ad Divina pertinent, & ideò *n.2.* dicit; quod Papa diſpenſare non poteſt, nec cuiquam permittere, ut abſque peccato communicet cum excõmunicato majori excõmunicatione in Divinis, quamvis poſſit tollere pœnam, quæ à jure Canonico fuit impoſita, ſcilicet pœnam excommunicationis minoris. Eſt contra *Sanch. lib.9. de matr.diſp.14.n.5.* ubi tenet, quod uxor licitè poteſt in Divinis cũ viro excommunicato majori excommunicatione communicare, cum generalis ſit exceptio, ut uxor minimè comprehendatur ſub præcepto participationem cum viro excommunicato interdicente. Licitè tamen conjux excommunicatus poteſt debitum petere, & exigere, & alter tenetur ei reddere, ut contra aliquos probat *Sanch.l.c.n.19.& ſeqq.*

§. *VI.*

De teſtibus deponentibus de Affinitate, vel Conſanguinitate.

SExtò jure Canonico neceſſaria eſt ſcientia Cognationũ, & graduum, quando teſtes deponunt de affinitate, vel conſanguinitate in ordine ad dirimendum matrimonium: debent enim iſti teſtes gradus conſanguinitatis computare ab aſcendentibus, vel à germanis, & ſic per ordinem diſtinguere gradus nominibus propriis, vel æquipollentibus indiciis deſignãdo perſonas, ut expreſsè habetur in *cap. tua nos. de conſang. & affinit.* Iſta autem à teſtibus fieri non valent, ſine notitia numerationis graduum, *Anna ſingul.*102.

§. *VII.*

De deſcendentibus ab Hebræis, vel Hæreticis in ordine ad Beneficia, vel Officia.

SEptimò eſt jure Canonico neceſſaria ſcientia Cognationum,& numerationis graduũ, quando beneficia, vel officia cõferenda ſunt deſcendentibus ab Hebræis,vel ab Hæreticis; ſiquidem deſcendentes ex tali ſtirpe, & genere non admittũtur ad beneficia Eccleſiaſtica uſque ad ſeptimum gradum incluſivè, à tẽpore converſionis eorum imputando, ut patet ex *Bulla Clem.* 8. de qua *Novar. in ſumma Bullar. p.*1.*tit.de Hebræis,Pignatell.to.*4. *cõſult.*192.*n.*28. per quã corrigitur *Tex.in cap.eam te.de reſcript.* ubi Judęus converſus ad fidẽ non eſt excludendus à beneficiis, ex eo, quia de Judęis converſis Eccleſia fundata fuit, ut dicit *gloſſ. ibid.* ex *Can. recurrat nunc animus.* 32. *q.*4. *& Can. in novo Teſtamento.diſt.*21.Cum puellis verò ultra ſecundum gradum originem à Judęis trahentibus diſpenſatur, ut ingredi poſſint religionem, & habilitantur ad officia, & munera, *Pignatell.loc.cit. num.*45.

In odium ergo Hæreſis filii Hæreticorum pro delictis ſuorum parentum puniuntur,quoad bona, & honores, & quoad beneficia obtinenda, de jure enim ſtatutum reperitur, quod filii Hæreticorum, qui in hæreſi deceſſerunt, nec fuerunt emendati, uſque ad ſecundam generationẽ declarantur inhabiles ad beneficia, & officia publica, quando per lineam paternam deſcendunt:ſi verò ex Matre hęretica deſcendunt, tantùm filii primi gradus comprehenduntur, non autem nepotes, *cap.*2.*§.Hæretici autem. & cap.ſtatutum.*15. *de hæretic. in* 6. quamvis ex Sacra Scriptura deſcendentes uſq; ad tertiam, & quartam generationẽ eſſent puniendi, *Exod.*20. ibi: *Ego ſum Dominus Deus tuus fortis, Zelotes, viſitans iniquitates patrum in filios in tertiam, & quartam generationem eorum,qui oderunt me. Jo: à Royas ſingul.*66. Undè in Eccleſia Toletana fuit ſtatutum, quod Judęi, vel Hæretici, & omnes, qui ex eorum genere deſcendunt uſq;ad quartam generationem incluſivè excludantur ab omnibus officiis, functionibus publicis, dignitatibus,

tibus, præbendis, &c. *Jo: à Royas ſingul.* 104. ubi *n. 3.* dicit, quod contra tale ſtatutum Apologiam ſcripſit Frater Henricus Mauroi Franciſcanus.

Putat tamen *Jo: à Royas l. cit. nu.* 4. quod Judęus factus Chriſtianus eſt capax beneficii Eccleſiaſtici etiam in Eccleſia Cathedrali, ex *Text. in cap. eam te. de reſcript. in fin.* & de facto D. Ambroſius antequam eſſet baptizatus fuit electus in Archiepiſcopum Mediolanenſem, *Gratian. in Can. ſtatuimus. & Can. Epiſcopus. diſt. 61.* ut multi alii noviter ad fidem converſi fuerunt ad Epiſcopatuum regimina electi. Verùm, ut ſupra dictum eſt Clemens VIII. aliter diſpoſuit, & per ſuam Conſtitutionem prohibuit, deſcendentes ex genere, & ſtirpe Hebræorum admitti ad Eccleſiaſtica beneficia uſque ad ſeptimum gradum incluſivè à tempore converſionis eorum imputando; quod decretũ Clementis fundatum videtur in authoritate Pauli 1. *ad Timoth. 3.* ibi: *Non Neophytum, ne in ſuperbiam elatus, in judicium incidat diaboli*, & ideò in dicto *Can. ſtatuimus.* habetur: *Statuimus ne in aliquo Apoſtolica, & Canonica decreta violentur, & ne his Eccleſia Domini regenda credatur, qui legitimarum inſtitutionum neſcii, & totius humilitatis ignari, non ab infimis ſumere incrementum, ſed à ſummo volunt habere principium, cum valdè iniquum ſit, & abſurdum, ut imperiti Magiſtris, novi antiquis, & rudes præferantur emeritis.* Ceſſante tamen ſuperbia, & ambitione, poſſunt Neophyti ad dignitates eligi, ſicut *Divus Ambroſius in Epiſt. 82. ad Vercellenſes* de ſe ipſo ait, & refertur in *Can. Neophytus. diſtin. 61.* cujus verba ſunt: *Neophytus probibetur ordinari, ne extollatur in ſuperbiam; ſed ſi non deeſt humilitas competens Sacerdotio, ubi cauſa non adhæret, vitium non imputatur: itaque ordinationem meam Occidentales Epiſcopi judicio, Orientales etiam exemplo probarunt.* Addo, quod ante Conſtitutionem Clementis deſcendentes Hæreticorum per lineam maſculinam uſque ad ſecundum gradum, & per lineam fœmininam uſque ad primum ad Eccleſiaſtica beneficia, ad officia publica, & ad dignitates ſeculares, non admittebantur, quãdo progenitores verè hæretici fuerunt, ut dicit idem *Royas ſingul. 66. & ſingul. 86. n. 2. ex cap. 2. §. Hæretici autem, & cap. ſtatutũ. de hæret. in 6. Frater Umbertus Locatus in Judiciali Inquiſitorum, Verbo Filii hæreticorum num. 5. & 10.*

Con-

Conſtitutio igitur Clem. VIII. inhabilitans filios Judęorum, & Hebræorum non comprehendit filios Judęizantium, quia Judęizantes propriè Judęi dici non poſſunt, ex quo per baptiſmum indelebiliter effecti ſunt Chriſtiani: & in hac materia pœnali non eſt recedendum à proprietate verborum, *Novar. in ſumma bullar. p. 2. tit. de Hebræis. n. 2.* Similiter filii inquiſitorum de hæreſi non comprehenduntur ſub dicta Conſtitutione, ſed tantùm filii convictorum, & pertinaciũ, *Novar. l. c. n. 4.* & tandem locum non habet dicta Conſtitutio, ſtãte diſpenſatione Papæ, *Novar. l. c. n. 3.*

Quamvis igitur noviter ad fidem converſi poſſint ad Eccleſiaſticas dignitates promoveri, accedente diſpenſatione Pontificis; tamen rarò talis diſpenſatio practicatur, *quia longa debet vitam ſuam probatione monſtrare, cui gubernacula committuntur Eccleſiæ*, ut dicit *Text. in Can. In Sacerdotibus. diſt. 61.* Hac ratione laici in Epiſcopos non ſunt eligendi, unde in *Can. non negamus. diſt. 61.* habetur: *Non negamus eſſe in laicis Deo placitos mores: ſed milites ſuos probatos ſibi quærunt inſtituta fidelium. Diſcere priùs quiſque debet, antequam doceat, & exemplum religioſæ converſationis de ſe potiùs aliis præſtare, quàm ſumere. Emendatiorem eſſe convenit populo, quem neceſſe eſt orare pro populo. Longa obſervatione religioſus cultus tradatur, ut luceat, & Clericalibus obſequiis erudiendus inſerviat, ut ad venerandi gradus perductus ſumma, qui ſit fructus humilitatis oſtendat.* Quæ ratio etiam in Neophytis locum habet, & ideo in citato *Text.* ſubditur: *Nec tantùm de laicis conſecrari inhibemus, ſed nec de pœnitentibus quidem quiſquam ad hujuſmodi gradum profanus temerator aſpiret: ſatis illi ſit poſtulanti veniam concedi: qua conſcientia abſolvat reum, qui ſe peccata ſua ſcit populo teſte confeſſum? qui enim, quem paulo antè jacentem viderat, veneretur Antiſtitem?*

Filii Hæreticorum non ſolùm ſunt inhabiles ad beneficia Eccleſiaſtica recipienda, & ad penſiones, ſed etiam ad officia publica laicalia exercenda, *Diana p. 4. tract. 8. reſol. 73.* & poſſunt Inquiſitores punire pœna privationis beneficiorum, officiorum, &c. filios Hæreticorum non ſolùm quando ſunt nati poſt hæreſim parentum, ſed etiam quando antè talem hæreſim nati ſunt, *Dian. l. c. reſol. 74. Royas ſingul. 68. n. 3.* Non tamen poſſunt Inquiſitores privare filios Hæreticorũ

bene-

beneficiis obtentis antè hæreſim parentum, ut probabiliter tenet *Diana l. c. reſol. 76.* qui *reſol. 75.* tenet, quod Inquiſitores poſſunt ſupradictis pœnis punire filios Hæreticorum, qui traditi ſunt Curiæ ſeculari, licèt eos pœnituit, & mortui ſunt Catholici, ſi verò filii ſponſę revelaverint hæreſim parentum, non contrahunt dictas pœnas. Videas *Dianam l. c.*

§. VIII.

De obligatione denunciandi Hæreticos.

OCtavò eſt neceſſaria jure Canonico ſcientia Cognationum, & graduum dum tractatur de obligatione denunciandi Hæreticos, nam licèt quilibet teneatur Hæreticum denunciare, *Jo: à Royas ſingul. 3. 4. & 5. n. 3. & ſeqq. & num.* 14. tamen à tali obligatione, ſecundùm probabilem *DD.* opinionem, eximitur filius, qui non tenetur patrē Hæreticum occultum accuſare, aut judicibus indicare: quamvis laudandus ſit filius, qui ardore Divinæ religionis naturalem amorem vincit, & patrem accuſat, quando ejus error aliter inſanabilis videtur, *Guttier. lib. 1. Canonic. qq. cap. 11. n. 57.* ubi dicit, quod in duobus caſibus tenetur filius patrem Hæreticum judicibus prodere. Primò, quādo filius ab Inquiſitoribus Apoſtolicis juridicè interrogatur. Secundò, quando patris Hæreſis perniciosa Reipublicæ eſt: ità etiam tenet *Genuenſ. in prax. cap. 23. n. 9.* ubi etiam dicit, quod filii non ſunt cogendi ad deponendum contra parentes, quando alii teſtes haberi poſſunt, cum ſint perſonæ privilegiatæ, quæ in ſubſidium cogi debent: & ità in facti contingentia fuit practicatum in Curia Archiepiſcopali Neapolit. nam non fuit coactus filius ad deponendum contra Patrem in cauſa hæreſis, ex eo, quia alii teſtes haberi poterant, *Genuenſ. l. c.*

Adverſus hanc opinionem, quod filius non tenetur denunciare patrem Hæreticum, tenet *Dian. p. 1. tract. 4. reſol. 4. Jo: à Royas ſingul. 3. 4. & 5. n. 29. & ſeq.* ubi etiam dicit, quod filius, qui denunciat patrem Hæreticum, liberatur ab infamia, & aliis pœnis, quæ contra filios Hæreticorū in jure ſtatutę ſunt: idem

dicit

dicit *ſingul.* 12. *ubi n.*3. pro concordia harum opinionum dicit, quod ſi pater filium ad peccatū inducebat, & cum aliquam doctrinam, vel pravam ſectam docebat, tunc filius tenetur patrem denunciare, ſecus verò, quando nihil horum adeſt.

Quamvis igitur conſanguinei, vel conjuncti cogi non poſſint, ut in cauſis criminalibus invicem teſtificentur, *l. lege Julia. ff. de teſtib. l. parentes. C. de teſtib.* In crimine tamen hæreſis cogi poſſunt, & fidem faciunt *Jo: à Roy. ſingul.*42. *ſingul.*70. *& ſingul.*150. Imò cōſanguinei, vel affines Hæreticorum receptantes Hæreticos puniuntur, nec excuſantur ratione ſanguinis, *Royas ſingul.*171. *n.*4.

Advertas tamen, quod quando filius Hæreticus à patre denunciatur, mitiori pœna punitur, idem eſt ſi pater à filio deferatur, *Jo: à Royas ſing.*12. *n.*6. *&* 7. *& ſing.*150. *n.*3. *ex l. milites agrū. §. deſertorum. ff. de re milit.* ubi cautum eſt, quod ſi filius commiſit delictum morte dignum, & pater eum offerat, & exhibeat Judici, filius non morte, ſed alia mitiori pœna, putà exilii puniēdus eſt, quæ diſpoſitio *Text.* habet locum etiam in crimine læſæ Majeſtatis, ut tradunt *DD.* relati à *Royas l.c.*

Non ſolùm aliqui eximunt filios ab onere denunciandi parentes Hæreticos, ſed etiam eximunt Uxorem ab onere denunciandi maritum Hæreticum, & fratrem ab onere denunciandi fratrem Hæreticum, ut videre poteris apud *Dian. p.*1. *tract.* 4. *reſol.*5. quorum ſententiam non amplector, niſi quando tractatur de teſtificando, & adeſſent alii teſtes, qui poſſent deponere, ſecus verò, quando tractatur de denunciando Hæreticum formalem.

Difficultas tamen eſt, an filius, uxor, vel frater teneantur denunciare patrem, maritum, vel fratrem perpetrantem crimina extra hæreſim formalem, putà prorumpentem in blaſphemias hæreticales, &c. & licèt aliqui teneant affirmativam ſententiā, tamen *Dian. l. cit. reſol.* 6. tenet, quod à tali onere eximuntur, quia pater, & filius, maritus, & uxor, & fratres inter ſe cenſentur una perſona, & jure naturali nemo tenetur ſe ipſum prodere: quæ ratio an ſit bona aliis conſiderandum relinquo.

§. IX,

§. IX.

De Conſanguineis, qui in Oratoriis privatis Miſſam audire valent.

NOno requiritur jure Canonico ſcientia Cognationū, & graduum pro intelligentia Bullæ, vel Brevis concedentis facultatem audiendi Miſſam in Oratoriis privatis, *ſibi, & ſuis conſanguineis, &c.* nam dubitari poteſt, quinam veniunt nomine Conſanguineorum in tali caſu.

Circa hoc dubium *Henriq. lib. 7. de indulg. cap. 13. n. 2.* dicit, quòd nomine Cōſanguineorum veniunt in tali caſu Filii, Pater, Mater, & etiam Uxor; unde talis conceſſio Pontificis ultra primum gradum non extenditur. Uxor verò intantum venit, quia gaudet nobilitate, & privilegiis viri. Verùm talis Auctor non ſe explicat an primus gradus conſanguineorū in linea recta tantùm comprehendatur in conceſſione Pontificis, an etiam primus gradus in laterali linea.

Secunda ſententia eſt *Caſtro-Palai tom. 4. tract. 25. diſp. unic. punct. 6. n. 8.* exiſtimātis comprehendi omnes cognatos, tam aſcendentes, quàm deſcendentes, & collaterales uſq; ad quartū gradum, quia omnes iſti Conſanguinei dicuntur. Uxor verò comparatione Mariti, & è converſo, ſicut & reliqui affines non comprehenduntur ſub tali nomine conſanguineorum. Hanc ſententiam amplectitur *Dian. part. 9. tract. de Oratoriis privat. reſol. 28.*

Tertia ſententia eſt *Pat. Bardi in Bulla Cruc. part. 2. tract. 2. cap. 3. ſect. 3. num. 22.* aſſerentis, quòd etiam ſub nomine Conſanguineorum comprehenduntur conjuges, non ſolùm, quia auctores ità communiter ſentiunt, ſed etiam, quia participatio talis privilegii cum concedatur Agnatis ob connexionem, quam habent cum privilegiato principali, multò magis concedi debet uxori, quæ eſt una caro cum viro.

Quarta ſententia eſt *Pignatell. tom. 6. conſult. 98. nu. 102. & ſeq.* ubi dicit, quòd nomine conſanguineorum in tali caſu veniunt omnes ſanguine conjuncti, tam aſcendentes, quàm deſcendentes, & tranſverſales quocunque

gradu, & modo conjungantur; unde etiam filii naturales, & ſpurii ſi ſint nati ex certo patre, de quo conſtat, veniunt appellatione conſanguineorũ: & conjuges participant de privilegio, non ſolùm tanquam de familia, ſed etiam quia veniunt nomine conſanguineorũ, cum ſint principium, & origo communionis ſanguinis, & ideò tanquam illius principium ingrediuntur ſeriem conſanguinitatis.

Dicit tamen *Diana l.c.* quòd non eſt opus, conſanguineos privilegiati morari in eadem domo cum ipſo, ad hoc, ut privilegiũ iſtud participent: undè non eſt neceſſe, quòd ſint domeſtici, aut familiares illius, ſed ſufficit titulus conſanguinitatis, qui in Bulla apponitur, ut contradiſtinctus à reliquis.

Cum autem in Bulla concedatur tale privilegium, non ſolùm conſanguineis, ſed etiam domeſticis, uxor in tali privilegio ſi non comprehenditur ſub nomine conſanguineorum, ſaltèm ſub nomine domeſticorum comprehenditur; ſiquidem nomine domeſtici intelliguntur conſanguinei, affines, familiares, mercenarii, vaſſalli, filii, ſervi, & generaliter parentes inhabitantes, *F. Umbertus Locatus in Judiciale Inquiſitorum*, *verbo Domeſtici.* Privilegium enim celebrandi in Oratoriis privatis, quia eſt contra jus commune, eſt odioſum, & ideo ſtrictè accipiendum eſt, & ſolùm poteſt extendi, quando extenditur propria ſignificatio verborum, *Pignatell. tom.6. conſult.98.n.35.* Appellatione verò familiæ, quæ in privatis Oratoriis poteſt audire Miſſam veniũt ii, qui conſtituunt unicam domum, quatenus domus comprehendit perſonas non ſolùm conjunctas Domino, & cum ipſo convivantes, ſed etiam omnes alias neceſſarias pro ſervitiis, dummodò vivãt expenſis Domini, & ſint ipſi conjunctæ, ſeù pertineant ad ipſum, vel ratione parentelæ, vel ratione ſervitii, *Pignatell.l.c.nu.91. & nu.92.* dicit, quòd in ordine ad auditionem Miſſę in privato Oratorio, virtute privilegii veniunt Uxor privilegiati, Filii, Nurus, Gener, & quicunque alii, qui privilegiato conjuncti ſunt, & ſimul habitant, atque commenſales ſunt, & omnes ſervi, & ſervæ actualiter inſervientes. Filii verò, ac filiæ privilegiati, & eorum uxores, ac viri non gaudent tali privilegio, quando habitant in eadem domo, ſed vivunt ſuis expenſis, quia tunc non veniunt nomine familiæ, *Pignatell. loc.cit. nu.95. & 105.*

Quan-

Quando in narrativa conceſſionis facta eſt expreſſio iſtis verbis: *Qui, ut aſſeris, de nobili genere procreatus exiſtis*, non eſt neceſſe, quòd nobilitas ſit ex parte Patris, ſed ſufficit, ſi nobilitas ſit ex parte Matris, quia etiam deſcendentes ex fœmina dicuntur eſſe de illius genere, & parentela, & tam Pater, quàm Mater transfundunt nobilitatē in filiòs, *Pignatell. l.c. n.*44. ubi ponit, quando ſolùm nobilitas Patris requiritur: Videas ipſum, quia in tali Conſultatione plura tradit de Oratoriis privatis.

ſ. X.

De ſucceſſione in jure Patronatus Gentilitio, ſeù Familiari.

DEcimo eſt jure Canonico neceſſaria ſciētia Cognationum, & graduum pro regulanda ſucceſſione in jure Patronatus Gentilitio, ſeù Familiari; nam talis ſucceſſio aliter ſe habet, ac ſucceſſio in jure Patronatus hæreditario. Pro cujus cognitione:

Sciendum, quòd jus Patronatus in ordine ad ſucceſſionem conſideratum eſt triplex, ſcilicet Gentilitium, Hæreditarium, & Mixtum. Gentilitium eſt, quando in fundatione beneficii eſt dictum, quòd tale jus tranſeat ad ſuos conſanguineos deſcendentes, vel tranſverſales. Hæreditarium eſt, quando in fundatione beneficii fuit à fundatore ordinatum, quod tale jus tranſeat ad hæredes etiam extraneos. Jus Patronatus mixtum eſt, quando fundator ordinavit, quòd tale jus tranſeat ad ſuos conſanguineos, & hæredes: & tunc non poteſt quis ad tale jus venire, niſi probet utranque qualitatē, ſcilicet ſe eſſe conſanguineum, & hæredem.

Poteſt igitur patronus in fundatione Eccleſiæ, vel in dotatione, &c. apponere pactum, ut jus patronatus non tranſeat ad hæredem extraneum, *Bald. in l.* 2. *C. de in jus vocando*, *Lambert. de jure patronat. in* 1. *p.* 1. *lib. in* 9. *q. principal. n.* 3. Poteſt etiam apponere conditionem, quod maſculi ſolùm ſuccedant in jure patronatus, vel illi de ſtirpe, & non alii, *Lambert. l.c. n.*4. & 11. ſed quia circa hoc multa ſunt diſcutienda dubia, ideò:

QUÆRES I.

Si fundator tale jus patronatus reſervavit pro ſe, & hæredibus, vel pro ſe, & ſuis hæredibus, an tranſire valeat ad hæredes extraneos?

LAtè examinat articulum *Lãbertinus de jure patronat. in* 2.*p.* 1.*lib. in* 2.*q. principal. art.*1. *ubi à n.*6. *uſq; ad* 14. ponit rationes tenentium, jus patronatus, in tali caſu tranſire ad hęredes ſanguinis tantùm, & non ad extraneos; tamen *n.*15. *& ſeqq.* probat, quòd contraria opinio verior, & communis eſt; & ità non ſolùm ad hæredes ſanguinis, ſed etiam ad extraneos tranſit tale jus patronatus: & ità ſervat cõmunis conſuetudo, optima legũ interpres, ut dicit *Federic. de Sen. in conſil.* 111. & refertur à *Lambert. l.c. n.*24. nomine enim hæredis non ſolùm venit ſucceſſor ſanguinis, ſed etiam quilibet extraneus, & non ſolùm venit hæres ab inteſtato, ſed etiam ex teſtamento, *l. hæredis appellatione. ff. de verb. ſignif.* ſi enim tantùm hæredes ſanguinis in tali caſu venirent, deberent admitti tantùm illi, qui ab inteſtato venire poſſunt, quod falſum eſt: Jus patronatus igitur tranſit ad quemcunque, ad quem tranſit univerſitas bonorum, in qua eſt ipſum jus patronatus, *cap. ex litteris. & cap. cum ſeculum. de jure patronat.* ergo à fortiori tranſit cum hæreditate, quæ quid univerſum eſt. Videas *Lambertin. l.c.* ubi ponit rationes pro hac opinione, & ſolvit rationes contrariorũ: & poſt ipſum latè examinat articulum *Vivian. de jure patronat. part.*1. *lib.*4. *cap.*2. *n.*14. *& ſeqq.*

QUÆRES II.

Si à fundatore beneficii fuit ordinatum, quòd ad hæredes ſanguinis tantùm, & non ad hæredes extraneos tranſeat jus patronatus, an hæres ſanguinis poſſit venire quamvis non ſit hæres univerſalis?

AFfirmat *Lambert. de jure patronat. in* 2.*p.* 1.*lib. in* 2.*q. principal. art.*2. & quidem, quod poſſit patronus diſponere, quod jus patronatus non tranſeat ad hæredes extraneos, tenet *Dec. in cap. edoceri. n.*15. *de reſcrip.* cum enim pacta in limine fundationis appoſita de conſenſu Ordinarii ſuſtineantur, etiam ſi ſint contra jus commune, *cap. cum dilectus. ubi gloſ. de conſuetud.* à fortiori debet ſuſtineri pactũ in

in noſtro caſu appoſitum, cum ſit ſecundùm jus commune, & etiam, quia faciliùs Eccleſia efficitur libera, quando jus patronatus non tranſit niſi ad hæredes ſanguinis. Videas dicta per eundem *Lambert. in 1. p. 1. lib. in 9. q. principal. in art. 1.*

Ex quo deducitur, quòd cum jus patronatus Eccleſiaſticum ſit duplex, Reale ſcilicet, & Perſonale. Reale eſt, quando tranſit cum hæreditate, vel alia univerſitate. Perſonale eſt, quando tranſit ad hæredes ſanguinis; videtur, quòd fundator in tali caſu fecit tale jus perſonale, non reale. Unde in caſu poſito, ille, qui vult ad ſucceſſionem juris patronatus venire, debet gradū diſtinctum parentelæ probare: quia ut dicit *Urſill. ad Afflict. deciſ. 25. n. 3.* quando eſt factum legatum aliquibus de parentela, oportet tunc gradum diſtinctum probare, ſcilicet ſe eſſe conſanguineum in tali gradu: quòd ſi alius dicat ſe eſſe proximiorem, ipſe debet hoc probare.

Confirmatur ſi aliquis fundavit Sepulchrum gentilitium, ſive familiare pro ſe & familia, pro ſe & agnatis, ut in *l. familia. ff. de relig. & ſumpt. funer.* poterit inibi ſepeliri quilibet agnatus etiā ſi non ſit hæres, *Lambert. de jure patronat. in 2. p. 1. lib. in 2. q. principal. a. 3. n. 2.* imò etiam ſi ſit exhæredatus poteſt inibi ſepeliri, quia exhæredatio non tollit jus agnationis: qua ratione pater etiam filio exhęredatô poteſt tutorem dare, *l. 4. ff. de teſtament. tutel.* vel pupillariter ſubſtituere, *inſt. de pupillar. ſubſtit. §. nō ſolùm,* ſpeciale tamen eſt in jure patronatus libertorum, ubi ſucceditur jure ſanguinis, & veniūt filii etiā ſi nō ſint hęredes, nam excludūtur quādo à patre fuerūt exhęredati, ut probat *Ant. Granna Nieto in cap. cum Bertoldus. n. 5. & 6. de ſentent. & re judicat.* Similiter etiam filia nupta poteſt in eo ſepulchro ſepeliri, quia eſt ſuæ familiæ terminus, & finis, *l. pronunciatio. §. fin. ff. de verb. ſignif. l. voluntas. C. de fideicom.* in quo differt ſepulchrum familiare, à ſepulchro majorum, quia familiare eſt etiam pro agnatis tranſverſalibus, qui nomine familiæ continentur. *Inſtit. de bonor. poſſeſſ. §. & primo loco, ubi gloſſ. verb. Quinto tanquam ex familia*: ſepulchrum verò majorū dicitur, quod eſt aſcendentium ex linea paterna, *cap. 1. & 3. de ſepult. l. majores. ff. de verb. ſignif.* Ergo etiam beneficium reſervatum hæredibus ſanguinis tantùm, debetur tale jus proximiori, licèt non ſit hæres univerſalis; cum jus patronatus, & jus ſepulchro-

rum

rum ſimilia ſint, *Lambert. l.c.* videas *Granna Nieto l.c.n.8. Dec.in cap quanto.n.48.de judic.*

Scio tamen, quòd *Antonell. lib. 3. de regimine Eccleſiæ cap. 6. n.13.* tenet, quòd fœmina nupta ſicut excluditur à ſubſtitutione, in qua vocantur proximiores de agnatione, & excluditur à fideicommiſſo familiæ relicto, licèt ipſa ſit agnata; ità etiam non habet vocem in præſentãdo in jure patronatus familię relicto, ut deciſum tradit *Ricc.par.3.prax.reſol.580.* & rationẽ aſſignat, quia fœminæ non veniunt appellatione familiæ, *l. pronunciatio.§.familiæ, & l.ſeq.ff.de verb.ſignif.* Verùm ex dictis legibus oppoſitum eruitur, quia in §. *communi jure* dicitur, quòd nomine familię veniunt agnati, fœmina agnata eſt; & expreſſius in *l.voluntas. C. de fideicom.* dicitur, quòd nomine familiæ fœmina venit. Unde *Rocch. de Curte in tract. de jure patronat. verbo Cõpetens alicui n. 2.* dicit, quòd admittitur fœmina, quando vel non eſt nupta, vel eſt nupta cum illis de parentela; ſi verò ſit nupta extra parentelam, tunc dicit, quòd reſolutio difficultatis pẽdet à quæſtione, An fœmina nupta dicatur de domo, vel parentela patris ſui, & *Felinus in cap.ſuper eo.il 2. n.2.* de teſtibus dicit, quòd filia nupta dicitur de familia, & agnatione patris, ſimiliter *Peregrin.de fideicom.art.14.n.37.* dicit, quòd fœmina nupta extra familiam, dicitur eſſe de familia, & bona prohibita alienari extra familiam, in eam alienari poſſunt, unde *Vivian.de jure patronat.part.1. lib.2. cap.6.n.5.* dicit, quòd jus patronatus relictum conſanguineis, ſeù his, qui ſunt de genere, parentela, domo, ſeù familia competit fœminis etiam nuptis, & deſcendentibus ex illis: quod ego quantùm ad ultimum non recipio.

Advertas, quod ſicut ad beneficium hæreditarium, tam maſculi, quàm fœminæ etiam maritatæ admittuntur, niſi renunciaverint, vel niſi adeſſet ſtatutum, quòd ſtantibus maſculis fœminæ non ſuccedant, *Lambert. de jure patronat. in 2.q.principal. 2.p. 1.lib. art.14.& 15.* ità etiam dicas, quando ad beneficium vocantur hæredes ſanguinis tantùm: & ideò *Antonell.lib.3.de regim. Eccleſiæ cap.6.nu.12.* dicit, quòd ubi adeſt ſtatutum excludens fœminas dotatas ab hæreditate patris, tales fœminę jus præſentandi non habent, dummodo ſint dotatę de bonis illius, à cujus hæreditate excluduntur, & ità intelligitur *Lambert. de jure patron. in 2. quæſt. princip. 2.part.*

2. part. 1. lib. art. 15.

Nec contra reſolutionẽ principalis quæſiti opponi valet, quòd jus patronatus Eccleſiaſticum de ſui natura ad extraneos hæredes tranſire valet, *Calderin. de jure patr. conſil. 2.* & alii relati à *Dec. conſil. 149. n. 1.* ergo proviſio facta pro hęredibus ſanguinis tantùm de re tranſitoria ad quoſcunque hæredes, videtur facta de illis, quando ſunt hæredes univerſales, ut in conſimili probat *Dec. l. cit.* jus patronatus enim tranſit cum univerſitate bonorum, ergo debet in hæredem tranſire.

Non inquam valet, quia cum in fundatione expreſsè ſit dictũ, quòd tale jus non tranſeat ad hæredes extraneos, ſed tantùm ad hæredes ſanguinis, tale jus patronatus gentilitium eſt, non verò mixtum: & ideò illi, qui ſunt de ſanguine admittuntur abſque eo, quod ſint hæredes, ut enim in principio hujus §. diximus, jus patronatus eſt triplex gentilitium, hæreditarium, & mixtum: ad beneficium autem purum gentilitiũ ſola ratio ſanguinis ſufficit, abſque qualitate hæredis: requiritur tamen, quòd ſit proximior de ſanguine, ut ſupra dictum eſt, undè poterit talis agnatus renunciare hæreditati, & retinere jus patronatus, *Vivian. de jure patronat. part. 1. lib. 4. cap. 1. num. 13.*

Confirmatur, quia dum fundator voluit, quòd tale jus patronatus non tranſeat ad hæredes extraneos, ſed tantùm ad hæredes ſanguinis, videtur tantùm cõſideraſſe qualitatem ſanguinis, & non hæreditatis, & ſic ex conjecturata mente teſtatoris veniunt hæredes ſanguinis quãvis non ſint hæredes univerſales; non enim præſumitur, fundatorem voluiſſe extinguere tale jus patronatus, quando hæreditas tranſit ad extraneos; ergo, ſivè tranſeat ad extraneos, ſivè ad ſuos conſanguineos, ſemper hæredes ſanguinis habent tale jus: qua ratione filia fœmina, licèt ratione ſtatuti excludatur à ſucceſſione hæreditaria ſtantibus maſculis, non tamen excluditur à tali jure patronatus: nam non qualitas hæreditatis fuit conſiderata à fundatore, ſed qualitas ſanguinis.

Aliter tamen eſſet dicendum, quando fundator perſonas non vocavit, ſed abſolutè jus patronatus fundavit, nam tunc ea mẽte præſumitur erectum beneficium, ut ad illud non admittantur, niſi hæredes fundatoris; quia quando quis pro ſe ſtipulavit, intelligitur etiam pro ejus hæredibus facta ſtipulatio, licèt de

illis

illis nulla ſit facta mentio, *l. ſecundum reſponſum. ubi gloſſ. & DD. C. de contrab. ſtipul.* verum tamen eſt, quod pater ſtipulando aliquid pro ſe, & filiis, cenſetur ſtipulaſſe pro filiis, ut hæredibus, quia non præſumitur ſola filiatio conſiderata, ſicut ſola conſideratur in *l. filius familias. §. cum quis. ff. de legat. 1.* qua ratione ſi fœmina per ſtatutum excluderetur à ſucceſſione hæreditaria ſtantibus maſculis, eſſet pariter excluſa à tali jure patronatus, ſicut etiam alii filii non hæredes excluduntur; nam non conſideratur qualitas ſanguinis, ſed hæreditatis, quando in hæreditate jus patronatus conſiſtit, *Vivian. de jure patronat. p. 1. lib. 4. cap. 2. n. 4. & ſeqq.*

Ex dictis patet, quòd in limine fundationis poteſt cum conſenſu Epiſcopi apponi pactum, quòd jus patronatus tranſeat dumtaxat ad hæredes ſanguinis, etiam ſi non ſint hæredes univerſales: ſicut etiam poteſt tantùm ſibi jus patronatus reſervare; & tunc ſi reſervatio eſt ſine particula taxativa, tranſit tale jus ad hæredes; ſi eſt cum particula taxativa, puta *reſervavit ſibi dumtaxat*, non tranſit ad hæredes, ſed durat ipſo fundatore vivente. *Vivian. l. c. n. 12. & ſeqq.* facit *Calderin. conſil. 4. de jure patronat.* patronus enim fundans Eccleſiam poteſt in totum, vel pro parte remittere jus patronatus, & limitatè illud inducere in præjudicium deſcendentium, vel hæredum, *cap. ſignificavit. de teſtib. & atteſtat.*

QUÆRES III.

An jus patronatus familiæ reſervatum, extinguatur extincta familia?

Videtur affirmativè reſpondendum. Primò, quia fundator ſe reſtrinxit ad familiam, relinquẽdo tale jus illis de familia, ergo non poteſt cõpetere aliis non habentibus talem qualitatem. Secundò, quia jus patronatus conceſſum familiæ eſt ſicut jus patronatus conceſſum univerſitati; ſed jus patronatus conceſſum univerſitati nõ poteſt transferri in eos, qui ſunt extra univerſitatem; ergo pariter jus patronatus conceſſum, & reſervatum familiæ, non poteſt transferri extra familiam, ſed extinguitur extincta familia, ut per *Lambert. de jure patron. lib. 1. p. 2. a. 2. & a. 3. n. 6. 2. q. principal. & art. 9. q. 2. n. 12.*

Verùm dicimus, quòd ſemper ac jus patronatus non fuit reſervatum familiæ cum particula taxa-

taxativa, poteſt tranſire ad hæredes extraneos deficiente familia; quia quando aliquis caſus non reperitur ſpecialiter proviſus ab homine, remanet ſub proviſione, & diſpoſitione juris cõmunis, *l. ſi cum dotem. 23. ff. ſolut. matrim. l. commodiſſimè. ubi DD. ff. de liber. & poſth.* in caſu autem poſito non fuit à fundatore ſpecialiter proviſum de jure patronatus in caſu deficientiæ familiæ, ergo remanet ſub diſpoſitione juris communis, quo jure poteſt ad extraneos hęredes trãſire jus patronatus, *gloſſ. in Can. conſiderandum. 16. q. 7. Abb. in cap. 1. de jure patron. Dec. conſ. 149. n. 1. gloſſ. & DD. in cap. perlatum. de jure patronat. Vivian. de jure patronat. par. 3. lib. 14. cap. 2. n. 20. & p. 1. lib. 4. cap. 2. nu. 14 circa finem, & n. 15. cum ſeqq. Pignatell. tom. 9. conſult. 82. num. 79. & ſeqq. Genuenſ. in praxi cap. 101. ubi n. 1.* ità deciſum contra *Lambertinum* refert.

Nec obſtat, quod jus patronatus fuit reſervatum illis de familia: quia dicta verba ſtant demonſtrativè, non taxavè, & quatenus aliquam importarent taxationem, illa intelligitur durante familia, non verò familia extincta: aliàs nec etiam jus patronatus reſervatum pro ſe, & filiis, deficientibus filiis tranſiret ad hæredes extraneos, qui non habent qualitatem filiationis. quod tamen falſum eſt, ut in terminis dicunt *Vivian. l. c. & Pignatell. l. c. n. 81.*

Nec iterum obſtat, quod jus patronatus conceſſum familiæ eſt ſimile juri patronatus conceſſum univerſitati, quod non poteſt concedi illi, qui non eſt de illa univerſitate. Quia talis ſimilitudo ſervatur quamdiu adſunt illi de familia, iſtis verò deficientibus incipit caſus omiſſus à fundatore, qui eſt regulandus ſecundùm diſpoſitionem juris, ſecundùm quod poteſt jus patronatus reſervatum familię trãſire ad hæredes extra familiàm, quando deficiunt illi de familia, & non fuit facta reſervatio cum particula taxativa, quia ſi eſſet facta cum tali taxatione, tunc ad extraneos hæredes tranſire non poſſet, ex eo, quia proviſio hominis facit ceſſare proviſionem legis. Videas *Vivian. l. c.*

Hinc ſi Patronus reſervavit jus patronatus ſibi, & filio ſuo, ejuſque deſcendentibus maſculis, ſi prædicti maſculi deſcendentes deficiunt, Eccleſia non remanet libera, ſed poteſt tranſire ad hæredes extraneos, quãdo non fuit reſervatio taxativa, ut pluries deciſum per *Rotam Roman.* refert *Vivian. d. cap. 2. n. 16.*

n. 16. vel poteſt tranſire ad fœminas deſcendentes à fundatore, quæ intelliguntur excluſæ ſtantibus maſculis, iſtis verò deficientibus venire poſſunt, niſi maſculi taxativè ſint vocati, ut ex dictis optimè probatur, & tradit *Calderin. conſil.* 4. *de jure patronat.* faciunt tradita per *Rocch. de Curte de jure patronat. verb. Ipſe, vel is à quo n.*19. *inſtit. de hæredit. quæ ab inteſtat. deferuntur.* §.*item vetuſtas.*

QUÆRES IV.

An jus patronatus reſervatum illis de parentela tantùm poſſit per fundatorem donari aliis, qui non ſunt de parentela?

DIcas primum fundatorem beneficii poſſe id facere in præjudicium filiorum, & ſucceſſorum, quia primus fundator, qui reſervavit tale jus ſibi, & filiis, atque illis de parentela, voluit, quod gradatim tale jus trãſiret de patre in filium, unde ſtãte primo gradu, ceſſat ſecundus, & ſic vivente patre fundatore filius nullam poteſtatem habet in jure patronatus; ergo poterit fundator illud alteri donare in præjudicium ſucceſſorum, & ſic mutare, & alterare primam fundationem, *Lambert. de jure patr. in* 2.*q. princip.* 2.*partis* 1.*lib. q.*6. *n.*2.*&* *q.*7.*&* 8. *Vivian. de jure patron. lib.*14.*cap.*2.*n.*23.*& ſeqq.* Alii verò ſucceſſores in jure patronatus id facere non poſſunt in præjudicium vocatorum, ut tradunt *DD.* citati, iſti enim nõ poſſunt mutare naturam beneficii gentilitii, aut familiaris: ſi verò beneficium eſſet hæreditarium, tunc non ſolùm à primo acquirente, ſed etiam à quocunque alio ſucceſſore, & hærede in alium transferri valet, etiam titulo ſingulari, in præjudicium filiorum, deſcendentium, ac legitimorum hæredum, ut tradunt *Lambert.& Vivian. locis cit.*

Limitatur tamen hæc primi fundatoris facultas, quando reſervatio juris patronatus per fundatorem eſſet facta pro ſe, & filiis deſcendentibus maſculis tantùm; quia per dictam particulam taxativam voluit fundator excludere omnes illos, qui non ſunt deſcendentes, & etiam voluit, quod deficientibus filiis, & deſcendentibus maſculis, ceſſaret jus patronatus, & Eccleſia remaneret libera; ergo non poteſt in præjudicium Eccleſię tale jus in alium transferre, licèt poſſet in præjudicium filiorum, & deſcendentium: ſicut ſi fundator reſervaſſet tale jus ſibi, &

extraneo nominatim, puta ſibi, & Petro, non poteſt idem fundator in præjudicium Petri in aliũ transferre; quia fundator admiſit extraneum, ut donatarium ex tunc, & ſic eſt acquiſitum jus donatario, quæ ratio non militat, quando reſervatio fuit facta pro ſe, & filiis deſcendentibus, quia dicti filii, & deſcendentes non ſunt admiſſi, ut donatarii, ſed ut ſucceſſivè ſucceſſores, ideò nullum jus eſt eis acquiſitum vivente fundatore, *Lambert. d. q.6.n.8.& ſeqq.*

In uno tamen caſu, non obſtãte particula taxativa poſita in reſervatione, poſſet fundator in alium transferre jus patronatus, quãdo ſcilicèt illud jus transferret in aliam parentelam æqualẽ ſuæ; quia ex hoc nullum ſequitur Eccleſiæ præjudicium, cum de duratione parentelæ nulla certitudo haberi valeat, & ſicut poteſt citius deficere una parentela, ità etiam, & alia, *Lambert. d.q.6.n.8.in fine.*

Hinc habes, quòd quando jus patronatus eſt fundatum pro ſe, & filiis maſculis, non ſolùm ipſe fundator, ſed etiam (mortuo fundatore) filius, vel nepos maſculus poteſt jus patronatus ad eum deventum in extraneum transferre, in præjudicium futurorum marium. Quando verò jus patronatus eſt fundatum pro ſe, & parentela, licèt ipſe fundator poſſet tale jus in extraneum transferre, tamen ſi ad parentelam eſt deventum, non poteſt unus de parentela tale jus renunciare alicui extraneo in præjudicium illorum de parentela. Ratio diverſitatis eſt, quia mortuo fundatore jus patronatus eſt translatum in omnes de parentela pręſentes, & futuros, & nunquam extinguitur, niſi extinctis omnibus de parentela, adeoque non poteſt unus in præjudicium aliorum, quibus jus eſt jam acquiſitum transferre jus patronatus extra parentelam. Cæterum mortuo fundatore non transfertur jus patronatus in futuris maſculis, ſed tantùm in primum, & de primo ad ſecundum, & ſic de ſingulis, adeoque vivente primo nullum jus habet ſecundus, & ſic poteſt filius, vel nepos, aut deinceps ad quem jus patronatus eſt deventũ illud in extraneos trãſferre in præjudicium futurorum marium, dummodò in reſervatione non ſit appoſita dictio, taxativa, *tantùm*, quia tunc ſtante præjudicio Eccleſiæ non poteſt talis translatio fieri. Ità *Lambert. de jure patr. in 2.q.princip. 2.par. 1.lib.q.8.n.7.& ſeqq.*

QUÆRES V.

Quomodò ſucceditur in jure patronatus in Capita, an in Stirpem?

DIcimus, quòd in capita ſucceditur quando jus patronatus eſt donatum familiæ, undè omnes de familia ſuccedunt in capita; idem eſt ſi titulo legati, aut donationis familia ſuccederet: Quando verò jure hæreditario ſucceditur in jure patronatus, tunc in ſtirpem, & non in capita admittuntur, *Clem. Plures. de jure patronat. Genuen. in prax. cap.* 101. *nu.* 2. *Antonell. de regim. Eccleſiæ lib.* 3. *cap.* 6. *n.* 17. *Vivian. de jure patr. p.* 1. *lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 69. *& ſeqq. & lib.* 4. *cap.* 1. *n.* 58. *& ſeq. Lambert. de jure patron. in* 1. *qu. principal.* 2. *p.* 1. *lib. art.* 25.

Dum autem dicitur, quòd quando jure hæreditario transfertur jus patronatus ſucceſſio ſit in ſtirpem, & non in capita, intelligitur quando ſunt plures patroni, non verò quando eſt unus patronus; unde ſi eſſent duo patroni, & unus decederet relictis decem hæredibus, alter decederet relictis duobus hæredibus, ità erit potens vox illorum duorum hæredum, ſicut vox illorum decem, *Lambert. de jure patronat. in* 1. *q. princip.* 2. *p.* 1. *lib. art.* 25. *n.* 8 *Rocch. de Curt. in tract. de jure patron. verbo Ipſe, vel is à quo n.* 4. ſi verò unus eſſet patronus, qui haberet tale jus, tunc poſt mortē dicti Patroni omnes filii, & hæredes veniunt in capita, quia tunc non adeſt præjudicium alterius compatroni, *Clement. Plures. de jure patronat. Vivian. l. c. Lambert. l. c. n.* 12. *§. ſi verò*. Sed quando moriuntur dicti filii, vel hæredes, aut moritur unus tantùm, tunc ſucceſſio eſt in ſtirpem, quia dicti ſucceſſores ſolùm repręſentant perſonam defuncti, & ſic habent illam vocem, quam defunctus habebat; & hoc procedit non ſolùm in hęredibus teſtamentariis, ſed etiā ab inteſtato venientibus dicta *Clem. Plures*, non ſolùm in hæredibus ſuis, ſed etiam in extraneis, non ſolùm in maſculis, ſed etiam in fœminis, non ſolùm in deſcendentibus, ſed etiam in collateralibus, *Rocch. de Curte loc. cit. n.* 5. Videas *Anton. Granna Nieto in cap.* 1. *de jure patr. n.* 6. *Lambert. de jure patron. in* 1. *qu. princip.* 2. *p.* 1. *lib. art.* 26. ubi dicit, quod licèt in collateralibus ſucceſſio fiat per capita, excepto quando tractatur de ſucceſſione patrui, ad quam frater, & filii alterius fratris veniūt in ſtirpes, *Auth. ceſſante. C. de legit. hæred.*

tamen

tamen id procedit in ſucceſſione hæreditatis, non in ſucceſſione jure patronatus, quia aliter ſucceditur in jure patronatus Eccleſiæ, & aliter in hæreditate, *Rocch. de Curte de jure patronat. verbo Ipſe, vel is à quo n.3.*

Hinc quando plures hæredes pro uno habētur, & habent unam vocem in præſentando, ſi diſcordent inter ſe, tunc major pars iſtorum deſcendentium ab uno facit unam vocem, quia cum ſit una vox apud omnes, intelligitur apud majorem partem prædictorū exiſtere, *Vivian. d. lib. 1. cap. 2. nu. 71. & lib. 4. cap. 1. nu. 65.* Sicut quando jus patronatus eſt translatum in aliquos ſub nomine collectivo, & in aliam ſingularem perſonam, putà ſit legatū jus patronatus alicui Collegio, & Petro E.G. tunc tātùm jus habet Petrus, quantùm totum Collegium, *l. ultima. ubi DD. C. de impuber. & aliis ſubſtit. Lambert. loc. cit. art.* 28. Quando verò ſunt plures patroni, & quilibet habet vocem in capita, tunc ſi unus ex eis donat alteri compatrono vocem ſuam, iſte donatarius habebit duas voces, idem eſt ſi ipſe ſuccedat alteri compatrono, *Vivian. l. citatis n. 72. & 67. cum ſeq. Lambert. l. c. art. 29.* Sed quando jus patronatus competit cōmunitati, putà collegio, vel familiæ ad ſingulos, uti ſingulos, tunc omnes de Collegio, vel familia in capita veniunt; quando verò competit ad ſingulos, ut univerſos, tunc fit præſentatio per ſtirpem, & non per capita, quia tunc non conveniunt, ut diverſa corpora, ſed ut unum. Videas *Vivian. ll. cit. n. 74. & 63.*

Quamvis igitur in jure patronatus ſucceſſio ſit in ſtirpem, & non per capita, tamen omnes ad quos transfertur dicūtur Patroni inſolidum, quia cum jus patronatus ſit indiviſibile, quilibet debet eſſe patronus inſolidum, & ideo quando patronus transfert jus patronatus in plures, licèt iſti dicantur patroni inſolidum, tamen tantùm jus habent omnes iſti plures ſimul ſumpti, quantùm habebat patronus ille, qui transtulit ſuum jus, *Lambert. de jure patronat. in 1. q. princip. 2. p. 1. lib. art.* 23. Similiter ſi quis plures inſtituit hæredes univerſales, unum in tertia parte hæreditatis, & alium in duabus tertiis partibus hæreditatis, vel uni donavit, aut legavit tertiam partem juris patronatus, & alteri duas tertias partes, tunc omnes æqualiter ſuccedunt, licèt inæqualiter in eos ſit facta tranſlatio, *Lamber. l. c. art. 24. nu. 2. & ſeqq. & ſpecificè n. 11. Ant. Granna Nieto in cap. 1. de jure patr. n. 2.*

Nec

Nec dicas, quod ſi jus patronatus inſolidum, & pro indiviſo competeret unicuique ex pluribus cōpatronis ſequeretur, quod præſentatio facta ab uno, eſſet ſufficiens, ut præſentatus obtineret beneficium, quia quoties pluribus inſolidum committitur negotium, poteſt quilibet ſolus illud liberè exequi, & præveniēs præfertur, *cap. cum plures. de offic. deleg. in 6. cap. ſi duo. de proc. in 6. cap. ſi quis. de elect. in 6.* Sed præſentatio facta ab uno patrono nō eſt ſufficiens, cum requiratur cōſenſus omnium, vel majoris partis, *cap. 3. de jure patron.* ergo tale jus non competit unicuique ex patronis inſolidum, & pro indiviſo.

Non inquam dicas, quia ſpeciale eſt in jure patronatus, ut omnes, vel ſaltem major pars patronorum cōcurrat, licèt quilibet habeat illud jus inſolidū; & ſpecialitas provenit ex eo, quia ſi unus ex compatronis fortè properaret, & feſtinaret prius præſentare, læderet cæteros cōpatronos æquale jus habentes, ex quo contentiones orirentur, ideò non ſolùm in favorem hæredum, & patronorum ſtatutum eſt, ut cum æquale jus ſingulis debeatur, æqualiter omnibus compatronis præſentare volentibus, vel ſaltem majori parti eorum competat exercitium, ſeù commoditas præſentandi, ſed etiam in favorem Eccleſiæ ne debito ſuo, & neceſſario ſervitio careat, undè in iſto caſu militat regula, quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet, *cap. quod omnes. de regul. juris in 6.* Videas *Granna Nieto l. c. ſub n. 7.* Sicut ſi cauſa ſit commiſſa tribus Judicibus delegatis, uno abſente, reliqui procedere non poſſunt, licèt quilibet eorum habeat juriſdictionem inſolidum, nam talem juriſdictionem non poteſt quilibet de per ſe exercere, cum omnes loco unius intelligantur *gloſſ. in c. prudentiam. 21. de offic. deleg.*

Ex dictis in præſenti Quæſito infertur, quòd quando ſunt duo patroni ab initio, & ex uno remanſit unus, vel duo, & ex altero decem, tunc omnes iſti non habent niſi duas voces, ſicut eorum authores habebant; undè ſi illi duo hæredes, vel unus eorū præſentet unum, & illi decem præſentent alium, quia quilibet præſentatus unam vocem patronorum habet, eligitur magis idoneus, quod ſi æquè ſint idonei, tunc eſt locus gratificationi Superioris. Si verò major pars illorum decem eligat unum, minor pars eligat alium, & illi duo hæredes, vel unus eorum eligat alium,

alium, tunc præſentatus à minori parte nullã vocem habet, quia tota vox intelligitur penes majorem partem, & ideò ſi iſti duo hæredes concurrerent cum minori parte illorum decem, non augerent eorum vocem, quam augerent quando concurrerent cum majori parte, quia tunc eſſent duæ voces, *Lambert. de jure patronat. in 1. q. princip. 2. p. 1. lib. art. 25. nu. 12. §. undè pro vera ſolutione. cum aliis ſequentibus*, ubi etiam dicit, quod quando illi duo hæredes diſcordant in præſentando, & unus præſentat unum, alius alium, tunc quia reſpectu ipſorum non datur major pars, ſed æqualiter ſe habẽt, ideò in tali caſu dividitur vox, & quilibet præſentatus dicitur habere dimidiam vocem, quæ dimidia vox poteſt augere vocem aliorum compatronum, quando cum illis concurrit, ut dictum eſt; quod ſi cum majori parte patronorum non concurrat, tunc præfertur præſentatus à majori parte, quia dicitur habere unam vocem integram.

Advertas tamen, quòd ad hoc, ut hæredes unius ex patronis faciant majorem partem, requiritur, quod ſit major pars ſimpliciter, & non ſufficit, quod ſit major pars comparatione minorum, putà ſi ſint decem hæredes unius patroni, & quatuor dirigant eorum vota ad unum, tres verò ad alterum, & alii tres ad alium, quamvis illi quatuor faciant majorem partem comparatione minorum, non tamen faciunt integram vocem illius patroni, cujus ipſi hæredes ſunt, ſed requiritur, quod ſaltem ſint ſex, quod ſi talis numerus non habetur, ſed hęredes diſcordant inter ſe, tunc de voce illius defuncti, quam repręſentant illi decem hæredes nulla conſideratio habetur, ità ad litteram, *Lambert l. c. n. 18. §. adverte etiã, & art. 27.* ubi aliorum opiniones refert, ſed reſidet in hac recitata opinione *Roccb. de Curte de jure patronat. verbo Ipſe, vel is à quo n. 6.*

Advertas inſuper, quòd quãdo ſunt plures compatroni, & unus decedit relictis deſcendentibus ex quatuor filiis E.G. tunç omnes dicti deſcendentes ſimul ſumpti habent unam vocem, & præſentatus à majori parte illorum, dicitur integram vocem habere; idem eſt, quando omnes compatroni decederent relictis deſcendentibus ex eorum filiis, ut de facto practicatum refert *Lambert. l. c. art. 25. n. 13. in fin. & nu. 14. cum ſeq.* Undè ſi ſint tres principales patroni, vel hæredes unius patroni, qui dicuntur pa-

troni

troni per capita, puta A.B.C. ex A. procreati ſunt tres filii, puta D.E.F. & quilibet iſtorum procreavit plures filios, tūc quia vox patroni A. eſt redacta ad tres portiones (quia tres fuerunt ejus filii, videlicet D.E.F.) ideò major pars hæredum iſtorum trium repręſentat vocem patroni A. nam omnes deſcendentes ex D. repręſentant portionem vocis ipſius D. ſicut omnes deſcendentes ex E. repręſentat portionem vocis ipſius E. & ſic dicas de deſcendentibus ex F. Unde ſicut ſi concordarent D. & E. iſti duo facerent vocem patroni A. rejecto F. ità ſi major pars hæredum D. & E. concordarent, repręſentarent vocem dicti patroni A. nulla habita ratione de hæredibus F. qua ratione, ſi dicti hæredes F. concordarent cum alio compatrono non augerent vocem, quia portio ipſius F. & ejus hæredum abſorbetur per majores partes hæredum D. & E. repręſentantium vocem A. Si verò primitivæ voces, quæ in capite erant non apparent, & ignoratur pro quota parte ſunt patroni, tunc hæredes cujuslibet patroni dicuntur facere corpus per ſe, & æqualiter ſunt patroni, ſi ſint in quaſi poſſeſſione juris patronatus, ſeù præſentandi, *Lābert. d. art. 25. ſub n. 15. & art. 27. ſub n. 2. circa finem, Rocch. de Curte loc. cit. n. 7.*

Advertas tandem, quòd quādo ſunt plures compatroni in capita, & iſti diſcordant inter ſe in præſentando, tunc præſentatus à majori parte, habita comparatione ad minorem præfertur, dummodò dicti patroni non conſtituant Collegiū. Sit exemplum, Quatuor patroni concurrunt ad præſentationē, duo præſentāt B. unus præſentat C. & alter præſentat D. tunc B. præſētatus à duobus patronis, licèt nō habeat majorē partem omnium patronum, habet tamen majorē partem habito reſpectu ad alios præſentatos, quod ſufficit, ut pręferatur aliis. Quando verò præſentatio fit à Collegio, tunc requiritur major pars omniū exiſtētium in Collegio, & Collegiū conſtituentium, nam ad Collegium, vel Univerſitatem conſtituendam requiritur, quod interveniant duæ partes Univerſitatis, vel Collegii, & illæ duæ partes repręſentāt totam Univerſitatem, vel Collegium, ergo ſufficit major pars iſtarum duarum partium, quia dicitur major pars totius, *Rocch. de Curte de jure patronat. in verbo Honorificum num. 91.*

QUÆ-

QUÆRES IV.

Quando jus patronatus eſt reſervatum illis, qui ſunt de ſua linea, an omnes de Agnatione præſentare valeant?

NEga, ſed tantùm deſcendẽtes à fundatore venire valent ad tale jus patronatus; quia linea effectiva fundatoris fuit ab ipſo fundatore conſiderata, & ideò, qui vult ad tale jus patronatus venire, debet probare ſe eſſe de agnatione effectiva fundatoris, ut eſt *deciſ. Rotæ juris patronat. coram R.P.D.Pirovano 28.Novembris 1616.* relata à *Viviano in prax. de jure patron.quæ eſt deciſ.71.* nec ſufficit, quod ſint in eadem agnatione, ſeù quod in eadem agnatione contineantur, ſicuti ſunt collaterales, qui dicuntur de linea fundatoris cõtentivè, non effectivè. Hæc pro iſto capite ſucceſſionis in jure patronatus, prout ad præſentem materiam pertinere poſſunt, ſufficiant; nam qui plura de ſucceſſione in jure patronatus deſiderat, legat *Vivian. Lambertinum, Rocch. de Curte*, & alios de hac materia fusè pertractantes.

CAPUT SECUNDUM.

De Caſibus jure Civili requirentibus ſcientiam Cognationum, & graduum.

ETſi quatuor tãtùm caſus numerentur in *l.10. ff. de grad. affinit.* ratione quorum Juriſconſultus Cognatorum gradus, & Affinium noſſe debet, videlicet propter *Hæreditates ab inteſtato*, quæ à legibus deferuntur proximioribus: propter *Tutelas legitimas*, ad quas proximiores vocantur: propter *Bonorum poſſeſſionem*, quæ edicto Prætoris proximo cognato datur: & propter *Teſtes*, qui contra cognatos, & affines non coguntur teſtimoniũ dicere: Tamen plures alii caſus dantur, in quibus decidendis neceſſaria eſt ſcientia Cognationũ & graduum, quos omnes ſub præſenti Capitulo collegi, & per §§. diſpoſui, ut in præcedenti Capitulo feci. Sit ergo:

§. I.

De Perſonis, quæ ad Tutelam legitimam venire valent.

PRimus caſus de jure Civili requirens ſcientiã Cognationum, & graduum, eſt quando tractatur de tutela legitima deferenda, *l.10. ff.de gradib.affinit.* ſiquidem ex *l.12.* tabularum deficiente Tutore teſtamentario, tantùm agnati pupillo proximiores, ſicut ad illius vocabantur ſucceſſionem, ità pariter ad tutelam, *Inſtit. de legit.agnat.tutel. in princip. Inſtit. de cap.diminut. §. ult. l.1. C. de legit.tutel.& l.1. ff. de legit. tutor.* Hodiè verò ſicut in ordine ad ſucceſſionem ſublata eſt differentia Agnationis, & Cognationis, *Auth.de hæredib.ab inteſtat.§.ſi verò*, ità etiã in ordine ad tutelam; undè regulariter, qui proximior eſt ſucceſſioni pupilli, ſivè ſit Agnatus, ſivè Cognatus, dummodò idoneus ſit, ad tutelam vocatur, dicto *Auth. de hæred. ab inteſt. §.ex bis. & §. ſi autem. Auth. ſicut hæreditas. C. de legit. tutel.* & quando ſunt plures eodem gradu diſtantes, omnes ad tutelam vocantur, ſi idonei ſint, *Inſtit. de capit. dim. §. ultim.* vel Judex unum, vel plures eligit ex illis, cui, vel quibus adminiſtrationem committit, licèt omnes periculo tutelæ teneantur, dicta *Auth. ſicut hæreditas.* Videas *Guttierez de tutel. 1.p. cap.2. n.13.& ſeqq. & cap.12.*

Defertur itaque tutela legitima eo prorſus modo, quo hæreditas, & ſicut hodiè ſucceſſio uſque ad decimum gradum de jure civili defertur, ità & tutela legitima, quia ad talem tutelam venit, qui ad ſucceſſionem venire poteſt, *Auth. de hæredib.ab inteſt. §. ex his.* Undè ſi quis relinqueret filium impuberem, fratrem, & nepotem ex alio filio præmortuo, tam frater, quàm nepos erunt tutores dicti impuberis, ſi perfectæ ſint ætatis, quia eodem gradu diſtant ab impubere, *l.8.& 9. ff.de legit.tutor.*

Dixi, quod hodie regulariter tutela legitima defertur ſecundùm ordinem ſucceſſionis, quia in certis caſibus alteri competit ſucceſſio, & alteri tutela: ut de facto minor ſuccedit, ſed non poteſt eſſe tutor durante minori ætate,

ætate, *Auth. ſicut hæreditas. & l. fin. C. de legit. tutel.* Similiter fœmina licet ſuccedat, & ſit agnata, non tamen poteſt eſſe tutrix, *l. 1. §. interdum. & l. agnato. ff. de legit. tutor.* quia tutela virile officium eſt, *l. tutela plerumq; 16. & l. fin. ff. de tutel. Auth. ſicut hæreditas. C. de legit. tutel. l. 1. C. quando mulier tutel. offic.* Excipitur tamen ab iſta regula Mater, & Avia, quæ poſſunt ſecundùm ordinem ſucceſſionis ad tutelam filiorum, vel nepotum impuberum venire, deficiente tutore teſtamentario, *Auth. Matri, & Aviæ, cum ſeqq. C. quando mulier tutel. offic. Auth. de hæredib. ab inteſtat. §. ex his. & Auth. Ut fine prohibitione matres debitrices.* Et tandem Clericus ſuccedit, ſed non tenetur ſuſcipere tutelam legitimam, poteſt tamen illam ſuſcipere ſi vult, *gloſſ. in Can. pervenit. diſt. 86.*

Quamvis igitur jure novo pariter admittantur Agnati, & Cognati ad ſucceſsionem, & tutelam, ut dictum eſt, tamen in Civitatibus, in quibus per ſtatuta derogatum eſt juri communi, & Agnati præferuntur Cognatis in ſucceſsione, præferuntur etiam in tutela, ut dicit *Bart. in l. 1. ff. de legit. tutor. ubi Addent. Guttier. de tutel. 1. p. cap. 2. n. 14.* Sicut in hac Civitate Neapolitana virtute *Conſuetud. Siquis, vel ſiqua ſub tit. de ſucceſſion. ab inteſtat.* quando quis decedit ab inteſtato ſine legitimis deſcendentibus, proximiores ex parte Matris ſuccedunt in bonis Maternis, & proximiores ex parte Patris in bonis Paternis, ideò in bonis Matris datur tutor ex parte Matris, & in bonis Patris datur tutor ex parte Patris, *Napodan. in dict. Conſuetud. ſi quis, vel ſi qua. nu. 244. ubi Angel. Piſanell. verſic. Et ſic nota, quod in bonis patris.*

Advertas, quod licet jure antiquo tantùm Agnati vocabantur ad tutelam legitimam, ut dictum eſt, tamen quia deficientibus Agnatis vocabātur Cognati ad ſucceſsionem de jure Prætorio, ideò etiam ad tutelam tali jure veniebant, *Bart. in l. 1. n. 2. in l. 3. §. ſed & ſi hac. & in l. fin. ff. de legit. tutor.*

Iſti tutores legitimi licet à lege ſint dati, tamen ad exercitiū, vel adminiſtrationem tutelæ venire non poſſunt, niſi mediante decreto Judicis, *Montan. de tutel. cap. 14. n. 6. & 13.* Imò ad tollendum periculum, & inconveniens, quod poterat naſci ex eo, quod ad tutelam legitimam vocantur illi, ad quos pertinet pupilli hæreditas, ſtatutum eſt, ut præſentibus cæteris propinquis Prætor provideat, ubi pupillus

tuto moretur, & ſine ſuſpicione alatur, *Montan. de tutel. cap.15. n.10. Guttier. de tutel p.2. cap.8. n.6.& ſeqq.*

Quando Mater, vel Avia ad tutelam filii, vel nepotis venire vult præfertur omnibus aliis agnatis, imò præfertur fratribus pupilli, cum quibus pater ſuccedit, *Montan.l.c.n.36.& ſeq.*

Advertas, quòd pendente cauſa ſuſpicionis contra tutorē, vel curatorem, debet eidem per Judicem adminiſtratio interdici, & alius in locum ejus pro adminiſtratione rerum ordinari, *l. quod ſi forte.* §. 1. *ff. de ſolut. & l. cum quem. C. de ſuſpect. tutor.* tamen hoc limitatur, quando tutor eſt perſona conjuncta, nam propter ſanguinis conjunctionē removendus non eſt, *l. ſi tutor aliquo. ff. de ſuſpect. tutor.* nec lite pendente eſt ei interdicenda adminiſtratio, ſed ei alius adjungitur, qui Coadiutor appellatur, *Guttierez conſil.52.n.2.& 3.*

Hæc breviter de tutela legitima dixi, ut cognoſcatur, quod ſcientia cognationum, & graduum neceſſaria eſt pro tali tutela deferenda; qui autem vult ad ſatietatem de tutelis cognitionem habere, legat *Oliver. Textor. Montan. Guttier. Borg. Cavalc.* & alios, qui ex profeſſo de hac re tractatus fecerunt.

§. II.

De ſucceſſione ab inteſtato de jure Communi.

SEcundus caſus de jure Civili requirens ſcientiam Cognationum, & graduum eſt quando tractatur de ſucceſſione ab inteſtato: nam hæreditates morientium ab inteſtato deferuntur Agnatis, vel Cognatis ſecundùm gradus prærogativam, *l.10. ff. de grad. affinit. Auth. de hæredib. ab inteſt. venient. per totum. Auth. ſicut hæreditas. C. de legit. tutela. Inſtit. de legitima agnator. ſucceſſione*; & iſti hæredes, qui per legem ab inteſtato vocantur, tanquam in gradu parentelæ proximiores, legitimi vocantur, *l.1. ff. de tutel. l.3. §. de illo. ff. pro ſocio*; & multoties non ſufficit proximitas gradus à ſtipite proveniens, quæ proximitas etiam inter collaterales reperitur; ſed requiritùr proximitas ex linea, quę tantùm inter aſcendentes, & deſcendentes datur, *Bart. conſil.55.*

Peregrin. de fideicom. art. 22. n. 34.

Circa iſtā ſucceſſionem ab inteſtato notum eſt omnibus, quòd jure noviſſimo authenticorum triplex ordo diſtinguitur. Primus eſt ordo Deſcendentium: Secundus Aſcendentium: Et tertius Collateralium, de quibus breviter diſtinctè agendo, ſit.

DISPUTATIO I.

De ſucceſſione deſcendentium.

MOriente aliquo ab inteſtato ad illius ſucceſſionem, Primò vocantur liberi, qui omnibus aliis conſanguineis præferũtur, & iſti, ſi filii ſint, æqualiter admittuntur ad ſucceſſionem ſublata differentia ſexus, & patriæ poteſtatis: Si verò ſint nepotes, vel ulteriores deſcendẽtes, ſuccedunt in ſtirpem, ſivè ſuccedãt Avo ſimul cum Patruo, ſivè nepotes, & nepotes ex diverſis patribus concurrant ad ſucceſſionem defuncti Avi, *l. 2. C. de ſuis, & legit. liberis*: & ſic nepotes ex filia de jure communi veniunt ad ſucceſſionem defuncti Avi una cum filio dicti defuncti, quia in perſonis deſcendentibus gradus differentia nulla eſt, nec ulla diſcretio inducitur, utrum maſculi ſint, an fœminæ, utrũ ex maſculino ſexu, an ex fœminino progeniti ſint, *Auth. de hæred. ab inteſt. venient. in princip.* Pro majori tamen claritate:

QUÆRES I.

Quomodò filii legitimi, & naturales ſuccedant Aſcendentibus?

FIlii legitimi, & naturales ſivè ſint maſculi, ſivè fœminæ, ſivè emancipati, ſivè in poteſtate, ſivè nati, ſivè poſthumi, ſivè utrinque conjuncti, ſivè uno latere conjuncti de jure communi æqualiter ſuccedunt Aſcendentibus: Undè ſi pater deceſſit relictis duobus filiis ex una uxore, & aliis duobus ex alia uxore, ſi unus ex dictis filiis repudiat, in parte repudiata non admittitur frater utrinque conjunctus, excluſo fratre conſanguineo tantùm, ſed æqualiter admittuntur, *Bar. in l. Lucius. n. 21. ff. de vulgar. & pupill. & in l. re conjuncti. n. 62. ff. de legat. 3. Rovit. in pragm. 11. n. 17. de feudis.* Et in hac ſucceſſione deſcendentium nulla conſide-

ſideratio habetur de gradu, ſed deſcendentes etiam remotiores concurrunt cum proximioribus ad ſucceſſionem. Pro cujus intelligentia.

Sciendum quòd ad ſucceſſionem Aſcendentium poſſunt deſcendentes venire, vel in Capita, vel in Stirpes. In Capita veniunt, & ſuccedunt illi, qui immediate ex propria perſona, & ratione proprii gradus ſuccedũt: & iſti æqualiter admittuntur ad hæreditatem, ſicut de facto filii ſuccedunt Aſcendentibus, & in tot partes dividitur hæreditas quot ſunt capita, ſeù perſonæ. In ſtirpes veniunt illi, qui non veniunt ad ſucceſſionem ratione proprii gradus, ſed veniunt repræſentando gradũ alterius perſonæ ex privilegio juris: undè portio debita perſonæ repræſentatæ datur iſtis perſonis repræſentantibus, *Auth. Ceſſante. & Auth. Poſt fratres. C. de legit. hæredib.* & hoc modo nepotes ex filio præmortuo ſuccedunt Avo una cum alio illius filio in ſtirpes, in quantùm veniunt repræſentando gradum eorum patris defuncti, aliàs præferrentur à filio defuncti ſuperſtite, qui primum gradum obtinet. Hæc ſucceſsio in ſtirpes locum etiam habet, quando nepotes ex diverſis filiis premortuis ſuccedunt Avo: undè in linea deſcendentium poſt filios ſucceſsio eſt in ſtirpes, quando ſuccedentes non deſcẽdunt ab uno, *l. 2. C. de ſuis, & legitim. liberis.*

Advertas, quòd hæc ſucceſſio in ſtirpes eſt duplex, una Privativa, altera Tranſmiſsiva. Privativa eſt, quando quis ſuccedit in locum alterius deficientis, ut nepos ſuccedit Avo in locum ſui patris banditi, vel mortui ante Avum. Succeſsio in ſtirpes Trãſmiſsivè eſt quando quis ſuccedit in locum alterius tranſmittentis hæreditatem à ſe quæſitam, ut ſi nepos ſuccederet Avo in locũ patris, qui jam continuavit dominium bonorum Avi, vel patri fuit delata hæreditas: undè quãdo quis ſuccedit in ſtirpes Privativè dicitur venire ex propria perſona, repræſentando tamen locum, & gradum patris, vel matris, quando verò ſuccedit in ſtirpes Tranſmiſsivè, dicitur ſuccedere ex perſona alterius. *Surd. vol. 1. conſil. 85. n. 12.*

Ex hoc infertur, quod ſuccedens in ſtirpes Tranſmiſsivè debet ſolvere debita non ſolùm Avi, ſed Patris, vel Matris, quia hæreditas illa eſt Avi, & Patris, aut Matris. Succedens verò in ſtirpes Privativè, tantùm tenetur ſolvere debita hæreditaria Avi, ut notat meus *Ill. Præceptor*

Ver-

Verde lib. 3. inſtit. tit. 1. num. 15. & 16. faciunt tradita per *Surd. l. c. n. 12. & 13.*

Hæc ſucceſsio in ſtirpes locũ non habet, Primò in jure patronatus ſervorum: undè nepos nõ ſuccedit in locum patris præmortui in tali jure patronatus, ut notat *Jaſon in l. ſi Aviæ frater. n. 5. de ſucceſſorio edicto.* Secundò locum non habet, quando deſcẽdentes non ſuccedunt, ut hæredes, ſed tanquam deſcendentes, licèt ſint hæredes, ut in *Emphyt. Eccleſ.* quam pater ſtipulatus eſt pro ſe, & filiis deſcendentibus, nam in tali caſu nepotes ſuccedunt in capita, non in ſtirpes, *Anton. de Roſellis in tract. de ſucceſſ. ab inteſtat. n. 56.*

Dubitari tamen poteſt, an hęc ſucceſſio repręſentativa, ſeù in ſtirpem ad omnes deſcendentes ſe extendat, an verò uſque ad certum gradum. Et licèt aliqui Juriſtæ dicant, quod talis repræſentatio tantùm ſe extendit ad nepotes, & pronepotes, qui in tertio gradu ſunt, undè abnepotes non poſſunt venire ad ſucceſſionem aſcendentis, quando adſunt nepotes, vel pronepotes: Tamen *Anton. Gomez* relatus à *Vaſq. opuſc. de teſtam. cap. 4. §. 1. dub. unic.* tenet, quod in deſcendentibus ſucceſsio in ſtirpem eſt in infinitum, quia non eſt major ratio de uno gradu deſcendentis, quàm de alio.

Deſcendentes igitur legitimi, & naturales ſuccedunt aſcendẽtibus, quando ſunt habiles ad ſuccedendum; undè damnati ad metallum, vel damnati de crimine læſæ majeſtatis non poſſunt ſuccedere, quia inhabiles, *Anton. de Roſell. de ſucceſſ. ab inteſtat. nu. 55.* & quando ſunt habiles ſuccedunt, ſivè ſint in ſeculo, ſivè ſint profeſsi, & per ipſos ſucceſsio acquiritur Monaſterio, quando Monaſterium eſt ſucceſſionis capax, *l. 1. C. de Sacroſ. Eccleſ.*

Excluditur tamen à ſucceſsione Religio Cordigerorum, undè Franciſcani profeſsi, quia ſecundùm eorum regulam proprium habere non poſſunt, excluduntur à ſucceſsione, tam ex teſtamento, quàm ab inteſtato, *Clem. exivi de Paradiſo. de verb. ſignif. Bart. in lib. Minoritarum in princ.*

Hinc qui ingrediuntur dictam Religionem amittunt bona, quæ habebant ante profeſsionem, & illa acquiruntur venientibus ab inteſtato, *Bald. in l. 1. & in Auth. Ingreſſi. C. de Sacroſ. Eccleſ.* quod adeò verum eſt, ut etiam ſi Papa poſtea diſpenſet cum Fratre Minore, quod poſsit habere proprium, aut ipſum transferat ad Eccleſiam habentem proprium,

non

non recuperat bona ſorori, vel alteri delata, *Bald. in d. Auth. Ingreſſi. C. de Sacroſ. Eccleſ. & in l. ſiquis Curialis. C. quando, & quib. quarta pars lib.* 10. ubi dicit, quòd ſi pater moriatur relictis pluribus liberis, quorum alter eſt Frãciſcanus, ex quo ille non vocatur ad partem, nec facit partem aliis, nec facit numerum liberorum in computatione, ac per cõſequens, qui decedit relicto tantùm filio Cordigero, dicitur ſine filiis decedere, ità quod erit locus ſubſtitutioni factæ, ſi abſque liberis deceſſerit, *Bald. in l.* 1. *C. de caducis tollend.*

Circa hanc ſucceſsionem deſcendentium aliter reperitur diſpoſitum de jure noſtri Regni Neap. nam per *Conſtit. In aliquibus.* & per *Conſuet.* noſtræ Civit. quæ incipit, *Si moriatur aliquis.* habemus, quod fœminę non ſuccedant ſtantibus maſculis, tenẽtur tamen maſculi dotare ſorores de paragio. De qua ſucceſſione forſitan alibi agemus.

QUÆRES II.

An, & quomodò filii naturales tantùm ſuccedant aſcendentibus?

Filii Naturales tantùm, ſeù Baſtardi propriè de jure Civili dicuntur illi, qui naſcuntur ex Concubina domi retenta affectu maritali, inter quos poterat matrimonium contrahi, *l. penult. & fin. ff. de concubin.* juncta *l. ſi quis officiũ. ff. de rit. nupt. Olivar. Textor. de ſucceſſ. ab inteſt. in princip. n.* 21. *& ſeq. Surd. de alim. tit.* 1. *q.* 9. *nu.* 9. *& ſeqq. Pereg. de jure fiſci lib.* 3. *tit.* 18. licèt ex cõmuni uſu loquendi filius naturalis dicatur quilibet natus ex ſoluto, & ſoluta, *Nicolaus de Milis in ſuo Repert. verbo Filius naturalis num.* 15. Undè etiam jure Canonico filii dicuntur naturales, quando ſunt nati ex ſoluto, & ſoluta, licèt illa non ſit domi retenta, ut concubina, *Petr. Advenas regul.* 350. *limit.* 11. & ità ſemper ac non eſt Spurius, Inceſtuoſus, Sacrilegus, Adulterinus, &c. Naturalis dicitur, *Covarr. in* 4. *lib. decretal. p.* 2. *cap.* 8. §. 4. *nu.* 2. Verùm in materia ſucceſsionis eſt ſervandum jus civile, licèt in materia legitimationis per matrimoniũ ſervandum ſit jus Canonicum, *Ferdinand. Vaſquius lib.* 3. *illuſtr. cap.* 102. *n.* 11.

Iſti filii Naturales nullo modo ſuccedunt parentibus ab inteſtato, quando extant deſcendentes legitimi, & naturales, vel extant filii legitimi tantùm, vel legitimati per reſcriptum Principis, vel extat legitima uxor. Iſtis verò

rò deficientibus, admittuntur dicti filii naturales ad ſucceſsionem aſcendentis maſculi, una cũ eorum matre in duabus unciis, ſcilicet in ſexta parte totius hæreditatis, *l. licèt. C. de naturalibus liberis. Auth. de triente, & ſemiſſe. §. conſideremus autem. Franch. deciſ. 720. Covarr. l. c. n. 9.*

Ex quo inferunt *DD.* quòd ad hoc, ut filii naturales tantùm ſuccedant aſcendentibus maſculis ab inteſtato, plura requiruntur. Primò requiritur, quòd concubina mater tractata fuerit indubitato affectu maritali, in eadem domo cum ejus amaſio cõtinuò habitando, & converſando, quia ſi habitaret ſeorſim, tales filii non eſſent propriè naturales tantùm, nec haberent privilegium ſuccedendi, ut patet ex *Auth. quib. mod. naturales efficiantur ſui. § ſi quis autem defunctus.* Sed dicerentur Nothi, quibus nulla portio inteſtati parẽtis debetur, *Auth. quib. mod. naturales efficiantur ſui. §. ſi verò effuſa concupiſcentia. Covar. in 4. decretal. part. 2. cap. 8. §. 4. nu. 6. Ferdinand. Vaſq. lib. 3. illuſtr. cap. 102. nu. 13.* Secundò requiritur, quod non ſuperſit defunctoaliquis de liberis legitimis, & naturalibus, vel legitimatis per reſcriptũ Principis, vel legitimis tantùm, ut ſunt adoptivi, *Covar. loc. cit. n. 9.* Filii enim legitimi tantùm æquiparantur filiis legitimis, & naturalibus in ordine ad ſucceſsionem, *l. ſi te. & l. fin. ff. de ſuis, & legit.* ergo ſicut filii legitimi, & naturales excludunt à ſucceſsione filios naturales tantùm, ità & filii legitimi, ſcilicet adoptivi, *Auth. de triente, & ſemiſſe. §. conſideremus. Auth. licèt. C. de naturalib. liberis.* eſt contra *Ludov. Bolognin. ad Matthaſyllan. in tract. de ſucceſſ. ab inteſt. in 3. membro 1. artic. n. 14. & Peregr. de jure fiſci lib. 3. tit. 18. nu. 17.* Tertiò, requiritur, quòd defuncto non ſuperſit legitima uxor, *Auth. quibus modis naturales efficiantur ſui. §. hoc ipſo cuſtodiendo. & §. ſi quis autem defunctus. Covar. l. cit. Matth. Matthæſyllan. in tract. de ſucceſſ. ab inteſtat. in 2. membro 1. artic. nu. 3. Nicolaus ab Ubald. in tract. de ſucceſſ. ab inteſt. n. 35. Oliver. Textor. de ſucceſſ. ab inteſt. num. 26. Ferdin. Vaſq. l. c. n. 15. Pereg. de jure fiſci lib. 3. tit. 18.*

Iſta ſucceſsio ab inteſtatò in duabus unciis non ſolùm conceditur filiis naturalibus tantùm, quando cõcurrunt requiſita jam enumerata, ſed etiam conceditur nepotibus natis ex filio naturali tantùm, etiam ſi dicti nepotes ſint legitimi, & naturales; undè nepotes legitimi, & naturales ex filio naturali tantùm

non ſuccedunt Avo, ut legitimi, ſed ut naturales tantùm, *Covar. l.c.n.10.* ubi ſecundùm iſtam diſtinctionem explicat *Text. in* §. *de nepotibus. Auth. quib. mod. naturales effic. ſui. Odofr. & Cyn. in l. fin. C. de naturalibus liber. Dinus Mugellan. de ſucceſſ. ab inteſt. n.6. Ferd. Vaſquius lib.3. illuſt. c.102. num. 16. Pereg. de jure fiſci lib.3. tit.18. n.27.* Oppoſitum tamen tenet *Matthæſyllan. l.c. nu.*4. ubi dicit, quòd nepotibus, vel pronepotibus deſcendētibus ex baſtardo non conceditur ſucceſsio ab inteſtato in duabus unciis, ſicut conceditur filiis baſtardis, idem dicit *Oliver. Tex. l.c. n.*27.

Excluduntur ab iſtis duabus unciis filii nati ex concubinato commiſſo cum Clerico etiam in minoribus, quia licet Clericus in minoribus valeat matrimonium contrahere, tamen ei longè majus eſt prohibitus concubinatus, quàm laicis, & ideò filii ex tali concubinatu non ſuccedunt in illis duabus unciis, *Bald. in l. qui litigandi. ff. de in jus vocando. Oliver. Textor. de ſucceſſ. ab inteſt. n.29.* ſed *Rolandin. Paſſagerii in tract. de ſucceſſ. ab inteſt. nu.31.* id verùm dicit, quando Clericus erat beneficiatus, quia retinendo beneficium non poterat matrimonium contrahere cum ſua concubina, de qua opinione videri poteſt *Framb. dec.47. n.4. & dec.27. & 28.*

Filii naturales tantùm excluduntur à feudali ſucceſsione, ad quā admittuntur tantùm illi, qui de legitimo matrimonio ſunt, *cap. Naturales. ſi de feudo defunct. fuerit controv.* ſicut etiam dicti filii excluduntur ab emphyteuſi *Speculator in tit. de locato. §. nunc aliqua*, & hoc eſt verùm, etiam ſi feuda eſſent à matre, *Oliver. Textor. l.c. nu.30.* Undè nec matri ſuccedunt in majoratu, *Guttier. pract. qq. lib.5. q.52. n.8.*

Quamvis filii naturales excludantur à ſucceſsione patris, quādo adſunt filii legitimi, & naturales, vel adſunt filii legitimi tantùm, aut legitimati, ut ſupra dictum eſt, tamen à ſucceſsione matris, & aſcendentium per lineam maternam in bonis non feudalibus non excluduntur, ſed admittuntur una cum aliis filiis legitimis, & naturalibus, *l. Modeſtinus. ff. undè cognati. l. penult. C. ad Senat. Conſult. Orfic.* Solùm difficultas eſſe poteſt, quando talis mater eſt Illuſtris, an ad ejus ſucceſſionē venire valeant etiam filii naturales tantùm? Ad quam difficultatem dicimus, quod ſi talis mater Illuſtris habet filios naturales tantùm ex ſuo amaſio, cum quo morabatur ut concubina, tunc dicti filii ei ſuccedunt

ab

ab inteſtato una cum aliis filiis legitimis, & naturalibus: ſi verò filios naturales habet, ut meretrix, tunc dicti filii naturales nõ ſuccedunt, ſed excluduntur à filiis legitimis, & naturalibus, *l. ſi qua illuſtris. C. ad Senat. Conſult. Orfic. Matthæ. Matthæſyll. in tr. de ſucceſ. ab inteſt. in 2. membro 1. art. n. 2. Rolandin. Paſſagerius de ſucceſſ. ab inteſt. n. 27. & ſeqq. Oliver. Textor. l. c. n. 32. & ſeqq. Covar. in 4. decretal. p. 2. cap. 8. §. 4. n. 15.*

Advertas, quod quando quis ſimul retinet plures concubinas, tunc filii naturales ex dictis cõcubinis progeniti, nec patri, nec matri ſuccedunt, quia talis coitus eſt damnatus pœna temporali, & dictę concubinę cum eorum amaſio ſaltem extra ordinem puniri valent, quia eſt res mali exempli, ità *Matthæſyllan. l. c. nu. 7.* & habetur in *Auth. de trient. & ſemiſſe. §. conſideremus autem.*

Advertas ſecundò, quòd quãdo filii ſunt nati ex libero, & ancilla ejus concubina retenta in eadem domo indubitato affectu maritali, tunc ſi dicti filii non ſint manumiſſi, remanent ſervi, & ſuccedere non valent: ſi verò ſint manumiſſi, tunc poſſunt ſuccedere matri ſi moriatur manumiſſa, & etiam poſſunt ab inteſtato ſuccedere patri naturali, & parentibus patris naturalis inſolidum, etiam ſimul cum aliis filiis legitimis, & naturalibus. Undè habes caſum ſpecialem, in quo filius naturalis ſuccedit patri habenti filios legitimos, & naturales, & etiam ſuccedit aſcendentibus paternis, ut notat *Matthæſyllan. l. cit. num. 5.* Quando verò mulier filios naturales progenuit ex ſervo, tunc dicti filii patri ſuccedere non poſſunt, quia ſervus ſucceſſorem habere non poteſt, matri verò ſuccedunt una cum aliis filiis legitimis, quando mater non eſt illuſtris, & quando non ſunt cõcepti ex muliere, & proprio ejus ſervo, quia ſi ex proprio ſervo ſunt concepti, in nihilum ſuccedunt dicti filii, *l. 1. C. de mulierib. quæ propriis ſervis ſe injunxerunt, Anton. de Roſſellis in tract. de ſucceſſ. ab inteſt. n. 26. & 27.*

Advertas tandem, quod filius naturalis non ſuccedit in duabus unciis, quando pater relinquit legitimam uxorem, ut dictum eſt: quod factum eſt ad tollendam invidiam, nam legitima uxor non poteſt in aliquo ab inteſtato ſuccedere, quando adſunt conſanguinei, & collaterales defuncti uſque ad decimum gradum; indignaretur autem invidiæ zelo legitima uxor ſi videret, quod in nulla parte ipſa

ſuccederet, & filii naturales ſuccederent in duabus unciis ſimul cum matre concubina, ità *Hoſti.* & *Ant.Gomez.* relati à *Vaſq.de teſtam. cap.5.§.6.dub.3.* & in hoc caſu fallit regula: ſi vinco vincẽtem te multo magis vinco te, nam conſanguinei defuncti excludunt uxorem defuncti à ſucceſſione, & non excludunt filios naturales, & tamen filii naturales excluduntur ab uxore defuncti, *Gerardus Mulert.ad Rolandin. Paſſagerii de ſucceſſ. ab inteſt. ſub n.25.*

QUÆRES III.

An, & quomodò filii ſpurii ſuccedere valeant aſcendentibus?

Filii ſpurii in præſenti intelliguntur illi, qui naſcuntur ex meretrice, ſeù ſcorto, & patrem certum non habent, qui à Romanis tantùm primis litteris notabantur, videlicet, S.P. ideſt ſine patre: undè factum eſt, quod nati ex muliere, cum qua plures commercium carnale habuerũt, ſpurii dicerentur; cui enim pater eſt populus, pater eſt ſibi nullus, *l. vulgo quæſiti.ff.de ſtatu homin.* iſti dicuntur etiam filii vulgo quæſiti. Propriè verò ſpurii dicuntur, qui patrem nominare non audent propter infamiam, etiam ſi patrem certum habent, ut ſunt nati ex parentibus, qui conjugium contrahere non poterant tempore nativitatis, nec tempore conceptionis, vel qui ex coitu lege punito naſcuntur, *Covar.in 4.decretal.part.2.cap.8.§.5.nu.1.* Sicut etiam Manzeres in lata ſignificatione dicuntur nati ex ſcortis, ſeù meretricibus, propriè tamen Manzeres dicuntur, qui nati ſunt ex parentibus, inter quos matrimonium conſiſtere non poteſt, *cap.niſi cum pridem. §. perſonæ de renunciat. Covar.l.c.nu.2. Vaſq.in Opuſc.de teſtam.cap.5.§.7. Ferdin. Vaſquius lib.3.illuſtrium.cap.102.n.7.Surd. de alim. tit.1.q.10.n.32.* Videas *Peregr. de jure fiſci lib. 3. tit. 18. Guttier.pract.qq.lib.5.q.55.n.46. & ſeqq.*

Quando verò quis naſcitur ex ſoluto, & ſoluta, inter quos matrimonium poterat contrahi, ſed illa mulier non detinetur domi, ut concubina, tunc talis filius jure Cæſareo ſpurius dicitur, ſed jure Canonico naturalis habetur, dummodò pater illum, ut ſuum filium recognoſcat, nam ſemper ac quis naſcitur ex ſoluto, & ſoluta, & inter eos poteſt matrimonium contrahi naturalis filius dicitur jure Pontificio, *Covar.l.c.§.4.n.2. Vaſq.Opuſc. de teſtam. cap.5. §.6. dub.1. & 5. & §.8.*

§.*8. dub.1.* Undè *Covar.l.cit.n.3.* refert *Bald. conſil. 206. col. fin. in 3.vol.* dicentem, legitimationem obtẽtam à Principe ſeculari minimè ſubreptitiam eſſe ex eo, quod legitimatus fuerit in petione dictus naturalis, quí tamen non erat natus ex concubina domi in contubernio retenta, ſed erat natus ex his, qui matrimonium contrahere poterant eo tẽpore, & ità ſubdit ſe credere ex Pontificum jure, conſuetudine recepto, cum verè naturalem dici, quamvis rigor juris civilis obſtet. Idem dicit *Surdus de alim. tit.1.qu.9.num.20. Fontanella deciſ.415.n.4.& ſeqq.*

Filius igitur ſpurius, qui certum patrem non habet, vel patrem nominare non audet, nullo modo poteſt ad patris hæreditatem venire, etiam ſi ab illo tanquam filius fuerit tractatus, *l.hac parte.& l.ſi ſpurius.ff.undè cognati. Inſtit. de legit. ſucceſſ. cogn.* §. *vulgo. cum ſimilibus Matthæſylla. in tract. de ſucceſſ. ab inteſt. in 2.membro 1.artic.nu.3. Rolandin. Paſſagerii de ſucceſſ. ab inteſtato n.28.& 30.Pet.Duenn.regul.366. Fontanell.l.c.num.11.* Matri verò ſuccedunt ab inteſtato, *l.1.* §.*ſed ſi vulgo. ff.ad Tertull.* idque etiã ſi extarent alii filii legitimi, & naturales ſecundùm *Angel. in Auth. quibus modis naturales effic. ſui.* §.*fin.* Fallit tamen ſi mater eſſet Illuſtris, & haberet alios filios legitimos, & naturales, quia ſi illos non habet, tunc ſpurii etiam matri Illuſtri ſuccedũt, ut probari poteſt ex *l.ſi qua illuſtris. C. ad Senat. Conſult. Orfic. Rolandin.Paſſagerii l.c.*

Dum autem diximus, quod ſpurius ſuccedit matri una cum filiis legitimis, & naturalibus, non intelligitur de ſpuriis propriè dictis, qui ſcilicet nati ſunt ex damnato, vel punibile coitu, quia iſti matri non ſuccedunt, *Auth.quib.modis naturales efficiãtur ſui.* §.*fin. Surd. de alim. tit.1. q.15.nu.14. Matthæſyll.l.c.nu.7. Nicol.ab Ubald.in tract.de ſucceſſ. ab inteſt. num.44.& ſeqq. Petr. à Duenn. regul. 266. fallentia 8.* & dicemus in ſequenti Quæſito; ſed intelligitur de ſpuriis impropriè, qui ſcilicet certum patrem non habent, ut ſunt nati ex meretrice.

Quamvis filii ſpurii patri non ſuccedant, tamen jure Canonico ſunt alendi à patre, qui tenetur etiam filiam ſpuriam dotare pro rata alimentorum, *Duenn. regul.367. Francb.dec.273.*

QUÆ-

QUÆRES IV.

An, & quomodò filii nati ex damnato coitu ab inteſtato ſuccedant aſcendentibus?

Filii nati ex damnato coitu (etiam ſpurii appellantur, ut ſunt Adulterini, Sacrilegi, Nefarii, Inceſtuoſi, &c. iſti enim ſunt abominabiles, & exoſi omni jure, & infames infamia facti reputantur, *Azo.inſumma. C. ex quib.cauſ.infam.irrogetur*; undè repelluntur ab honoribus, & dignitatibus, nec reputãtur legitimi teſtes, de quo videas *Nicol. ab Ubaldis in tract. de ſucceſſ. ab inteſt.n.44.*

Iſti filii excluduntur à ſucceſſione Patris, & Matris, quia ſunt indigni omni legis beneficio, *Auth.quibus modis naturales effic. ſui. §.fin. l.qui contra. & Auth.ex complexu. ubi gloſſ. C.de inceſt.nupt. Franch. dec.646. n.2. Surd. de alim. tit.1. q.10. Rolandin.Paſſagerii in tract. de ſucceſſ. ab inteſt. n.28. Petrus à Duenn. regul.366. fallentia 8.* & ſolùm alimenta petere poſſunt de æquitate Canonica, *cap. cum haberet. de eo, qui duxit in uxorem quam polluit per adult. cap. per venerabilem. qui filii ſint legit. Franch.deciſ.273.* Spurii tamen admittuntur ad ſucceſſionem matris, quãdo mater fuit violenter cognita, quia tunc non dicuntur nati ex damnato coitu de jure civili, *l. vim paſſam. ff. de adult. l.fœdiſſimam. C.eod. Ammend.ad Franch. deciſ.130.* Sicut etiam ſi mulier accepit in virum aliquem Sacerdotem ignorando illius conditionem, tunc dicti filii ſuccedunt Matri, & Patri, *cap.ex tenore.qui filii ſint legitimi*. Idem dicas ſi mulier fuit cognita ab eo quem putabat maritum ſuum, & in veritate erat alius, nam error probabilis excuſat, & quo ad pœnã ipſius mulieris, & quo ad effectũ, ut proles poſſit ſuccedere, *cap. cum inhibitio. de clandeſt. deſpon. cap. ex tenore. qui filii ſint legit. Nicol.ab Ubald l.c.n.46.*

Dicti filii ſpurii, ſeù nati ex damnato coitu non dicuntur de Genere, Agnatione, Familia, vel domo patris, quia ſpurii, & naturales nón ſequuntur patrem, ſed matrem, *l. lex naturæ eſt, ut qui naſcitur ſine legitimo matrimonio matrem ſequatur, niſi lex ſpecialis aliud inducat. ff. de ſtatu hominum*. Videas *Nicolaum ab Ubald.l.c.nu.51. & ſeqq.* Undè ſi teſtator mandaret bona ſua diſtribui inter pauperes conjunctos, exequutor non poteſt eligere ſpurium, *Petr. à Duenn. regul.366. ampliat.6.*

QUÆ-

QUÆRES V.

An, & quomodò filii legitimi ab inteſtato ſuccedant?

Filii legitimi dicuntur adoptivi, ſivè arrogati, *cap. unico. de cognat. legali.* Iſti ſi ſunt adoptati adoptione perfecta, quæ dicitur arrogatio, & non ſunt emancipati, ſuccedunt Patri arroganti una cum aliis filiis legitimis, & naturalibus arrogantis, ſi adſunt; quando verò ſolus filius adoptatus exiſtit, ipſe inſolidum ſuccedit, *l. 1. §. ſuos. ff. de ſuis, & legit.* & ſicut ex bonis damnatorum naturalibus liberis aliquod conceditur, ità etiam adoptivis, *l. 1. §. ex bonis. ff. de portionib. quæ liberis damnatorum conceduntur.* adeoque dicti filii adoptivi excludunt aſcendentes, & collaterales Patris arrogantis, etiam ſi iſti dicerent arrogationem factam in eorum fraudem, quia fraus non facilè præſumitur in tam ſolemni actu per Principem auctorizato cum cauſæ cognitione, *l. ſi pater. §. fin. ff. de adopt.* In feudo tamen filius adoptivus non ſuccedit, *cap. 1. §. adoptivus. ſi de feudo defuncti contentio ſit inter domin. & agna. vaſſal.* ſicut nec ſuccedũt in emphyteuſi; *l. filio quem pater. ff. de liber. præterit. Petr. à Duenna regul. 361.* Quod dictum eſt de filio adoptato adoptione perfecta, dicas de adoptato adoptione ſimplici ab aliquo ex aſcendentibus, puta à ſuo Avo, Proavo, &c. nam in tali caſu adoptatus comparatur arrogato in omnibus, *Inſtit. de hæredit. quæ ab inteſt. defer. §. ſed ea omnia*, & ideò ſuccedit ab inteſtato adoptanti, nec poteſt emancipari, niſi ei datur quarta pars hæreditatis, *l. Papinianus. §. ſi quis impubes. & l. arrogator. ff. de injuſto teſtam.*

Quando verò quis eſt adoptatus adoptione ſimplici ab extraneo, tunc durante adoptione ei ſuccedere poteſt ab inteſtato ſimul cum aliis filiis legitimis, & naturalibus (ut tradunt communiter *DD.* de quo ego infra) ità ac ſi eſſet filius legitimus, & naturalis, *l. cum in adoptivis. §. ſed ſiquidem. C. de adopt. l. ſi te. & l. fin. C. de ſuis, & legit. liberis.* Si verò tẽpore mortis patris emãcipatus reperitur, tunc ei ab inteſtato non ſuccedit, quia nullus nexus, nulla conjunctio reperitur inter filium, & patrem adoptantem ſoluta adoptione, *l. cum in adoptivis. §. ſed ne. C. de adopt. Inſtit. de hæredit. quæ ab inteſt. defer. §. ſed ea omnia.*

Adoptatus igitur adoptione per-

perfecta, quæ arrogatio dicitur tranſit in poteſtatem arrogatoris, & de illius familia efficitur, *l. qui in adoptionem. ff. de adopt.* & jura ſuitatis conſequitur, *l. 1. §. ſuos. ff. de ſuis, & legit.* & ideò ſuccedit cum aliis filiis legitimis, & naturalibus, *l. ſi te parens. C. de ſuis, & legit.* & hac ratione ei eſt etiam debita legitima, prout eſt debita filiis legitimis, & naturalibus, & eis facit partem in legitima. Adoptati verò adoptione ſimplici ab extraneo, licèt ſecundùm communem opinionem ab inteſtato ſuccedant ſimul cum legitimis, & naturalibus, tamen puto, quòd eis non faciant partem in legitima, nec per eos detrahitur legitima filiorum legitimorum, & naturalium, quicquid dicat *Matthæſyll. in tract. de ſucceſſ. ab inteſt. in 3. memb. 1. art. n. 1. & 2. Peregr. de fideicom. art. 36. n. 43.* quia legitima eſt debita illis, qui ſi præteriti fuiſſent, poſſent dicere nullum, aut contratabulare teſtamentum, vel ſi exhæredati fuiſſent, poſſent teſtamentū de inofficioſo arguere, *Peregr. l. c. n. 38.* adoptatus autem adoptione ſimplici ab extraneo non poteſt dicere nullum teſtamētum patris, nec poteſt de inofficioſo teſtamento agere, *Peregr. l. cit. nu. 43.* ergo ei legitima non eſt debita, *Guttier. in repetit. Tex. in §. ſui. de hæred. qualit. & differ. num. 154.* undè ſicut dicti filii adoptivi nō augent numerum filiorum, nec legitimam, *Matthæſyll. l. cit. n. 2.* ità nec minuere debent portionem legitimę debitę filiis legitimis, & naturalibus, quæ propriū filii patrimonium dicitur, *Guttier. pract. qq. lib. 5. q. 55. num. 13.* Undè in *l. nec ei. 17. §. præterea. ff. de adopt.* habetur: *Præterea videndum eſt, an non debeat permitti ei, qui vel unum habebit, vel plures liberos, adoptare alium: ne aut illorum, quos ex juſtis nuptiis procreavit diminuatur ſpes, quam unuſquiſq; liberorum obſequio parat ſibi: aut qui adoptatus ſit, minus percipiat, quàm dignum erit eum conſequi.*

Quarta igitur eſt debita filio arrogato, non adoptato adoptione ſimplici, *Guttier. in repet. Tex. in §. ſui. de hæred. qualit. & differ. n. 155.* & talis quarta intelligitur de quarta omnium bonorum ſecundùm aliquos, non verò de quarta illius partis, quæ ei ab inteſtato eſſet debita, quod etiā extantibus filiis legitimis, & naturalibus, verùm dicit *Guttier. l. c. n. 156. Jaſon. in l. ſi arrogator. n. 52. ff. de adopt. ubi Bart. num. 8.* Quamvis alii teneant, quod quādo quis habet filios legitimos, & naturales, talis quarta debita filio

filio arrogato eſt quarta pars ejus, quod eſſet arrogatus habiturus ab inteſtato; ſi verò filios legitimos, & naturales non habet, tunc quarta intelligitur de tota hæreditate, ut videre eſt apud *Guttier.l.c.*

Hinc dicit *Guttier.l.c.nu.*162. quòd quando quis habens filios legitimos, & naturales alios arrogavit ſciente Principe, filii arrogati ſuccedunt ſimul cum naturalibus; & tunc eſt examinanda quæſtio, de quibus bonis quarta intelligitur: ſi verò filios ſimpliciter adoptavit, tunc adoptatus non ſuccedit cum filiis legitimis, & naturalibus, quia Judex, cujus decreto fuit facta illa adoptio, non potuit præjudicare filiis natis; quo caſu poterit pater legare filio adoptato quintam partem bonorum ſuorum: adeoque falſum eſt, quod communiter à Doctoribus dicitur, filium adoptivum adoptione ſimplici ſuccedere ab inteſtato patri adoptivo, una cum filiis legitimis, & naturalibus: & *Text. in l. ſi te parens. C. de ſuis, & legit. liber.* intelligitur quando filius fuit in adoptionem datus à patre alicui ex aſcendentibus; non verò quãdo fuit datus extraneo; quia tunc tantùm ab inteſtato ſuccedere valet, quando non extant filii legitimi, & naturales. Præfertur tamen hic filius adoptatus ab extraneo aſcendentibus patris adoptivi, quando de ſucceſſione inteſtati quæritur, *Guttier. l.c.n.*153. *qui n.*158. dicit, quod ſi quis adoptavit filios, vel illos arrogavit, & deindè ſuſcepit filios legitimos, & naturales, talis adoptio, vel arrogatio irritatur; faciunt tradita per *Paul. de Caſtro in d.l. ſi te parens.* quamvis oppoſitum defendat *Tiraquell. in l. ſi unquam, verbo Donatione largitus.n.*274. *C. de revocat. donat.*

Advertit etiam *Jaſon in l. ſi arrogator.n.*53. *ff. de adoption.* quòd quarta debita filiis arrogatis nõ eſt aucta uſque ad trientem, ſicut eſt aucta in filiis legitimis, & naturalibus; quia ſumus in correctoriis, in quibus non eſt facienda extenſio, niſi id ſit expreſſum; licèt alii teneant, quod etiam legitima arrogati ſit triens. Videas *Jaſon. l.c.* ubi ponit rationes pro utraque opinione.

QUÆRES VI.

An, & quomodò filii legitimati ab inteſtato ſuccedant?

OLim plures erant modi legitimandi filios, ut dicit *Sanfelic. deciſ.*342. *ubi Addit.* Hodiè verò tripliciter poſſunt filii naturales legitimari. Primò, per

Subſequens matrimonium. Secundò, per Reſcriptum Principis. Et tertiò, per Oblationem Curiæ. Per Subſequens matrimonium legitimantur filii naturales nati ex illis, cum quibus matrimonium tempore coitus ſubſiſtere poterat, *cap. tanta. qui filii ſint legit.* undè ſi tempore coitus matrimonium non poterat ſubſiſtere, fortè quia erant Conſanguinei, vel vir erat uxoratus, &c. non legitimantur filii per ſubſequens matrimonium. Ut autem filii per ſubſequens matrimonium legitimentur non requiritur, quod ſint nati in domo ex muliere domi retenta ut concubina, ut putant aliqui relati à *Decio conſil. 155.* ſed ſatis eſt, quòd ſint nati ex ſoluto, & ſoluta, & quod inter illos potuerit contrahi matrimonium, *Dec. l. cit.* Spurii tamen, quando verè ſpurii ſunt non legitimantur per ſubſequens matrimonium, *Inſtit. de nupt. §. fin. cap. quanto. & cap. tanta. qui filii ſint legit.* Jo: *Brunell. de ſponſal. & matrim. concl. 2. n. 1. & 4.*

Per reſcriptum Principis legitimari poſſunt, non ſolùm filii naturales, ſed etiam Spurii, Sacrilegi, Adulterini, Inceſtuoſi, Nefarii, &c. *cap. per venerabilem. qui filii ſint legit. Auth. quib. mod. natural. effic. ſui. §. ultra. ubi gloſſ.* Advertas tamen, quòd Spurii, Inceſtuoſi, &c. de poteſtate ordinaria Principis non ſunt capaces dictæ legitimationis; quod colligitur ex duabus Rubricis, *Quibus mod. natural. effic. legit. & Quib. mod. nat. effic. ſui*, ut etiam advertit *gloſſ. in d. cap. per venerabilem. &* Jo: *Brunell. l. c.*

Iſta legitimatio per reſcriptũ tantùm fieri valet à Principe nõ recognoſcente Superiorem, & pater, qui vult filium legitimare non debet habere alios filios legitimos, vel filios naturales, qui poſſint per ſubſequens matrimonium legitimari, *DD. in Auth. quib. mod. nat. effic. legit. §. ſi verò ſolummodò. & §. ſi quis ergo.* *Jo: Brunell. d. concl. 2. n. 8.* Undè pater in ſupplicatione porrigẽda Principi, debet dicere, ſe non poſſe matrimonium contrahere cum ſua concubina, cum qua dictum filium procreavit, vel quia illa defuncta eſt, vel quia aliter inter ipſos matrimonium impeditur: quamvis poſſet Princeps legitimare, non obſtante, quod matrimonium contrahi poſſit, ſed de hoc eſt facienda expreſſa mentio in ſupplicatione, & Princeps debet illam admittere, cum clauſula *Non obſtante, &c.*

Princeps poteſt dictos filios legitimare, etiam non vocatis ab inteſtato ſucceſſuris, quando le-

legitimatio fit patre vivente, & de illius conſenſu, *l. cum adoptio fit. & l. nam ità divus. ubi gloſſ. & Bald. ff. de adopt.* quia pater poteſt venientes ab inteſtato excludere inſtituendo extraneum, & ſic talis legitimatio eis non præjudicat, niſi eſſent perſonæ, quibus legitima debetur, quia tunc iſtæ perſonę in legitimatione vocari debent. Undè quando tractatur de præjudicio agnatorum in bonis, de quibus pater diſponere poteſt, non ſunt citandi agnati in legitimatione filii; quando verò tractatur de eorum præjudicio in bonis, de quibus diſponere non poterat, tunc ſunt vocandi agnati, *Dec. conſil. 85. ſub n. 7.* ubi dicit, quòd legitimatio primogeniti facta vivente patre non præjudicat ſecundogenito, caſu quo ex ſtatuto, vel cōſuetudine ſucceſſio ad primogenitum defertur, *Sanſelic. deciſ. 342. n. 5. & ſeqq.* Poteſt tamen pater petere legitimationem ſui filii etiam in præjudicium filiorum legitimorum, & naturaliū, & præſertim in præjudicium fœminarum ubi viget ſtatutū, quod ſtantibus maſculis fœminæ non ſuccedant, *Capyc. Latro dec. 166.*

Hæc legitimatio per Reſcriptum poteſt à Principe de poteſtate ordinaria fieri de filio naturali etiam poſt mortem patris, & non vocatis agnatis, & cognatis, quando non adeſt legitima ſoboles; dummodò adſit præordinatio patris, qui vel in teſtamēto, vel in actu inter vivos, aut quomodocunque ſuam voluntatem expreſſerit, velle filios naturales legitimare: nam ſicut patre vivente poſſunt dicti agnati, & cognati præjudicari per legitimationem filiorum, ità etiam patre mortuo, quando ipſe pater præordinavit legitimationem vel in teſtamento, vel in alio actu inter vivos, vel in ultima voluntate, ut deciſum per S.C. refert *Sanſelic. d. dec. 342. nu. 17. & ſeqq. Capyc. Latr. dec. 166. n. 4. & ſeqq.* ubi etiam habes, quòd in præjudicium filiorum legitimorum, & naturalium poteſt id præordinare, dummodò reliquatur legitima filiis legitimis, & naturalibus.

Facultas iſta legitimandi eſt de Regalibus, & ideò ſolùm Principi ſuperiorem non recognoſcenti reſervata eſt. Verùm poteſt Princeps talem facultatē alteri concedere per privilegiū, *Capyc. Latr. l. c. n. 1. Addit. ad Sanſelic. l. c.* ubi etiam habetur, quod talis facultas eſt Baronibus denegata: Prōregi verò eſt conceſſa, & ſic ſecundùm *Prat. tom. 2. forenſ. cap. 48. ſub n. 14.* legitimatio expeditur, & firmatur à Do-

mino Prorege, & ab Illuſtriſſ. & Spect. Dominis Regentibus; ſecundùm *Taſſonè* verò *de anteſat. verſic.3. obſervat.3.nu.*287. talis facultas ſpectat ad Dominum Viceprotonotarium: & ſic legitimatio firmatur à Domino Prorege, ab uno Domino Regente, & ab ipſo Domino Viceprotonotario, *Capyc.Latr.l.c.n.3.* Summus Pontifex tamen quò ad ejus ſubditos in ejus territorio, & juriſdictione legitimare poteſt quoad omnia & temporalia, & ſpiritualia; per totum verò Orbem, quoad ſpiritualia tantùm legitimat, de qua legitimatione videas *Addit. ad Sanfelic. l.c.* ubi plures Quæſtiones de hac materia remiſſivè ponit: ſimiliter videas *Capyc.Latr.in d.dec.*166. ubi habes quæſtiones, & opiniones pertinentes ad legitimationem per Reſcriptum Principis.

Per Oblationem Curiæ etiam filii naturales legitimantur, & Oblatio Curiæ eſt, quando filius illegitimus aſcribitur ſervitio Curiæ Romanæ, Curiæ Imperatoris, vel ſervitio ſuæ Civitatis Originis, vel Nativitatis, *Auth. quib. mod.natur.effic.ſui.* §. *ſi quis igitur fuerit.* & §. *ſi quis igitur ex qualibet*. Idem eſt ſi quis offeratur ſervitio alicujus Epiſcopi perpetuò ibi ſerviturus, vel alicujus Metropolis, vel offeratur pro Clerico alicujus Monaſterii de licentia Abbatis, etiam ſi non profiteatur Regulam, *Nicol. ab Ubald. in tract.de ſucceſſ.ab inteſt. in 1.p.tract.n.78.& 79.*

Hinc cum Civitas indiget Officiali, ſi aliquis qui ſit filius Naturalis, vel Spurius, &c. diceret Regimini Civitatis, *Me offero Curiæ, atque me paratum offero deſervire pro tali Officio*, ſi à Regimine Civitatis recipitur talis oblatio, ſtatim ille legitimatur, *Angel. in Auth. quib. mod. natur. effic.ſui.*§.*ult.Nicol.ab Ubald.l.c.*

Filia verò Naturalis, vel Spuria non poteſt legitimari per Oblationem Curiæ, quia fœminæ ſunt excluſæ ab officiis, *Petr. Pecbius de teſtam. conjugum lib.1. cap.8.l.fœminæ.cum ſimilibus.ff.de regul.jur.ubi Dec.* ideò pro illarum legitimatione eſt adinventus alius modus, videlicet, quòd matrimonio jungantur Curialibus, *Auth. quib. mod. natur. effic. ſui.* §. *ſi quis igitur*, ibi: *Et hanc eſſe regulam etiam in filiabus, ut jungat eas Curialibus.*

Hęc legitimatiò filii per Oblationem Curiæ poteſt fieri, vel ad petitionem patris, quando ſcilicet pater talem filium offert Curiæ, vel apud acta confitetur, aut in teſtamento moriens ſcribat, oportere filium illum fieri Curialem: vel fieri poteſt ex ſola

voluntate filii illegitimi: ſed quando fit ſola voluntate dicti filii, requiritur quod non exiſtãt alii filii legitimi, quia in eorum præjudicium non poteſt ſui legitimationem petere, *Autb. quib. mod. natur. effic. ſui. §. ſi quis igitur fuerit*, ibi: *Qui verò per ſemetipſũ ad hoc procedit, tunc ſolummodò auditur, cum nullus legitimorum filiorum exiſtit. & §. ſi quis igitur ex qualibet*, ibi: *Si verò quiſpiam ſemetipſum offerat, hoc permittimus, cum non alii legitimi ſunt fratres.* His præmiſſis.

Ad Quæſitum dicimus primò, quod filii legitimati per ſubſequens matrimonium, quia ſe habẽt, ut legitimi & naturales ſuccedunt ab inteſtato ſuis parentibus, agnatis, & cognatis, & ſic ſuccedunt Aſcendentibus, Deſcendentibus, & Tranſverſalibus, prout alii filii legitimi, & naturales, *gloſſ. in cap. tanta. qui filii ſint legit.* Undè admittuntur ad quamlibet ſucceſſionẽ fidèicommiſſariam, emphyteuticam, & feudalem, *cap. naturales. ſi de feudo fuerit controver. in uſib. feudor.* ubi *DD.* dicunt, quod per dictum *Tex.* filii alio modo legitimati excluduntur à ſucceſſione feudali, ſecus quando ſunt legitimati per ſubſequens matrimonium; quia iſti in omnibus reputantur ut veri filii legitimi & naturales. Solùm difficultas poteſt eſſe, quando res eſſet conceſſa pro ſe, & ſuis filiis ex legitimo matrimonio deſcendentibus, vel ex legitimo matrimonio natis. Videas *Petr. Duen. regul.* 350.

Dico ſecundò, quòd filii legitimati per Reſcriptum Principis ſuccedunt ſuis parentibus ab inteſtatò; quia baſtardus per talem legitimationem mundatur, & lavatur vitio geniture, & macula illegitimitatis, *Angel. conſult.* 20. Verùm taliter legitimati ſuccedunt Patri in bonis Patrimonialibus, non verò in feùdalibus, nec in emphyteuſi conceſſa pro ſe, & liberis ſuis legitimis, *Oliver. Textor. de ſucceſſ. legitimor. nu.* 63. & ſuccedunt tantùm parentibus, non verò fratribus, vel aliis collateralibus. Sed *DD.* relati à *Capyc. Latr. dec.* 166. *n.* 146. *& ſeqq.* dicunt, quòd legitimati per Reſcriptũ perindè ſe habent, ac ſi eſſent legitimi & naturales, & ideò debent, vel inſtitui, vel exhæredari, alias habẽt querelam inofficioſi, & rumpunt teſtamentum, & poſſunt facere omnia, quæ per filios legitimos, & naturales fieri valent: imò nõ tantùm patri ſuccedunt, quia legitimatus à Principe fit omnibus agnatus, & cognatus, & ſuccedit in burgenſaticis, & feudalibus

bus hæreditariis, & etiam ex pacto quando eſſet primus acquiſitor, & poſſet de illis diſponere mediante Regio aſſenſu. Si verò pater poſt legitimationem factã ſuſciperet liberos ex legitimo matrimonio, tunc legitimatio nõ totaliter ſortiretur effectum, quia non præſumitur, patrem eis præjudicare voluiſſe, & ſic legitimati non ſuccedunt, licèt remaneant legitimati quoad honores, *Oliver.l.c.n.65.* niſi pater petiiſſet legitimationem dicti filii, dum legitimam ſobolem habebat, & de hoc in ſupplicatione expreſſam mentionem feciſſet, petendo legitimationem nõ ſolùm quoad honores, ſed etiam quoad ſucceſſionem, &c. ut eſt caſus *deciſ. Capyc. Latr. 166. & Sanſelic.dec.342.*

Advertas, quod in ſtatu Eccleſiaſtico legitimati per Reſcriptum Principis non veniunt appellatione filiorum, ex Bulla Pii IV. ſicut etiam eſt in dominio Veneto, ex ejus Senatus Conſulto de anno 1567. de quo *Peregrinus de fideicom. art.23.n.27. Merlin. de legit. lib.1. tit.2. qu.8. n.*27. De jure tamen communi, quando talis legitimatio eſt facta ex voluntate patris, vel ex ejus præordinatione, taliter legitimatus æquiparatur legitimato per ſubſequens matrimoniũ, & ità excludit ſubſtitutum, *Fuſar. de fideicommiſſar. ſubſtitut. q.408.num.*133.*&* 140. relatus à *Capyc.Latro dec.166.n.18. & ſeq.* quod verùm dicit, etiam quando in fideicommiſſo eſſet dictũ, *ſi deceſſerit ſine filiis legitimis, & naturalibus:* nam etiam taliter legitimatus facit deficere fideicommiſſum, ut advertit idem *Capyc. Latro dec.3. n.*18. Sed hęc opinio *Fuſarii* locum habere poteſt, quando legitimatio fuit facta Principis Reſcripto ante fideicommiſſum, nam tunc, niſi contrariæ voluntatis conjecturæ appareant, legitimatus excludit ſubſtitutum, quia dicitur verè legitimus, & nihil à legitimis differt: Quando verò legitimatio ſubſequitur diſpoſitionem, & fideicommiſſum, tunc legitimatus non facit deficere fideicommiſſum, quia legitimationes nihil ſubſtituto prǫjudicare debẽt, & hoc eſt, quod voluit *Bulla* Pii IV. quæ licèt locum habeat in terris Eccleſiæ Romanæ ſubjectis, tamen ratio dictæ Bullæ ubique locorum ſervanda eſt, nã reſcripta Principum interpetrari, & concedi debent, dummodò alteri injuriam, detrimentum, & præjudicium non afferant, *L.*2. *§.merito.& §.ſi quis à Principe.ff. ne quid in loco publ. cap.quamvis. de reſcript. in 6. Capyc. Latr. deciſ.3.*

ciſ. 3. à num. 18. *uſque ad* 23.

Dubitant aliqui, an quando pater expoſuit Principi, quod vult legitimare ſuum filium naturalem, & obtinuit legitimationē, deindè cognoſcitur, quod ille filius eſt natus ex virgine ſtuprata, an inquam talis legitimatio ſuum ſortiatur effectum. Et ratio dubitandi eſt, quia quādo quis copulam habet cum virgine, ſtuprum committit, *l. inter.* §. 1. *& l. ſtuprum.* 34. §. *adulter. ff. ad leg. Jul. de adulter.* adeoq; filii ex tali copula nati non dicuntur naturales, ſed ex damnato coitu, & punibili; non enim concubinatus contrahitur cum ea, cum qua ſtuprum abſque proteſtatione, quod vult eam in concubinā habere, fuit commiſſum, *l. 1. §. cū Attilicino. ff. de concubinis*: undè talis gratia, utpote ſubreptitiè impetrata, non debet habere effectū. Verùm nos dicimus, quòd talis proteſtatio hodiè de jure Canonico non requiritur ad inducendum concubinatum, nam filius naturalis dicitur quilibet natus ex ſoluto, & ſoluta, cum qua abſque impedimento matrimonium contrahi poteſt, etiam ſi illa mulier domi non ſit retenta, *Capyc. Latro dec.* 166. *n.* 95. *& ſeqq. ubi n.* 102. ità deciſum per S.C. refert.

Filius legitimatus per Reſcriptum Principis quando plenè legitimatur, ſcilicet quoad honores, & quoad ſucceſſionem, reſtituitur natalibus, & fit verè legitimus, ex quo intuitu perſonæ propriæ, & ſimpliciter legitimatur, ad differentiam legitimati per oblationem Curiæ, qui non reſtituitur natalibus, nec fit verè legitimus, ſed tantùm per quandam machinationem, & fictionem, ex quo favore Reipublicæ legitimatur, & non intuitu propriæ perſonæ, & ideò legitimatus per oblationem Curiæ non fit omnibus agnatus, ſed tātùm patri ſuccedit, *l. communium. C. de naturalibus liberis*, legitimatus verò à Principe fit omnibus agnatus, & cognatus, *Angel. conſil.* 17. *Paul. de Caſtr. conſil.* 227. *vol.* 2. & perindè eſt, ac ſi eſſet legitimus, & naturalis, & ideò debet, vel inſtitui, vel exhęredari, alias rumpit teſtamentum, & habet querelam inofficioſi; & pater poteſt dicto filio legitimato dare feudum, relicta legitima filiis legitimis, & naturalibus, vel poteſt dictum filium legitimatum inſtituere relicta legitima filiis legitimis, & naturalibus, quando fuit facta legitimatio exiſtentibus filiis legitimis, & naturalibus, de quo expreſſa mentio fuit facta in ſupplicatione Principi porrecta, *Sanfel. deciſ.* 342.

ciſ.342.n.5.&ſeqq. Vide *Capyc. Latr. l.c. à nu.143.uſque ad* 150. *& expreſſiùs nu. 165. ubi nu.*151. *&* 153. dicit, quòd taliter legitimatus etiam excludit fœminas legitimas, & naturales, ubi viget ſtatutum, quod ſtantibus maſculis fœminæ non ſuccedant: & ſic non ſolùm illas excludit à ſucceſſione patris, ſed etiam à ſucceſſione fratris.

Quamvis filii legitimati per Reſcriptū poſſint admitti ad ſucceſſionem feudorum, tamen de ſtylo Cancellariæ non eſt ſolitū admittere filios legitimatos ad ſucceſſionem feudaliūm; imò ſolent etiam excludi à bonis antiquis obventis patri ab agnatis, & cognatis, *Capyc.Latr.dec.166. nu.*170. *& ſeqq.* ubi etiam dicit, quod reſpectu bonorum Conſuetudini Neapolitanę ſubjectorum, legitimati per Reſcriptum non poſſunt habere ſucceſſionē; quia per Conſuetudinē ſunt vocati agnati ex pacto Civium, & providentia Conſuetudinis, & propterea legitimati in eis non ſuccedunt, *Napod. in Conſuet. ſi quis, vel ſi qua.de ſucceſſ.ab inteſt. verb.legitimus n.*171. ubi addentes *Provenz.obſervat.*10.

Conſiderandum eſt in hac materia, quod datur Legitimatio, & Diſpenſatio. Legitimatio vera eſt, quando legitimatus plenè reſtituitur ingenuitati, & natalibus, & ad omnes effectus, tàm juris Civilis, quàm municipalis, itaut per talem legitimationem tollitur omnis macula, ac ſi eſſet natus ex legitimo matrimonio. Diſpenſatio eſt, quando defectus natalium non tollitur ſimpliciter, ſed in certo caſu, putà legitimatur quis quoad ſucceſſiones, vel dignitates, & honores tantùm, & tunc ultra illum caſum non extenditur, *Addit. ad Sanfelic. dec. 342. verbo Amplius conſiderādum*. Legitimatio enim eſt *Actus juriſdictionis voluntariæ*, quo filii illegitimi antiquis reſtituūtur natalibus; vel eſt Reſtitutio primis natalibus, in quibus ſuis parentibus omnes filii naſcebantur legitimi, abſtergens omnem maculam illegitimitatis, & efficiens eos capaces ſucceſſionis, ac ſi ab initio legitimi nati fuiſſent, *Pariſ.vol.2.conſil.1. num.54.*

Iſti filii legitimati habent jura ſuitatis, & numerantur in numero duodecim filiorum pro immunitate patris, ſicut etiam numerantur in numero quinque filiorum pro excuſando patre à tutela, & ab onere Regiminis Reipublicæ, quale eſt munus Syndici, & Adminiſtrationis Reipublicæ. Vide *Addit.ad Sanfelic.l.c.*

Ad-

Advertere tamen debes, quod filii legitimati per reſcriptum Principis laici non ſuccedunt in jure Patronatus Gentilitio, & Familiari, benè verò admittuntur ad jus patronatus hæreditarium, & ſolùm excluduntur, quãdo filii legitimati eſſent ſpurii, *Ciarl. contr. tom.2. cap.*157. *n.*38. *&* 39. aliter enim Princeps ſe gerit in legitimatione ſpuriorum, ac naturaliũ, *Franc. Marc. p.*1. *dec.*481. *n.*3. & alii relati in *Addit. ad Sanfelic. deciſ.*342. Videas *Pariſ. vol.*2. *conſil.*1. *nu.*53. *& conſil.*7. *n.*14. Similiter legitimati à Principe laico non ſuccedunt in feudis Eccleſiaſticis, licèt Princeps expreſsè legitimet ad feuda, *Pariſ. l.c. num.*121. *qui n.*120. dicit, quod quando inveſtituræ de feudis dicunt, illa cõcedi pro recipientibus, & pro hæredibus, & filiis legitimis, & naturalibus, & legitimè deſcendentibus, ſeù legitimè natis, ſeù ex legitimo matrimonio, tunc legitimati per reſcriptum Principis non admittuntur ad feudalem ſucceſſionem. Videas *Pariſ. d. vol.*2. ubi per plura Conſilia de hac legitimatione per reſcriptum diſcurrit.

Dico tertiò, & ultimò, quod filii legitimati per Oblationem Curiæ, quando legitimatio eſt facta patre volente, ſuccedunt patri ab inteſtato, una cum aliis filiis legitimis, & naturalibus, *Auth. quib. mod. natur. effic. ſui.* §. *& quoniam variè:* undè pater poteſt præjudicare ſuis filiis legitimis, & naturalibus, offerendo naturalem filium Curiæ, & ſic illum capacẽ ſucceſſionis facere, una cum legitimis, & naturalibus, ut patet ex *cit. Auth. in* §. *ſi quis igitur fuerit.* Filii autem iſti legitimati per Oblationem Curiæ, tantùm patri ſuccedunt ab inteſtato; undè non ſuccedunt aſcendentibus, & collateralibus patris, ſivè ſint agnati, ſivè cognati, *Auth. quib. mod. natur. effic. ſui.* §. *filium verò. &* §. *ſanciendum eſt.*

DISPUTATIO II.

De ſucceſſione Aſcendentium.

QUando quis ab inteſtato decedit non relictis filiis, & deſcendentibus, ad illius ſucceſſionē veniunt aſcendentes gradu proximiores, ſivè maſculi ſint, ſivè fœminæ, ſivè paterni, ſivè materni ſint, & quādo dicti aſcendentes per lineam paternam, & maternam eundem gradum habent, ex æquo inter eos dividitur hæreditas, & medietatem accipiunt omnes à patre aſcendentes, alia medietate relicta aſcendentibus à matre, *Auth. de hæredib. ab inteſtat. §. ſi igitur defunctus.* Undè inter aſcēdentes concurrentes ad ſucceſſionem deſcendentium non datur repræſentatio, ſed tantùm prioritas, & proximitas in gradu, *Cancer. p. 1. cap. 5. de ſucceſſ. ab inteſt. n. 9. & 19.*

Hinc ſi filio ab inteſtato decedenti ſuperſit pater, & mater, tàm pater, quàm mater ei ſuccedunt, quia ſunt in pari gradu, & ſic æqualiter in omnibus bonis peculii caſtrenſis, vel quaſi ſuccedunt, nō ſolùm quoad proprietatē, ſed etiam quoad uſumfructum, *Auth. de hæred. ab inteſt. §. ſi igitur defunctus*; difficultas tamen eſt de peculio adventitio filii familias, ideò:

QUÆRES I.

An in peculio adventitio filii familias æqualiter ſuccedant Pater, & Mater, tàm quoad proprietatē, quàm quoad uſumfructum?

COmmunis opinio eſt, quòd æqualiter ſuccedunt in proprietate, ſed uſusfructus dicti peculii adventitii totus remanet penès patrem durante vita patris, poſt cujus mortem medietas dicti uſusfructus conſolidatur cum proprietate matris. Ità *Bart. in l. ſi quis, vel ſi qua. §. ſin verò. C. ad Tertull. Paul. de Caſtr. in Auth. defuncto. C. ad Tertull. Oliver. Text. de ſucceſſ. ab inteſt. num. 69. Matthæſyllan. in tract. de ſucceſſ. ab inteſt. in 2. art. princip. ſub nu. 3. Rolandus Paſſagerii in tract. de ſucceſſ. ab inteſt. n. 12. Anton. de Roſellis in eodem tract. num. 163.* ubi dicit, quod quando pater una cum filiis ſuccedunt filio emancipato, tunc non habet uſumfructum in portio-

tionibus filiorum, niſi ſuccederetur emancipato in bonis, in quibus jam pater habebat uſumfructum, aut ſuccederetur filio familias,quia tunc integer uſuſfructus remanet penes patrem, exceptis illis bonis, in quibus filius etiam in poteſtate exiſtens plenum jus habebat.

Probant, quia per mortem filii non extinguitur uſusfructus, quem pater jam habebat in peculio adventitio filii, cum uſuſfructus nō per mortē filii,ſed per mortē patris uſufructuarii extinguatur, *l.3.C.de uſufr.& habitat. l.cum oportet. C. de bonis, quæ liber.l.ſi quis, vel ſi qua. §.ſin verò. C.ad Tertull.ubi Bart.*dicit,quòd per mortem filii non extinguitur uſusfructus competens patri, quod hodiè non eſt correctum, licèt omnia alia, quæ in dicta *l.* continentur ſint hodiè correcta, & *Paul. de Caſtr.l.c.* dicit, quod in proprietate adventitiorum filii familias, ſuccedunt pater,& mater pariter,uſusfructus tamen inſolidum eſt ipſius patris, quia non fuit extinctus per mortem filii.

Confirmatur:quando quis decedit relicto patre familias, & deſcendentibus, ad illius ſucceſſionem veniunt deſcendentes excluſo patre familias, qui tamen retinet uſumfructum, quem habebat in peculio adventitio filii familias defuncti, *Auth. de hæredib. ab inteſt. §.ſi quis igitur,* ibi: *Licèt enim defunctus ſub alterius poteſtate fuerit, tamen ejus filios cujuslibet ſexus, aut gradus ſint, etiam ipſis parentibus præponi præcipimus, quorum ſub poteſtate fuerit, qui defunctus eſt, in illis videlicet rebus, quæ ſecundùm noſtras alias leges, patribus non acquiruntur: nam in uſu harum rerum, qui debet acquiri, aut ſervari, noſtras de his omnibus leges parentibus cuſtodimus.*Ergo à fortiori debet pater retinere totum uſumfructum, quando cum matre ſuccedit, quia potior eſt cauſa ſucceſſionis deſcendentium, quam aſcendentiū, ergo ſi pater non excluditur ab uſufructu per ſucceſſionem deſcendentium, nec etiam excludi valet per ſucceſſionem aſcendentis.

Ego tamen contra communē opinionem ſuſtineo, quod æqualiter pleno jure ſuccedunt pater, & mater in peculio filii familias; Idque probo primò, quia quando pater, qui uſumfructum habebat in bonis filii, ſuccedit ipſi filio, una cum fratribus filii defuncti, æqualiter inter ipſos dividitur hæreditas, & extinguitur uſusfructus in portionibus filiorum, non alia ratione, niſi quia prius tantùm ad uſumfur-

ctum admittebatur pater, nunc jure Authenticorum habet virilem portionem pleno jure, ut expreſsè habetur in *Auth. de hæredib. ab inteſt. §. ſi verò.* Ergo pariter, quia in caſu poſito pater, & mater æqualiter ſuccedunt in proprietate, & pater habet virilem portionem pleno jure, non debet moleſtare portionem matris, retinendo uſumfructum in illa.

Secundò, quia jure Codicis decedente filio familias ab inteſtato, pater habebat uſumfructum omnium bonorum, & mater ſuccedebat in proprietate ſimul cum fratribus, & ſororibus defuncti, & quilibet virilem habebat portionem, *l. ſi quis, vel ſi qua. C. ad Tertull.* ſed talis lex jure noviſſimo Authenticorum reperitur mutata, & correcta, *Auth. de hæredib. ab inteſt. §. ſi verò*; ubi pater æqualiter ſuccedit cum filiis, & mater; ergo non ſolùm in portionibus filiorum non poteſt retinere uſumfructũ, ut expreſsè habetur in *cit. Text.* ſed nec etiam in portione matris, cum eadem ratio in utroque caſu militet.

Confirmatur ex doctrina *Pauli de Caſtro in Auth. excipitur nu. 4. C. de bonis, quæ liber.* ubi dicit, quod cum pater acquirit medietatem proprietatis, extinguitur uſusfructus in totum, ſcilicet in ſua medietate, quia conjungitur uſusfructus cum proprietate; itẽ in dimidia, in qua ſuccedit alius filius, quia poſtquam habuit dimidiam proprietatis, non debet eſſe oneroſus alteri filio, ut in medietate ſua velit habere uſũfructum. Ergo, quia jure noviſſimo, pater etiam ſuccedit cum matre in proprietate, in qua antiquo jure non ſuccedebat, talis portio proprietatis, debet patrem excludere ab uſufructu portionis matris.

Tertiò, quia qui in uno gravatur in alio relevari debet, *l. ſi quis. 15. ubi gloſſ. C. de omni agro deſerto. lib. 11. gloſſ. in l. eũ qui. 30. verbo Probandi. ff. de jur. juran.* Sed mater jure noviſſimo Auth. gravatur in proprietate, quia prius pater non ſuccedebat in proprietate, & mater in illa admittebatur; ergo debet relevari in uſufructu. Sicut, quia eodem jure noviſſimo Auth. pater gravatur in uſufructu quantùm ad portiones, quæ filiis competunt, relevatur in proprietate, & æqualiter pleno jure ſuccedit cũ filiis, ut patet ex *Auth. de hæred. ab inteſt. §. ſi verò.*

Quartò, quia in *Auth. defuncto. C. ad Tertull. & in Auth. de hæred. ab inteſt. §. ſi igitur.* æqualiter admittuntur pater, & mater

ter ad ſucceſſionem filii defuncti, ſivè ſit in poteſtate, ſivè non, ubi nulla mentio efficitur de proprietate, & uſufructu; ergo dicendum, quod æqualiter pleno jure debent ſuccedere, quia ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus.

Nec eſt recurrendum ad leges, C. ex quibus pater usũfructũ habebat in portione matris. Quia in *Auth. de hæred. ab inteſt.* in principio habetur, quod omnes aliç leges, quæ de ſucceſſione diſponebant, ſunt omninò ſublatç, ibi: *Itaque prioribus legibus pro hac cauſa poſitis vacantibus, de cætero ea ſola ſervari, quæ nunc conſtituimus*. Si ergo priores leges de ſucceſſione diſponentes dicuntur vacantes, jam ſunt abrogatç, & in totum deletæ, *l. derogatur*. 102. *ff. de verb. ſignif.* ergo ex illis non poteſt inferri, quod uſusfructus portionis matris remanet penes patrem: Siquidem abrogatas leges, conſtitutionesve recitari, aut oſtendi, aut citari vetuit *Juſtinian. in l. 2. C. de veter. jur. enuclean.* & qui abrogato jure in judicio utitur falſi reus eſt, *Calvin. in Lexicon Juridic. verbo Abrogatas leges.*

Nec pro iſta mea ſententia deſunt *DD.* nam *Boer. deciſ.* 185. *n. 17.* dicit, quod quando filius eſt unicus, tunc pater, & mater ei ſuccedunt pleno iure. Scio, quòd aliter circa hunc caſum diſcurrat *Theſau. dec.* 156. cujus deciſio laudatur à *Paſchal. in tract. de virib. patr. poteſtat. p. 1. cap. 3. n. 55. & à Riccio ad Franch. deciſ.* 573. Verùm mihi videtur, quod ejus diſtinctio difficultatẽ non ſolvat.

Ad primam rationem oppoſitæ ſententiç dicimus, quòd hodiè jure noviſſimo Authenticorum per mortẽ filii familias extinguitur uſusfructus competẽs patri in peculio adventitio dicti filii, quando pater ad illius ſucceſſionẽ venit, nam ex hoc, quod admittitur ad portionem proprietatis, non debet retinere integrum uſumfructum peculii, ut probatum eſt. Nec eſt verùm dictum *Bart. in l. ſi quis, vel ſi qua. §. ſin verò. C. ad Tertull.* quod per mortẽ filii non extinguitur uſusfructus competens patri, quod hodiè non eſt correctum, licèt omnia alia, quæ in dicta lege cõtinentur ſint hodiè correcta. Quia ſi eſſet verum, quod per mortẽ filii non extinguitur uſusfructus competens patri ſequeretur, quod etiam in portione, quæ competit filio, pater retineret uſumfructum, quod tamen falſum eſſe jam probavimus, ſicut etiam probatum eſt dictas leges eſſe abrogatas, ergo in

to-

totum ſunt correctæ.

Nec valet dicere, leges Codicis concedentes patri integrum uſumfructum in peculio adventitio filii familias, etiam poſt mortem filii eſſe correctas in uno caſu tantùm, videlicet reſpectu portionis, quę alteri filio debetur, ut habetur in *Auth. de hered. ab inteſt.* §. *ſi verò*, ergo talis correctio non eſt extendenda ad alium caſum, ſcilicet ad portionem matris, de qua nulla mentio facta eſt: Si enim ab utraque portione eſſet excluſus pater, abſolutè in *Textu* diſponeretur, quod pleno jure omnes æqualiter ſuccedunt, & non fuiſſet facta expreſſa mentio de portione filii tantùm; cum ergo talis expreſſio reperiatur, dicendũ, quod exceptio firmat regulam in non exceptuatis.

Non inquam valet dicere, quia per jus noviſsimum Authenticorum leges Codicis de ſucceſsione diſponentes dicuntur vacare, ut ſupra dictum eſt; ergo ſunt abrogatæ, & deſtructę, & in totum deletæ; ſi enim partialiter eſſent correctæ non dicerentur Abrogatæ, ſed Derogatæ, *l. derogatur. ff. de verb. ſignif.* Cum igitur leges Codicis non ſint limitatæ, & reſtrictæ per jus noviſsimum Authenticorum, ſed ſint vacuæ declaratæ, ex illis nihil inferri poteſt. Ratio autem quare in citato *Auth.* facta fuit expreſſa mentio de uſufructu portionis filii, & non de portione matris, ea eſt: quia de jure, ratione patriæ poteſtatis, patri eſt debitus uſusfructus in peculio adventitio filii familias, *l. cum oportet. & l. fin. C. de bonis, quæ liber. Inſtitut. per quas perſonas nobis acquir.* §. *ſancitum*, *cum ſimilibus*, & tradit *Fontanell. de pact. nup. clauſ. 4. gloſſ. 7. part. 3.* Marito verò non eſt debitus uſusfructus in bonis extradotalibus uxoris, *l. hac lege. 8. & l. fin. C. de pactis conventis*; ideò in *Auth.* fuit expreſsè diſpoſitum, quod pater quando ſimul cum filio æqualiter ſuccedit, non poteſt retinere uſũfructũ in portione filii familias, quæ expreſſio reſpectu portionis matris neceſſaria nõ erat.

Ad confirmationem dicimus, quod *Textus* loquitur, quando filius familias decedit relictis deſcendentibus, quo caſu pater ei non ſuccedit, ſed deſcendentes ſuccedunt, & ideò pater retinet uſumfructum, quem prius habebat. At quando pater admittitur ad ſucceſſionem, & portionem habet, ſicut alii ejus filii, non debet retinere uſumfructũ in portionibus filiorum, ergo nec in portione matris, propter eandem rationem.

Nec

Nec juvat dicere, quod *Tex. in Auth. de hæred. ab inteſt. §. ſi verò.* locum habet, quando peculium filii familias eſt Caſtrenſe, vel Quaſi, quia ſi tale peculiũ eſt adventitium, pater retinet uſumfructum in portionibus filiorum.

Non inquam juvat, quia *Tex.* nullã mentionem facit de peculio filii, & abſolutè loquitur; ergo abſolutè debet intelligi; ſiquidem ratio excluſionis patris à retentione uſusfructus in portionibus filiorum alia non eſt, quam admiſſio patris ad ſucceſſionem proprietatis, ut ex dicto *Text.* patet; ergo ſemper ac pater æqualiter cum aliis ſuccedit in proprietate, non debet retinere uſumfructum in portionibus aliorum, ſivè tale peculium ſit caſtrenſe, vel quaſi, ſivè ſit adventitium.

Dices: non poteſt hæres plus juris habere in bonis defuncti, quàm ille habebat, *l. hæredem. ff. de regulis juris*. Sed filius familias dum vivebat non habebat uſumfructum ſui peculii adventitii, quia totus uſusfructus erat penes patrem; ergo mater hæres non poteſt habere uſumfructũ portionis peculii adventitii filii familias ei contingentis per ſucceſſionem.

Reſpõdetur majorẽ veram eſſe regulariter loquendo, ſed nõ univerſaliter, quia in multis caſibus talis regula fallit. Primò fallit, quando unus ex litigatoribus pendente appellatione decedit, nam ejus hæres non habet reſiduum temporis ad deliberãdum, ſed habet etiam alios quatuor menſes, *l. ſi unus. 6. C. ſi pendente appellat.* ergo plus juris habet hæres, quam defunctus. Secundò fallit in caſu *l. 4. C. de domeſticis, & protector. lib. 12. ubi Andreas de Barulo*, dicit: *Item nota mirabile, quod etiam alterius anni ſtipendia dantur hæredi, & ità plus habet hæres, quàm defunctus*. Tertiò fallit, quia filius familias dum vivit non habet uſũfructum ſui peculii adventitii, cum pater illum habeat, & ipſe filius retineat nudam proprietatem, & tamen quando ei pater ſuccedit ſimul cum fratre, tàm pater, quàm frater pleno jure habent portiones dicti peculii eis contingentes, *Auth. de hæredib. ab inteſt. §. ſi verò*; ergo plus juris habet hæres in bonis defuncti, quam defunctus habebat; ergo etiam plus juris poteſt habere mater hæres in bonis filii defuncti, quam ipſe filius habebat.

Eſt igitur in hoc caſu uſusfructus, quem pater habet in peculio adventitio filii familias, ſicut uſuſ-

uſusfructus, quem maritus habet in bonis dotalibus, nam cõſtante matrimonio omnes fructus ſunt mariti, & mulier nullum jus habet in fructibus; ſoluto verò matrimonio dos pleno jure eſt reſtituenda hæredibus mulieris, *l. unica. C. de rei uxor. action.* & ſic plus juris habent hæredes in dote, quàm ipſa mulier habebat. Ità etiam vivente filio familias, pater integrum uſumfructum peculii adventitii habet, mortuo verò dicto filio, ejus hæredes pleno jure ſuccedere debent in tali peculio adventitio.

QUÆRES II.

An Pater, & Mater æqualiter ſuccedant filio in bonis ex quacumque linea provenientibus?

NEgant *Bart. in l. quod ſcitis. §. fin. ubi Paul. de Caſtr. C. de bon. quæ liber. & in Auth. itaq; §. ſin autem. C. communia de ſucceſſion.* Jaſon. *in l. poſt dotem. n. 107. & ſeqq. ff. ſolut. matrim. Matth. Matthæſyllan. in tract. de ſucceſſ. ab inteſt. in art. 2. principal. num. 4.* qui differentiam conſtituunt inter bona paterna, vel ex paterna linea provenientia, & inter bona materna, vel ex tali linea habita, & dicunt, quod in bonis quæ à patre, vel ab aliquo de ejus linea pervenerũt ad filium, tantùm pater ſuccedit excluſa matre; in bonis verò maternis, vel quæ ex ejus linea provenerunt tantùm mater ſuccedit excluſo patre, ſicut parentes ex latere paterno excludunt parentes ex latere materno, & è contra in dictis bonis.

Oppoſitam ſententiam defendit *Bald. in Auth. defuncto. C. ad Tertull.* dicit enim, quod omnes æqualiter ſunt admittendi, dummodò in gradu æquali ſint, quia in juribus citatis à *Bartolo* non fit diſtinctio lineæ, undè bona provenerunt, ſed tantùm fit diſtinctio graduum; & *Text. in l. quod ſcitis. §. fin. C. de bonis, quæ liber.* procedit in lucris nuptialibus, ut parentes ſint promptiores in dotando, non verò in aliis bonis aliter acquiſitis; nam quãdo in lucris nuptialibus, parens à quo proceſſerunt bona, ſuccedit, quiſq; ad dotandum ſit promptior, quæ ratio non militat in aliis rebus, ideò æqualiter in illis ſuccedunt pater, & mater. Alii verò dicunt, quod *Text. in d. l. quod ſcitis.* eſt correctus per *Text. in Auth. defuncto*; ut videre eſt apud *Franch. deciſ. 59. ubi Addent.* & in ſpecie *de Luca.*

Hæc quæſtio ſtantè varietate opi-

opinionum Gravis, & à multis annis controverſa dicitur à *Joachim Minſynger. in lib. ſingular. obſervat. centur. 6. obſervat.* 55. Ardua, & in qua interpretes multū variant appellatur à *Micha. Graſſ. de ſucceſſ. tit. de ſucceſſ. ab inteſt. q.* 22. *n.* 5. valdè dubia propter varietatem *DD.* dicitur à *Roberto Maranta conſil.* 92. *n.* 5. Undè *Fontanell. de pact. nuptial. clauſ.* 4. *gloſſ.* 24. *ſub nu.* 59. dicit, quod quilibet ex his harum opinionum Anteſignanus habet plures, qui eos reſpectivè ſequuntur, & ex utraque parte non deſunt multi, quorum quilibet communem, & magis communem, veram, & veriorē, æquā, & æquiorem ſuam appellat.

Hinc infert *Robert. Marant. l. c.* quod non peccaret Judex, quādo modo pro una, modo pro alia opinione judicaret, quia utraq; probabilis eſt, & de facto Senatus Sereniſſimi Subaudiæ Ducis pro opinione *Bartoli* judicavit, ut dicit *Theſaur. dec.* 27. Camera verò Imperialis pro opinione *Baldi* judicavit, ut refert *Joachim Minſynger. l. ſupra cit.* quam opinionem etiam amplectitur *Fontanell. l. c. n.* 63. *Covarr. in Epitom. de ſucceſſion. ab inteſtat. n.* 2. & ſecundùm ipſam fuit in S.C. judicatum, quando cum aſcendente cōcurreret Collateralis Defuncti; undè fuit dictum patrem ſuccedere in bonis à ſe donatis filio præmortuo, una cum fratribus defuncti, nulla habita ratione, quod dicta bona à patre provenerunt, *Franch. dec.* 59. *ubi Addentes. Cancer. variar. reſol. p.* 1. *cap.* 5. *de ſucceſſ. ab inteſtat. ſub n.* 21. licèt ipſe amplectatur opinionem *Bartoli*, quando tantùm pater, & mater concurrerent ad ſucceſſionem.

QUÆRES III.

An quando ad ſucceſſionem inteſtati concurrunt parentes ſecundi, vel tertii gradus ſit facienda diſtinctio bonorum paternorum, & maternorum?

Certum eſt, quòd quando decedenti ab inteſtato non ſuperſunt parentes primi gradus, puta Pater, & Mater, tunc parentes ſecundi gradus, ſcilicet Avus, vel Avia, vel parentes tertii gradus, puta Proavus, Proavia admittuntur. Secūdum gradus prærogativam, ſcilicet proximior in gradu admittitur, *Cancer. variar. reſolut. p.* 1. *cap.* 5. *de ſucceſſ. ab inteſt. num* 9. & 19. Undè ſi Avus, & Avia, tàm ex parte Patris, quàm ex parte Matris concurrerent, quia ſunt in

gradu æquali in duas partes dividitur hæreditas, quarum unam habent parentes ex linea paterna, ſivè ſint plures, ſivè unus; aliam verò dimidiam habent parẽtes ex linea materna, ſivè unus, ſivè plures ſint; adeoque ſi quis inteſtatus decederet ſuperſtitibus duobus Proavis ex linea Patris, & ſola Proavia materna, iſta ſola habebit dimidiam partem hæreditatis, & aliam dimidiam habebunt alii Proavi ex linea patris, *Auth. de hæredib. ab inteſt.* §.*ſi igitur defunctus.*

Ad quæſitum tamen dicimus, quod attenta ſententia *Bartoli*, & *Jaſon. in l. poſt dotem. ff. ſolut. matrim.* quam amplectitur *Matthæſyllan. in tract. de ſucceſſ. ab inteſt. in 2. art. princip. n. 7. ubi Bologninus*; in bonis neutralibus, & indifferentibus, ſcilicet acquiſitis ab extraneis, & aliundè quàm à patre, vel matre, & eorum linea, æqualiter ſuccedunt parentes ſecundi, vel tertii gradus; in bonis verò acquiſitis à patre, vel ab ejus linea, ſolùm ſuccedunt parentes ex tali linea, ſicut in bonis ei provenientibus à matre, vel à linea materna, ſolùm ſuccedunt parentes lineæ matris; & ideò, quando bona ſunt neutralia, ſi unus ex linea patris repudiat partem ſuam, pars illa accreſcit aliis de eadem linea, non verò acceſſit illi, qui eſt de alia linea, niſi omnes de una linea repudiarent, quia tunc vacaret tota illa linea, & ſola remaneret alia.

Sententia verò *Bald. in l. quod ſcitis. C. de bonis, quæ liberis. & in Auth. defuncto. C. ad Tertull.* eſt, quod bona undequaque provenientia debent æqualiter dividi inter aſcendentes, ſolùm id limitatur in lucris nuptialibus, in quibus admittuntur tantùm parentes illius lineæ, à qua bona proceſſerunt, *Baldum* ſequuntur *Fontanella de pact. nuptial. clauſ. 4. gloſſ. 24. n. 63.* & alii relati ab *Addentib. ad Franch. deciſ. 59.* ubi ità decrſum habes *Nicol. ab Ubald. in tract. de ſucceſſ. ab inteſt. p. 2. nu. 4. verſic. ſed difficultas eſt.* Ratio adducitur à *Fontanella l. c. nu. 65. & ſeqq. & deciſ. 52. nu. 13. & ſeqq.* quia quando bona paterna, & materna ad filium pervenerunt, per aditionem, quæ fit per filium commiſcentur, & fit unum patrimonium ipſius, *Inſtit. de hæred. qualit. & different.* §. 1. ibi: *Ut ſi creditoribus ſatis non fiat, potius ejus hæredis bona, quam ipſius teſtatoris à creditoribus poſſideantur, vel diſtrahantur, vel inter eos dividantur*, adeoq; non conſiderantur amplius tanquam bona aſcendentium, vel ex linea paterna, vel materna

unde

ũnde provenerunt, ſed tanquam bona ipſius adeuntis, *l. ſed ſi plures*. 10. §. *filio*. *ff. de vulgar. Surd. dec.* 144. *n.* 15. *Afflict. dec.* 127. *Joſeph. de Seſſe deciſ. Aragonen.* 52. *n.* 23. Cum igitur dicta bona ſint facta filii ex ſucceſſione paterna, & materna, vel aliorum, ſunt taliter ipſius propria, & unum, idemq; patrimonium, quod quãdo ipſe decedit non debent inſpici perſonæ mediatæ, & remotæ, nec aliqua ſeparatio bonorum admitti à proprio filii patrimonio, dicta *l. ſed ſi plures*. §. *filio*. Undè idem *Paul. de Caſtr.* qui *Bartoli* opinionem tuetur, dicit, quod non ità de facili eſt admittenda bonorum ſeparatio; niſi adſit lex aliqua, quæ talem faciat ſeparationem, ut patet ex ejus verbis in *Auth. poſt fratres autem. C. de legitim. hæredib.* Cum igitur nulla lex aſſignari ab adverſariis poſſit, quæ admittat ſeparationem bonorum, quando ad ſucceſſionem defuncti concurrunt aſcendentes, dicendum, quod æqualiter debent ad ſucceſſionem venire, nulla facta diſtinctione bonorũ; tantùm enim, quãdo fratres, vel ſorores ad invicem ſuccederent, reperitur lex faciens diſtinctionem bonorum, *l. de emancipatis*. §. *exceptis*. *C. de legitim. hæredib.* ideò non eſt facienda extenſio ad alios caſus, & ad alias perſonas, ut in ſimili diſcurrit *Bologn. ad Matthæſyll. in tract. de ſucceſſ. ab inteſt. in 3. artic. principal. n.* 19.

Quando verò ad ſucceſſionem defuncti concurrerent aſcendẽtes primi gradus, puta pater, vel mater, tunc dicti parentes primi gradus omnibus præferuntur in quibuſcunque bonis, ità quod mater excludit avum paternum, etiam quoad bona quæſita ex linea paterna, ſicut pater excludit avum maternum; etiam in bonis à linea materna acquiſitis, *Auth de hæred. ab inteſt.* §. *ſi igitur defunctus*. *Covar. de ſucceſſ. ab inteſt. nu.* 3. *verſic. quarta aſſertio*; ratio eſt, quia proximior in gradu excludit remotiorem, ut ſupra dictum eſt *Bologn. ad Matthæſyll. in tract. de ſucceſſ. ab inteſt. in* 2. *art. princip. ſub n.* 4. *Nicol. ab Ubald. in tract. de ſucceſſ. ab inteſt. in* 2. *part. n.* 4. *in fine*.

QUÆRES IV.

Quare dum deſcendentes ſuccedunt aſcendentibus, non militat regula, quod proximior in gradu excludit remotiorem, ſicut talis regula militat, quando aſcendentes ſuccedunt deſcendentibus?

Ex dictis in præſenti §. patet, quod dum ad ſucceſſionem de-

defuncti veniunt deſcendentes, non ſolùm filius defuncti venit, ſed etiam nepotes ex alio filio præmortuo intrando locum ſui patris prædefuncti admittuntur, nec in tali caſu militat regula proximior in gradu excludit remotiorem: Quando verò aſcendentes ſuccedunt deſcendentibus, non poteſt avus paternus E. G. intrare locum ſui filii præmortui, & ſic cum matre ſuccedere, *Cavalcan.p.4. dec.2.nu.16.* quia obſtat regula poſita, quæ nullatenus obſtare deberet, cum in correlativis ſtatutum in uno debeat etiam in alio locum habere, ut ſervetur æqualitas.

Hæc difficultas ponitur à *Bologn. ad Matthæſyll. in tract. de ſucceſſ. ab inteſt. in 2. art. principal. ſub n.* 4. ubi dicit, quod *Jac. Bu. in Auth. defuncto. C. ad Tertull.* propter dictam rationem tenet, quod etiam in aſcendẽtibus datur talis ſubingreſſio. Verùm cõmuniter alii cum *gloſſ. & Bald. in d. Auth. defuncto.* oppoſitum tenent, ex eo, quia hæreditas aſcendentium eſt magis debita deſcendentibus, quam è contra. Sed hæc ratio diſplicet *Bolognino:* quia licèt deſcendentibus ſit magis debita hæreditas aſcendentium, tamen plus juris habent aſcendentes in bonis deſcendentium, & in perſonis eorum; cum avus paternus habeat nepotem in poteſtate, & habeat adminiſtrationem, & uſumfructum peculii illius, & ſic habet jus de præſenti radicatum in illis bonis, qui uſusfructus non extinguitur regulariter, niſi per mortem uſufructuarii. *Undè aliã* ponit rationem dicendo, quod nepos recto ordine aſcenſivè capit locum patris, & hoc convenit propriè in gradibus, ſed pater perverſo, imò præcipiti ordine capit locum filii, quia abſonum eſt, quod aqua retrofluat, & ideò vera eſt concluſio, quod mater ſola ſuccedit filio excluſo avo paterno, qui vulterior eſt in gradu, nec poteſt intrare locum filii ſui mortui. Hæc *Bologn.* ſed *Nicol. ab Ubald. in tract. de ſucceſſ. ab inteſt. in 2. p. n. 3. in fin.* dicit, quod ſubingreſſio datur in deſcendentibus, non in aſcendentibus, quia lex ità diſponit, quæ licet dura ſit, tamen ſervanda eſt.

QUÆ-

QUÆRES V.

Quando lex, vel ſtatutum dicit, quod ad ſucceſſionem defuncti venire debet proximior ipſius defuncti ex ea parte, & linea unde bona venerunt, intelligitur ne unde bona immediatè venerunt defuncto, an verò unde bona mediatè, & remotè venerunt?

MAgna eſt hæc quæſtio, ut ex dictis in præcedentibus Quæſitis ſufficienter colligitur; nam *Bartol. in l. quod ſcitis. C. de bonis, quæ liber.* dicit, bonorum originem conſiderandam, & lineam à qua provenerunt, undè in bonis paternis proximiores ex parte patris, in bonis maternis proximiores ex parte matris ſuccedere dicit, etiam ſi mediatè, & remotè à patre, vel matre proveniant, quæ *Bartol.* authoritas cum magna ſit, à pluribus *DD.* fuit recepta, & pluriũ Senatuum deciſiones extant pro tali opinione, ut dicit *Fontanell. tom.* 1. *deciſ.* 52. *nu.* 10. & rationes pro tali opinione adducit, quæ diſtinctius ponuntur à *Napod. in Conſuet. ſi quis, vel ſi qua n.* 240.

Contra *Bartol.* tenent multi quos citat & ſequitur *Fontanell. l. c. n.* 12. *& ſeqq. & dec.* 53. undè tenet, quod ſemper cauſa immediata eſt inſpicienda, & conſequenter conſideranda eſt perſona, à qua bona immediatè pervenerunt, non verò perſona remota, & mediata, quia mutatione perſonæ mutatur rei qualitas, & quæ fuerunt paterna, nunc fraterna dicuntur, mutatione perſonæ, nam bona paterna exiſtimãtur ſolùm, quæ immediatè à patre in defunctum filium proceſſerunt, non verò, quæ à fratre in fratrem; quamvis enim dicta bona originaliter ſint paterna, nunc fraterna ſunt, & de ſubſtãtia fratris; imò dicit, quod poſtquam hæreditas paterna eſt acquiſita filio, non conſideratur amplius tanquam hæreditas paterna, ſed tanquam hæreditas adeuntis, quia per aditionem cõfuſa ſunt bona undecunque provenientia, & eſt redactum unum patrimonium, & ità quamvis filia renunciaverit bonis paternis, & maternis, poterit tamen ſuccedere fratri in bonis, quæ ei, vel ex ſucceſſione paterna, vel ex ſucceſſione materna obvenerunt, *Fontanell. dec.* 52. *n.* 17.

Hinc inferunt, quod ſi res patrimonialis, & de familia ſemel in extraneum alienata ſit, ſi poſtea in aliquem de familia revertitur, non dicitur amplius patrimonialis, nec eſt ſubjecta retra-

tractui, quia modo, immediatè ab alio capitur, quamvis originaliter à parentibus egreſſa ſit, *Fontanell.tom.1.dec.53.n.2.*

Hęc ſecunda ſententia fuit recepta in Senatu Neapolitano tẽpore *Afflicti*, ut patet ex ejus *dec.* 127. & tẽpore *Vincen.de Franch.* ut ex ejus *dec.666. & 696.* ſicut etiã aliis tẽporibus, prout refert *Rovit. conſil.100.* Fuit etiam recepta in Curia Archiepiſcopali Neap. ut refert *Riccius part.1. dec. 216.* & ſecundùm ipſam in multis aliis Tribunalibus fuit deciſum, ut refert *Fontanell. d. deciſ 53. n.4. & ſeqq.* ubi etiam DD. pro hac opinione refert. Undè opinio *Bartoli* remanet omni auxilio, & fundamento deſtituta, *Fontanell l.c.n.8.*

Dicimus tamen, quod nos non debemus inſpicere principium primæ acquiſitionis, ſed debemus inſpicere principium acquiſitionis reſpectu defuncti, ſcilic.t à quo bona immediatè defuncto obvenerunt, nam ex hoc regulatur an bona ſint paterna, an materna, *Napod. in Conſuet. ſi quis, vel ſi qua. n.141. & ſeqq.ubi Addent.* & ſic ſi mater ſuccedit filio, deindè moritur mater remanente alio filio, qui ad ſucceſſionem venit, poſt mortem iſtius filii, ad portionem illam, quæ ei à matre fuit obventa, veniunt proximiores ex parte matris, non patris, licèt bona alias fuiſſent paterna, ſcilicet perventa ad filium, qui primò deceſſit ex ſucceſſione patris. Ità *Piſanell.in d.Conſuetud.ſi quis, vel ſi qua, verbo Nota quod ſi mater.* Videas *Carol. de Roſa in d. Conſuetud.n.351.& ſeqq.* & in ſpecie *nu. 381.* Ità regulatur ſucceſſio, quando per legem, vel ſtatutum vocantur proximiores ex parte, & linea unde bona venerunt. Quando verò abſolutè quis excluditur à bonis paternis, vel renunciat bonis paternis, vel maternis, tunc licet non poſſit illis ſuccedere, & eorum bona capere, tamen quia non vocantur proximiores illius lineæ unde proceſſerunt bona, ideò ſi bona ad alium pervenerunt, poſt mortem iſtius, poteſt exclusus à bonis paternis, & maternis, vel renuncians venire, quia non cõſiderantur amplius, ut bona patris, vel matris, licèt ab ipſis immediatè pervenerunt defuncto, ſed conſiderantur, ut bona ipſius defuncti, ut patet ex dictis hic, & in ſecundo, ac tertio quæſito.

Hæc ſufficiant pro præſenti quæſito; nam de tali ſucceſsione cum diſtinctione bonorum optimè pertractant noſtri Regnicolæ explanando *Conſuetudinẽ ſi quis, vel ſi qua,* & in ſpecie *Napod.Ca-*

rolus de Roſa, & *Provenzalis*, per plures obſervationes, ad quos Lectorem remitto; videri etiam poteſt *Fontanell. tom. 1. deciſ. 52. & 53. & de pactis nuptial. tom. 1. clauſ. 4. gloſſ. 24. num. 57. & ſeqq. & tom. 2. clauſ. 7. gloſſ. 1. part. 3. n. 52. & ſeqq.*

QUÆRES VI.

Quomodò regulabatur ſucceſſio de jure Codicis, quando ſimul cum Aſcendentibus cōcurrebant Collaterales, & quomodò regulatur hodiè jure noviſſimo Authenticorum?

JUre Codicis, quando decedēti ab inteſtato ſine liberis ſuperſtes erant, non ſolùm Pater, ſed etiam Collaterales, puta fratres, & ſorores, tunc pater excludebatur, tàm à lucris nuptialibus, quàm à bonis maternis, & tantùm uſusfructus bonorum erat ei debitus, proprietas verò bonorum dabatur fratribus ex eodem matrimonio progenitis, quibus deficientibus admittebantur ad dictam proprietatem fratres, ex alio matrimonio progeniti, & iſtis etiam deficientibus pleno jure admittebatur pater, *l. ſancimus. C. commun. de ſucceſſ. l. quæcunq; C. de bonis, quæ liber. Auth. de conſanguin. & uterin. fratrib. § plura namque.*

Si verò defuncto ſuperſtes erant mater, & fratres, tunc in virilem omnes ſuccedebant: Si ſuperſtes erant mater, & ſorores, tunc mater habebat medietatem bonorum, & alia medietas dividebatur inter ſorores: Si erant ſuperſtites mater, fratres, & ſorores, tunc omnes pro virili ſuccedebant, & hæreditas in capita dividebatur, *l. ſi quis, vel ſi qua. 7. C. ad Tertull.*

Quando verò non ſolùm ſuperſtites erant mater, fratres, & ſorores, ſed etiam pater, tunc ſi defunctus ſui juris erat pater, & mater habebant uſumfructum in bonis defuncti pro octo unciis: fratres verò, & ſorores habebant proprietatem, & tertiam partem uſusfructus. Si verò defunctus erat in poteſtate patris, tunc pater habebat uſumfructū omnium bonorum, & mater ſuccedebat in proprietate cum fratribus, & ſororibus defuncti in virilem portionem, *d. l. ſi quis, vel ſi qua.*

Hodiè verò jure noviſſimo *Auth.* iſta ſunt correcta per *Text. in Auth. defuncto. C ad Tertull. & in Auth. de hæred. ab inteſt. §. ſi igitur. cum ſeqq.* Undè hodiè ſimul cum aſcendentibus admittuntur defuncti fratres, & ſorores, ſi utroque parente ſint conjuncti,

& hæreditas æqualiter inter illos dividitur, itaùt ſinguli ęqualem habent portionem, *d. Autb. defunƐto, & d. Autb. de hæred. ab inteſt. venient.*

Hoc jure noviſsimo, non poteſt amplius pater moleſtare portionem illam, quæ filiis datur, petendo ſcilicet uſumfructum in illa: quia ideò contra diſpoſitionem juris antiqui, fuit pater admiſſus ad ſucceſſionem una cum filiis, ne uſumfructum peteret in portionibus filiorùm, ut expreſsè patet ex *Autb. de hæred. ab inteſt. venient. §. ſi verò.*

QUÆRES VII.

An fratres uno tantùm latere conjunƐti poſſint cum aliquo ex aſcendentibus admitti ad ſucceſſionem?

Videtur, quòd jure noviſſimo *Autb.* fratres, & ſorores uno tantùm latere cõjuncti nullo modo ſuccedere valent ab inteſtato cum patre, vel matre, aut cum aliquo de aſcendentibus per lineam paternam, vel maternam, *Boer. dec. 185. n. 2. ex Autb. de hæred. ab inteſt. venient. §. ſi igitur defunƐtus*; adeoque ſi quis inteſtatus decederet relicto patre, & fratre ex latere patris tantùm, vel matre, & fratre ex latere matris tantùm, pater tantùm, vel mater tantùm videtur admittendus, admittendave, excluſo conjuncto ex uno latere, ità *Nicol. ab Ubald. in traƐt. de ſucceſſ. ab inteſt. in 2. p. n. 7.*

Oppoſitum tamen maximam habet probabilitatem, quia quãdo frater attinet patri, poteſt cum patre concurrere, idem dicimus, quando matri attinet; Siquidem illo jure conjunctionis, quo pater, vel mater vult admitti ad ſucceſſionem ſui filii, illomet jure filius conjunctus patri tantùm, vel matri tantùm vult etiam admitti. Undè *Text. in Autb. de hæredib. ab inteſt.* reſtringitur ad illum fratrem, qui non attinet patri, vel matri cum quo, quave vult concurrere, *Boer. deciſ. 185. n. 4. Paul. de Caſt. in Autb. defunƐto n. 2. C. ad Tertull. Thor. p. 2. voto 89. n. 3. & 4.*

QUÆRES VIII.

An nepotes ex fratribus utrinquè conjunƐtis poſſint cum aſcendentibus ad ſucceſſionem venire?

Quamvis in *Autb. de hæred. ab inteſt. venient. §. ſi igitur defunƐtus.* in fine, dicatur, quod ad hæreditatem defuncti tantùm fratres, & ſorores utrin-

utrinque conjuncti poſſunt cum aſcendentibus venire, ſecus verò nepotes ex fratribus, vel ſororibus etiam utrinque conjunctis, quia ut habetur in *d. Auth.* §. *ſi autem cum fratribus*, & dicit *Julianus Patritius Novella* 109. privilegium ſuccedendi in proprium parentum locũ, fuit conceſſum filiis fratrum, & ſororum, quando concurrunt cum fratribus, vel ſororibus defuncti tantùm, ſecus verò, quando cum iſtis concurrerent etiam aſcendentes. Tamen id fuit correctum per *Text. in Auth. ut fratrum filii ſuccedant*; ex quo *Text.* expreſsè habetur, quod filii fratrum poſſunt ſuccedere cum fratribus, & aſcendentibus defuncti.

QUÆRES IX.

An frater utrinque conjunctus excludat Avum, vel Aviam, an verò ſimul cum illis concurrat, ſicut ſimul cum Patre, & Matre concurrit?

QUod frater excludat Avũ, & Aviam, tenet Jacob. *de Bel.* in, & ex *Auth. de hæred. ab inteſt.* §. *ſi verò*, per illa verba: *Si verò cum aſcendentibus inveniantur fratres, aut ſorores ex utriuſque parentibus conjuncti defuncto, cum proximis gradu aſcendentibus vocabuntur*, & per *Text. in Auth. defuncto. C. ad Tertull.* ibi: *Sed ſi cum parentibus fratres, & ſorores utrinque defuncto conjuncti ſuperſint, vocantur cum aſcendentibus gradu proximis.*

Nos tamen dicimus, quod nõ ſolùm fratres utrinque conjuncti admittuntur ad ſucceſſionem fratris, una cum Patre, & Matre, ſed etiam admittuntur cum Avo, & Avia paternis, vel maternis, & cum Proavo, vel Proavia, ſicut dicti fratres ſuccederent una cum Patre, & Matre, ſi ſupereſſent. Patet hoc ex *Auth. de hæred. ab inteſt.* §. *ſi igitur*, ibi: *Pater autem, aut Mater, aut alii parentes ei ſuperſint, omnes ex latere cognatis hos præponi ſancimus, exceptis ſolis fratribus ex utroque parente conjunctis defuncto.* Ubi non ſolùm Pater, & Mater admittuntur cum fratribus utrinque conjunctis, ſed etiam alii parentes, *Cancer. tom. 1. variar. reſol. cap. 5. de ſucceſſ. ab inteſt. n. 24.*

Hinc ſi quis mortuus eſt ſuperſtitibus Avo, & Avia paternis, & ſola Avia materna, & uno fratre utrinque conjuncto, vel unico ejus filio, aut plures ejus perſonam repræſentante, vel repræſentantes, hæreditas in quatuor partes dividitur, ſicut quatuor ſunt perſonæ, & ſic diviſio fit in capita, licèt deſcendentes,

ex fratre veniant in ſtirpē: ſi verò frater, vel ejus filii non ſupereſſent, vel ſucceſſionē repudiarent, tunc tantum haberet ſola Avia materna, quantum reliqui duo Avus, & Avia paterni, quia hæreditas in duas partes dividitur, & una medietas datur parētibus ex linea Patris, alia parentibus ex linea Matris, *Auth. defuncto.C.ad Tertull.Cancer.l.c.*

Caſus autem, in quibus aſcendentes excluduntur à ſucceſſione filiorum, numerantur à *Nicolao ab Ubald. in tract.de ſucceſſ.ab inteſt. in 2.p. n.8.& ſeqq. & à Bologn. ad Mattbaſyll.in eodē tract. in 2.art.principal.num.2. & ſeqq.* Primus eſt, ubicunque parentes tranſeunt ad ſecunda vota. Secundus eſt, quādo parentes peccarent in corpus ſuum. Tertius, quando mater non petiit tutorem filio pupillo infra annum, vel quando non petiit curatorē dari ventri, vel furioſo, &c.

Advertas, quod quando pater, vel mater, aut quilibet aſcēdens tranſit ad ſecunda vota, amittit proprietatem ejus portionis, in qua ſuccesſit filio inteſtato, una cum aliis filiis ſuis, & tantùm in ea habet uſumfructum, proprietas verò eſt filiorum, *l.fœmina.§. illud. & Auth. ex teſtamento. ubi Bald. C. de ſecund. nupt.* Sed hoc intelligitur in illis bonis, quæ filio inteſtato pervenerūt ex parente præmortuo, quia quo ad alia bona, quæ inteſtatus aliundè habuit, quam à parente præmortuo, privatur proprietate, quando parens primo nubit, deindè ſuccedit, dicta *l.fœminæ.§. illud*; ſecus verò, ſi primo ſuccedit, & poſtea nubit, tunc enim non privatur proprietate, quoad dicta bona, *l.mater. C. ad Tertull. ubi Paul. de Caſtr. Afflict.dec.75. Cancer. lib.1. var. reſol.c.5. de ſucceſſ. ab inteſt.n.25. & ſeqq.* Si verò de conſenſu filiorū, parentes ad ſecunda vota venerunt, nō privantur proprietate bonorum filii, *Cancer.l.c.n.29.*

QUÆRES X.

Quomodò Pater Naturalis, Legitimus, Adulterinus, &c. ſuccedat ſuis deſcendentibus?

Breviter dicimus, quod ſicut in precedenti Diſputatione dictum eſt de ſucceſsione filiorū reſpectu iſtorū aſcendentium, ità hic dicas de ſucceſsione dictorū aſcendentium, nam inter iſtos debet ſervari æqualitas: undè circa hoc non eſt immorandum. Videas tamen *Oliver. Textor.* qui ſpecificè de iſtis ſucceſsionibus in particulari loquitur in *tract. de ſucceſſ. ab inteſt. à n.69. uſque ad 87.*

D I-

DISPUTATIO III.

De ſucceſſione Collateralium.

Tertius ordo ſucceſsionis ab inteſtato eſt Collateraliũ, nam deficientibus deſcendentibus, & aſcendentibus, ad ſucceſsionẽ inteſtati veniunt Collaterales ſervata prærogativa gradus, quamvis aliqui Collaterales etiam cum aſcendentibus concurrant, ut in præcedenti Diſputatione dictum eſt. Cum igitur lineæ Collaterales originentur à fratribus, vel ſororibus; ideò ad hæreditatem inteſtati deficientibus deſcendentibus, & aſcendentibus, fratres, & ſorores admittuntur, qui ſecundo gradu diſtant à defuncto, numeratione facta de jure civili, quo jure primus gradus in linea Collaterali non datur. Pro majori tamen claritate:

QUÆRES I.

An omnes fratres, & ſorores defuncti admittantur ad illius ſucceſſionem, & cum quibus concurrere valent ad inteſtati ſucceſſionem?

Omnes fratres, & ſorores utroque latere juncti defuncto admittuntur ad illius ſucceſſionem, qui non ſolùm admittuntur cum aſcẽdentibus, prout ſupra dictum eſt, ſed etiam cum nepotibus ex alio fratre, vel ſorore præmortuis; nam licet fratres defuncti ſecundo gradu diſtent à defuncto, & nepotes diſtent tertio gradu, tamen, quia nepotes ſuccedunt in proprium parentum locum, etiam ſecundum gradum repræſentant, ex privilegio in corpore juris clauſo, *Auth. de hæred. ab inteſt. venient. §. ſin autem defunctus*, ibi: *Hujuſmodi privilegium;* adeoque dicti nepotes illam portionem accipiunt, quam habuiſſet eorũ pater, vel mater ſi viveret, *Auth. de hæred. ab inteſt. §. reliquum. verſic. ſi autem.* Undè fratres, & ſorores uno latere conjuncti defuncto, non admittuntur ad ſucceſſionem cum fratribus, & ſororibus utrinq; conjunctis defuncto, ut patet ex *Auth. de hæred. ab inteſt. venient. §. ſi igitur defunctus, neque deſcendentes. Auth. de conſanguineis, & uterin. fratrib. & Auth. itaque. C. communia de ſucceſſionib.*

Ratio hujus eſt, quia potiores

ſunt, qui duplici vinculo utuntur, quam qui uno tantùm; Quæ ratio procedit, non ſolùm in bonis quæſitis per ipſum fratrem defunctum, ſed etiam in aliis bonis provenientibus à patre, vel à matre, & ſic tàm frater cōſanguineus, quàm uterinus excluditur ab omnibus bonis per fratrem utrinque conjunctum defuncto, *Nicol. ab Ubald. in tractat. de ſucceſſ. ab inteſt. in 3. p. n. 3.* Sed hoc limitatur in feudali ſucceſsione, nam ſi ad ſucceſsionem feudi, qui à patre provenit, concurreret frater conſanguineus tantùm natu major, & frater utrinq; conjunctus natu minor, frater ille conſanguineus præfertur ratione majoris ætatis; præferretur tamen utrinq; conjunctus, ſi ipſe eſſet majoris ætatis, *Rovit. in prag.* 11. *num.* 13. *& ſeqq. de feud. Biloct. concluſ.* 23. *num.* 18. *&* 19. vide *Afflict. in Conſt. ut de ſucceſſionib. in princip. ubi gloſſ. Biloctam loc. cit. num.* 25. ubi dicit, quod frater uno latere conjunctus jure communi feudorum, non ſuccedit fratri, niſi ſit conjunctus ex latere unde feudum pervenit. Jure verò noſtri Regni, frater uno latere conjunctus, ſivè uterinus, ſivè conſanguineus ſuccedit fratri, & ità dicit, quod uterinus ſuccedit uterino in feudo paterno, & conſanguineus conſanguineo in feudo materno; ſimiliter quando decedit feudatarius habens feudum ex linea materna, relicta ſorore utrinq; conjuncta, & fratre conſanguineo tantùm, dictus frater præfertur. *Uideas Biloct. loc. cit.*

Quamvis autem durum videtur, quod frater conſanguineus tantùm excludatur per fratrem utrinq; conjunctum ab illis bonis, quæ fratri defuncto à patre obvenerunt, cum ipſe etiam ſit conjunctus defuncto ex illo latere, à quo bona provenerunt; nec aliquid ad rem videatur facere, quod in fratre utrinq; conjuncto concurrat, nedum vinculum agnationis, ſed etiam cognationis: quia hodiè ſublata eſt differentia agnationis, & cognationis in ordine ad ſucceſſionē, & æqualiter admittuntur agnati, & cognati, ut erat jure antiquo diſpoſitum, *l.* 1. *ubi gloſſ. C. de legit. hæred.* undè *Bartol. in Auth. de hæreditat. quæ ab inteſt. deferunt. §. ſi verò neq; n.* 2. dicit, quod ſi aliquis deceſsiſſet duobus fratribus ſuperſtitibus, quorū unus erat utroque parente, aliter ex altero parente tantùm, iſti ęqualiter ſuccedunt. Tamen, quia jure novo in *Auth. de conſanguin. & uterin. fratrib. & in Auth. poſt fratres. la* 1. *C. de legit. hæredib.*

ex-

expreſsè determinatur, quod utrinq; conjunctus excludat cōjunctum uno latere; ideò à tali determinatione non eſt recedēdum. Dum verò dicitur, quod hodiè ſublata eſt differentia agnationis, & cognationis in ordine ad ſucceſſionem; dicimus id verum eſſe, quando ultra fratres, & filios fratrum veniunt ad ſucceſſionem, ſecus quando fratres, vel filii fratrū venirent, ut expreſsè habetur in *d. Auth. poſt fratres*. In noſtra tamen Civitate Neapol. virtute Conſuetudinis, frater utrinque conjunctus non excludit uterinum, ſicut nec excludit conſanguineū tantùm, ſed ad bona materna, vel de illius linea, venit uterinus cum fratre utrinque conjuncto, ad bona paterna, venit conſanguineus ſimul etiam cum utrinque conjuncto, qui etiam veniūt ad alia bona aliundè acquiſita per defunctum, excluſo fratre uterino, *Rovit. in prag.* 11. *n.* 19. *de feud. Napod. in Conſuet. ſi quis, vel ſi qua. n.* 242. *ubi Anton. Capicius*.

Non ſolùm fratres, & ſorores uno latere conjuncti præferuntur à fratribus, & ſororibus utroque latere junctis defuncto, ſed etiam præferuntur à filiis fratrū, & ſororum, qui utroque latere erant juncti, neç eſt facienda differentia, utrum de hæreditate maſculi, an fœminę agatur, *Auth. de hæred. ab inteſt. venient. §. ſi autē defuncto fratres fuerint. Auth. ceſſante. C. de legit. hæred. Nicol. ab Ubald. l. c. n.* 4. *&* 5.

Advertas, quod quando pars hæreditatis paternæ repudiatur ab uno ex filiis, ad illam æqualiter admittuntur reliqui filii, tàm utrinque conjuncti, quàm conſanguinei, *Bartol. in l. Lucius. n.* 21. *ff. de vulgar. & pupill. & in l. re conjuncti. num.* 62. *ff. de legat.* 3. *Rovit. in prag.* 11. *nu.* 17. *de feud. Cancer. lib.* 1. *var. cap.* 5. *num.* 36. Ratio eſt, quia agitur de hæreditate patris, non fratris, & ideò tàm diſpoſitio *Auth. ceſſante. C. de legit. hæredib.* quàm diſpoſitio legum concordantium ceſſat in tali caſu, ut tenent multi, quos citat, & ſequitur *Covar. de ſucceſſ. ab inteſt. n.* 10. Falſum tamen mihi videtur, quod à citato Authore aſſeritur, videlicet, quod reliqui filii, tàm utrinque conjuncti, quàm vel conſanguinei, vel uterini admittuntur; nam ipſe loquitur de hæreditate patris, ad quam uterini venire non poſſunt: ſi tamen fuiſſet loquutus de hæreditate parentis, & non de hæreditate patris, tunc eſſet verum ejus dictum, cum illa particula, *vel conſanguineis, vel uterinis*, quia appellatione pa-

parentis venit pater, & mater.

Advertas ulterius, quod ſi defunctus, neque deſcendentes, neque aſcendentes, neque fratres, vel ſorores utrinque conjunctos reliquerit, ſed tantùm fratres, & ſorores uno latere cōjunctos, ſivè ſint conſanguinei tantùm, ſivè uterini, omnes veniunt ad ſucceſsionem defuncti, ſed conſanguinei admittuntur ad bona, quæ defunctus habuit à patre, vel ab ejus linea, uterini verò ad bona, quæ defunctus habuit à matre, vel ab ejus linea, in aliis verò bonis aliũdè quęſitis ęqualiter admittuntur, *l. de emancipatis. C. de legit. hæred. ubi Bartol. gloſſ. in Auth. de conſangu. & uterin. fratrib. §. quia igitur. verbo meliores. Paul. de Caſtr. in Auth. poſt fratres. C. cit. tit. & tom. 3. conſ. 38. Boer. dec.* 185. *n.* 3. *Frãcb. dec.* 25. *Cancer. lib.* 1. *var. cap.* 5. *n.* 22. Undè fit, quod licet Privignus non poſsit ſuccedere Novercæ per ſe, poteſt tamen per mediam perſonam filii, qui privigni ſit frater, *l. amitæ. ubi Bartol. C. commun. de ſucceſſ.*

Hæc communis opinio, ut dicit *Covar. de ſucceſſ. ab inteſt. n.* 8. *& 9.* eſt intelligenda in fratribus, eorumque filiis, non verò in fratrum nepotibus, quia iſti æqualiter admittuntur. Similiter talis diſtinctio bonorum locum non habet, quando ad ſucceſsionē inteſtati nepotis venirent patrui, quia iſti æquis portionibus admittuntur ad bona, quæ defunctus habuit, & reliquit, ſivè dicti patrui ſint fratres uterini, ſivè conſanguinei patris ipſius nepotis, de cujus ſucceſſione nunc agitur: quia talis cōnexio perſonarum an ſit, vel non ſit de linea unde bona provenerunt, currit quando tractatur de ſucceſsione fratris, *Auth. de conſang. & uterin. fratrib.* non autē quando tractatur de ſucceſsione nepotis in linea collaterali, *Bartol. in l. poſt conſanguineos. §. legitima. ff. de ſuis, & legit. hæred.*

QUÆRES II.

An Nepotes concurrentes ad ſucceſſionem Patrui veniant in Capita, an in Stirpem?

Dico primò, quod quando nepotes cōcurrunt ad ſucceſsionem patrui defuncti, cum alio eorum patruo ſuperſtite, tunc in ſtirpem venire debent, repræſentando, ſcilicet perſonā, ſeù gradũ patris, vel matris, & illam portionē accipiunt, quam habuiſſet eorum pater, vel mater ſi viveret. Ratio eſt, quia cum dicti nepotes ſuperentur à patruo

truo

truo in gradu, nam patruus ſecundo gradu diſtat à defuncto, & nepotes diſtant tertio gradu, non poſſent nepotes ad ſucceſſionem patrui venire; verùm per privilegium juris veniunt repræſentando perſonam, & gradum patris, vel matris, & ideò in quãtùm dictum gradum repræſentant, admittuntur, & illam portionem habent, quam haberet perſona repræſentata ſi viveret, *Auth. de hæred. ab inteſt.* §. *reliquum.*

Dico ſecundò, quod quando nepotes ex diverſis fratribus cõcurrunt ad ſucceſſionem patrui defuncti, non cum alio eorum patruo, ſed tantùm dicti nepotes ex diverſis fratribus veniũt, tunc in capita ſuccedunt, quicquid aliqui in contrarium aſſerant *Text.* expreſſus eſt in *l.* 2. §. *hæreditas ff. de ſuis, & legit. hæred.* ibi: *Hæreditas proximo agnato, ideſt ei, quem nemo antecedit, defertur; & ſi plures ſint ejuſdem gradus, omnibus competit, ſcilicet, ut ſi duos fratres habui, vel duos patruos, unus ex his unum filium, alius duos reliquit, hæreditas mea in tres partes dividatur.* En quomodò rotundis verbis *Text.* noſtram probat ſententiam, quæ etiam fuit mediante ſua lege cõfirmata à Carolo V. Romanorum Imperatore, & primo Hiſpaniarũ Rege in Comitiis totius Imperii Germaniæ habitis anno 1529. & ſecundùm iſtam ſententiam in multis Tribunalibus fuit deciſum, ut refert *Laganar. ad Rovit. in prag.* 11. *de feudis nu.* 3. ubi etiam dicit, quod ipſe ità obtinuit in S.C. junctis Conſiliariis duarum Aularum. Undè miror de illis, qui aſſerunt contrariam ſententiam communem eſſe. Videas *Cavalcan. part.* 4. *dec.* 24. *&* 25. ubi hanc controverſiam examinat *Cancer. lib.* 1. *variar. cap.* 5. *num.* 15. *& ſeqq.* ubi mutavit ſententiam, & pro noſtra determinatione eſt.

Advertas tamen, quod quando nepotes, & nepotes concurrunt ad ſucceſſionem aſcendentis, ſcilicet Avi, tunc non veniũt in capita, ſed in ſtirpem, ut eſt *Text.* expreſſus in *l. nepotes.* 2. *& in Auth. in ſucceſſione. C. de ſuis, & legit. liber.* quamvis aliqui contrarium defendere audeant *Cancer. lib.* 1. *variar. cap.* 5. *n.* 14.

Advertas inſuper, quod quando nepotes ex fratre concurrerent ad ſucceſſionem patrui, non cum alio eorum patruo, qui eſſet frater defuncti, ſed concurrerẽt cum alio patruo defuncti, qui eſſet eis patruus magnus, tunc licet omnes diſtẽt à defuncto tertio gradu, de jure civili, tamen nepotes admittũtur, excluſo pa-

truo defuncti, quia nepotes ſunt pares fratribus defuncti; ergo ſicut fratres defuncti excludunt patruum, ità etiã nepotes, *Auth. poſt fratres autem*, ibi: *Hi autem fratrum filii, cum pares ſint defuncti fratribus, præferuntur proculdubio ejuſdem defuncti patrui. C. de legit. hæredib. Nicol. ab Ubald. in tract. de ſucceſſ. ab inteſt. in 3. p. n. 6. Cinus Piſtoriens. in tract. de ſucceſs. ab inteſt. in 3. p. n.* 10. *&* 11. *Cancer. l. c. n. 41.* ubi dicit, quod in ſucceſsione collaterali, quando adeſt paritas gradus, favorabilior eſt cauſa eorum, qui deſcendunt, quam qui aſcendunt.

Aliter eſt diſcurrendum, quãdo quis decedit ab inteſtato relicto patruo, & relicto fratre patruele, nam ad ſucceſſionem inteſtati venit patruus, qui tertio gradu diſtat, excluſo fratre patruele, qui quarto gradu diſtat à defuncto, *l. avunculo. 6. C. commun. de ſucceſſion.* Nec poteſt dictus frater patruelis venire repræſentando perſonam patris: quia hoc privilegium conceditur filiis fratrum, vel quando concurrunt cum Theois, ſcilicet cum fratribus defuncti, vel quãdo concurreret patruus defuncti, qui eſſet eorum patruus magnus, ut dictum eſt in præcedenti caſu. In præſenti autem non concurreret iſte frater patruelis cum fratre defuncti, ſed concurreret cum patruo, tàm ſuo, quàm defuncti, ideò non militat diſpoſitio *Text. in Auth. poſt fratres autem. C. de legit. hæred. Anton. de Roſell. in tract. de ſucceſs. ab inteſt. n. 117. & 157. Jo: And. in Addit. ad Speculat. in tit. de ſucceſs. ab inteſt. §. 1. verſic. ſed fuit alia quæſtio;* ubi dicit, quod ſi concurrit patruus ad ſucceſſionem nepotis, qui ſit conſanguineus tantùm, & cõcurrat frater patruelis ex fratre utrinque conjuncto, ipſe patruelis excluditur à patruo, cum patruus ſit in tertio gradu, quãvis ex uno tantùm latere conjunctus.

QUÆRES III.

An filii repudiantis portionem hæreditatis poſſint ad illam venire?

SEnſus hujus Quæſiti eſt: Fuit hæreditas fraterna ab inteſtato delata fratri utrinque conjuncto ſuperſtiti, & filiis alterius fratris præmortui, etiam utrinq; conjuncti, frater ſuperſtes repudiat portionem ſuam, an ad dictam portionem repudiatã poſſint venire filii repudiantis ex propria perſona, & ità ſimul cum filiis alterius fratris præmortui concurrere.

Ad

Ad hanc difficultatem aliqui dicunt, quod filii repudiantis ad illam portionem venire non poſſunt, ſed talis portio eſt debita filiis fratris defuncti, quia proximiores reputantur, nam jure ſui patris defuncti ſuccedunt, & obtinent æqualem gradum cum eorum patruo repudiante; filii verò repudiantis non obtinent locum patris, qui repudiavit, ideò tanquam in remotiori gradu exiſtentes non poſſunt cum proximioribus concurrere. Oppoſitum tamen tenet *Covar. in Epito. de ſucceſſ. ab inteſt. num.* 10. *verſic. decima concluſio*: quia tunc filii fratris admittuntur loco parentis ad ſucceſſionem inteſtati patrui, quando ſimul cum ipſis alius patruus ſuperſtes concurreret; at quando patruus non eſt ſuperſtes, vel repudiat hæreditatem, tunc filii fratrum veniunt jure proprio, & ideò cum ipſis concurrere poſſunt filii repudiãtis, cum ſint in gradu æquali.

QUÆRES IV.

An ſicut fratres utrinq; conjuncti excludunt fratres uno latere junctos à ſucceſſione defuncti fratris, ità Patruus duplici latere junctus excludat à ſucceſſione defuncti nepotis alium Patruum uno latere conjunctũ?

HÆc quæſtio, ut dicit *Ant. de Roſell. in tract. de ſucceſſ. ab inteſt. n.* 154. à nemine eſt tacta, præterquam à *Bartol. in l. poſt conſanguineos. §. legitima hæreditas. ff. de legit. hæredib.* Et licèt videatur dicendum, quod tantùm patruus utrinque conjunctus ſit admittendus, excluſo altero uno tantùm latere conjuncto, ſicut nepos ſuccedens patruo ratione duplicitatis vinculi præfertur, nedum alteri nepoti uno tantùm vinculo aſtricto, ſed etiam patruo, ſeù fratri defuncti, qui uno tantùm latere cum defuncto conjungebatur; in ſucceſſionibus autem jus debet eſſe reciprocum, ut quemadmodum tu ſuccedis mihi, ità & ego ſuccedam tibi: Tamen oppoſitum ex ſententia *Bartol.* tenet *Anton. de Roſell. l. c. ſub n.* 157. ex eo, quia in ſucceſſione ab inteſtato regulariter conſideratur proximitas gradus, & non duplex conjunctio, quæ tantùm in conſideratione eſt, quando tractatur de ſucceſſione fratrum ad invicem, vel quando nepotes ex fratre utrinque conjuncto venirent ad ſucceſſionem patrui, & concurreret alius patruus, qui eſſet frater defuncti, uno tantùm latere conjunctus cum ipſo defuncto, ut patet ex *Auth. de hæred. ab inteſt. venient. §. ſi igitur defunctus. cum ſeqq. Auth. de conſanguin. & uterin. fratrib. Auth. itaq; C. com-*

mun. de ſucceſſ. Auth. ceſſante. & Auth. poſt fratres. C. de legit. hæredib. Covarr. in Epit. de ſucceſſ. ab inteſt. n. 9.

QUÆRES V.

Quando quis ab inteſtato decedit non relictis liberis, nec parentibus, nec fratribus, nec eorum filiis, qui nam admittitur ad illius ſucceſſionem?

DEficientibus omnibus enumeratis, ad ſucceſſionem defuncti vocantur omnes alii collaterales, ſivè ſint Agnati, ſivè Cognati, qui tamen admittuntur ad ſucceſſionem ſervata tantùm gradus prærogativa, ſcilicet proximior admittitur excluſo remotiore, *Auth. de hæred. ab inteſt. venient. §. ſi verò, neque fratres, neque filios fratrum*. Et hoc modo Agnati, & Cognati, uſque ad decimum gradum incluſivè (numeratione facta ſecundùm jus civile) admittuntur ad ſucceſſionem inteſtati, *Inſtit. de ſucceſſ. cognat. §. ultim. Covar. in Epit. de ſucceſſ. ab inteſt. nu. 11.* Deficientibus autem agnatis, & cognatis, uſque ad decimum gradum, admittitur ad ſucceſſionem vir, vel uxor per bonorũ poſſeſſionem, ad hoc, ut excludatur Fiſcus, *l. 1. C. undè vir, & uxor.* qui tamen non ſuccedunt ad invicem tanquam affines, non ſolùm, quia invicem affines non ſunt, ſed etiam, quia affinitatis jure nulla datur ſucceſſio, *l. affinitatis jure. 7. C. commun. de ſucceſſ.* Et tandem deficientibus omnibus iſtis admittitur Fiſcus ad ſucceſſionem inteſtati, tanquam ad bona vacantia, *l. 1. & l. vacantia. 4. C. de bonis vacantibus lib. 10.* Presbytero verò decedente ſine legitimis hæredibus non ſuccedit Fiſcus, ſed Eccleſia, *l. ſi quis. 20. C. de Epiſc. & Cleric. ubi Paul. de Caſt. cap. 1. de ſucceſſ. ab inteſt. Can. quicunq; 12. q. 3. & 5. Peregr. de jure fiſci lib. 4. tit. 3. n. 10.*

§. III.

§. III.

De ſucceſſione in Emphyteuſi.

TErtiò, de jure civili ſcientia cognationum, & graduum deſervit pro regulanda ſucceſſione in re Emphyteutica accepta pro ſe, & aliis de domo ſua, quia illi de domo veniunt ordine ſucceſſivo ſecundùm ordinem graduum, ut ex *Bald.* dicit *Peregr. de fideicom. art. 19. n.12.* Similiter deſervit pro conceſſione emphyteutica, quia poteſt res concedi uſque ad certã generationem, *Bartol. conſil.77. Clar. §.emphyteoſis. qu.28. verſic. ſecundo modo, & q.34.* adeoque debent numerari gradus dictæ generationis. Deſervit etiam, quia Clerici licèt poſſint aliquo caſu concedere feuda Eccleſiæ, non tamen poſſunt illa concedere agnatis, & cognatis, *Bartol. in §.ſi verò aliquis.n.3. Auth.de alienat.& emphyteoſi. Afflict.de jure protbomiſ. in rubric. n.26.* & ſic requiritur ſcientia agnationis, & cognationis. Inſuper, quãdo quis accepit rem in emphyteoſim pro ſe, & liberis ſuis ex linea maſculina deſcẽdentibus, ſi relinquat filiam fœminã tantùm, illa non ſuccedit, quia non deſcendit per lineam maſculinam; linea enim non incipit in patre, qui rem in emphyteoſim accepit, ſed incipit in filio, ideò ſi habuiſſet filium maſculum, ipſe fuiſſet principium lineæ, & deſcendentes ab ipſo dicerentur deſcendere per lineam maſculinam; fœmina verò eſt principiũ lineæ fœmininæ, *Jaſon. in l. maritus.21.num.2.C. de procurat.* & ideò dicitur, quod agnatio eſt à patre, cognatio à matre, *Inſtit. de ſucceſſ.cognat. §.vulgo quæſitos.* Iſta autem ſciri, & regulari non poſſunt ſine ſcientia cognationũ, & graduum.

Advertas, quod quando pater accepit rem in emphyteoſim pro ſe, & liberis ſuis, poteſt in ultima voluntate eligere unum ex liberis, & illi ſoli aſſignare rem emphyteoticam, & alios excludere, *Jacobin. de S.Georgio de feudis. verb.& cũ pacto.ſub n.13. verſic.quarto hanc ſententiam*; quod tamen admitti poteſt, quãdo conceſſio fuit facta cum poteſtate alienandi, *Capyc. Latr. dec.70.n.29.*

Advertas ulterius, quod em-

phyteoſis poteſt concedi cum qualitate hæreditaria, & abſque dicta qualitate. Quando conceſſio eſt facta pro ſe, & filiis, vel pro ſe, & liberis, abſque hæredũ mentione, tunc dicitur conceſſio facta abſque qualitate hæreditaria, & emphyteoſis ex pacto, & providentia; quo caſu pater non poteſt filiis præjudicare, rem illam alienando, vel aliter obligando, nec poteſt in illa re majoratum inſtituere. Quando verò conceſſio eſt facta pro ſe, filiis, & hæredibus, tunc dicitur conceſſio facta cum qualitate hæreditaria, *Capyc. Latr. dec. 70. n. 3. & ſeqq.*

§. IV.

De perſonis, quæ ad Feudalem ſucceſſionem venire poſſunt.

QUartò, ſcientia cognationum, & graduum neceſſaria eſt pro regulanda Feudali ſucceſſione, in qua non ſolùm habetur ratio gradus, ſed etiam agnationis, & cognationis, idque præſertim virtute *Conſtit. noſtri Regni*, quæ incipit *Ut de ſucceſſionibus:* per quam agnati præferuntur cognatis, & ſolùm defectu agnatorum admittuntur cognati, *Rovit. in prag. 11. de feud. n. 4. & ſeqq.* de jure verò cõmuni ad feudi ſucceſſionem vocantur omnes deſcendentes maſculi excluſis fœminis, & deſcendentibus ab eis. Sed quia de iſta Feudali ſucceſſione multi reperiuntur Scriptores, tàm de jure noſtri Regni, quàm de jure communi; ideò in præſenti aliqua examinabo ad comprobandum, quod cognationis, & gradus ſcientia requiritur pro regulanda *feudali ſucceſsione*. Undè:

QUÆRES I.

Uſque ad quem gradum agnati venire valent ad feudi ſucceſſionem?

BReviter dicimus, quod deſcendentes à primo acquirente in infinitum ſuccedunt inter ſe, quando verò agnati non deſcendunt à primo acquirente feudum, tunc tantùm uſque ad ſeptimum gradum defertur ſucceſsio, niſi tenor inveſtituræ ad ulteriora ſe extendat, *cap. 1. §. &*

quia vidimus.in tit.de his,qui feudum dare poſſunt. *Jacobin. de S.Georgio in tract. de feud. verb. Ità quod ipſi inveſtiti habeant.ſub num.*11'. *Decius conſil.*85.*n.*1.*qui n.*3.*&* 4. dicit, quod hoc fallit in ſucceſsionibus Illuſtrium,Comitum, & Baronum, qui in infinitum admittuntur,etiam ſi centeſimo diſtent gradu, dummodò ab acquirente feudum ſit factus tranſitus ad deſcendentes, qui deindè ſint mortui ſine deſcendentibus, relictis tantùm transverſalibus, nam tunc feudum tranſit ad transverſales in infinitum: ſi verò à primo acquirente feudum tranſitum fecit primordialiter ad collaterales, tunc ſucceſsio feudi terminatur in ſeptimo gradu. Ex quo infert *Peregrin.de fideicom.art.*30.*n.*18. quod in fideicommiſſo facto ab aſcendente,omnes in infinitum ſuccedunt, etiam, quod inter ſe transverſales ſint; ſed in fideicōmiſſo per tranſverſalem ordinato non ſuccedunt agnati,niſi uſq; ad ſeptimum gradum,dummodò teſtator aliud non judicaverit.

In ſucceſsione igitur feudi, de jure cōmuni feudorum, filiæ fœminæ non ſuccedunt,ſed tantùm filii maſculi, vel nepotes ex filio maſculo,qui ſuccedunt in locum ſui patris: ſi verò inveſtitura fuerit facta in patre, ut filii, & filiæ ſuccedant in feudo, tunc filii ſuccedere poteſt, dummodò filii maſculi non exiſtant, ut patet ex *cap.ſequitur. de ſucceſſ.feudi in uſibus feudorum*. Ex quo *Text.* etiam habes, quod omnes filii maſculi æqualiter ſuccedunt in feudo.

Non ſolùm *filiæ* fœminæ excluduntur à ſucceſsione feudali, quia non poſſunt Dominum adjuvare per pugnam, ſed etiam ipſarum filii maſculi repelluntur: quia licèt ipſi valeant Dominum adjuvare, tamen, quia repræſentant locum, & perſonā matris, quæ excluditur, etiam ipſi excludi debet, *de Ponte de ſucceſſ.feud. lect.*10. *n.*2.*&* 3. *ubi n.*9.*&* 10 ponit,quando fœminę poſſunt ad feudi ſucceſsionem venire, & ſemper ac feudum cōceditur ea natura, ut in ipſum ſuccedere valeant maſculi, & fœminæ, ſemper fœminæ intelliguntur vocatę in defectum maſculorum, *d.cap.ſequitur.* §.*filia verò. de ſucceſſ.feudi.*

In Regno tamen Neap. virtute *Conſtit. In aliquibus.* quando in feudo non vivitur jure Francorum, ſed vivitur jure communi feudorum, filii maſculi excludunt filias fœminas à ſucceſsione feudorum, & tenentur illas dotare, quod ſi nolit dotare ſororem, vel illam ſecum ad feuda-

dalem ſucceſsionem admittere velit, tunc poterit ſoror partem feudi accipere, quia ubi non vivitur jure Franchorum, ſed jure communi feudorum omnes filii ſuccedunt, & non ſolus primogenitus, *Afflict. in Conſtit. In aliquibus. n.27. circa finem.* & licèt dicto jure communi feudorum fœminæ excludantur à feudo, ut dictum eſt; tamen in noſtro Regno habilitatus eſt fœmineus ſexus in defectum maſculorum, *de Ponte in tit. de his, qui feud. dare poſſunt. lect.9. num.17. & ſeqq. & lect.10. n.21. & 26.* & intantùm eſt habilitatus, quod omnes ſorores ſuccedere valent in feudis, *Afflict. in Conſt. In aliquibus. n.5. & 6.* Si verò in tali feudo vivitur jure Franchorum, tunc maſculi etiam excludunt fœminas, & tantùm primogenitus ſuccedit, qui non poteſt ſororem admittere ad ſucceſsionem feudi, niſi accederet conſenſus Regis, qui de conſenſu partium poteſt mutare naturam feudi, & facere, quòd in tali feudo non vivatur jure Franchorum, & quod omnes filii admittantur, *Afflict. l.c. n.28.* Deficientibus verò filiis maſculis, filia fœmina ſuccedit patri in omnibus burgenſaticis, & feudalibus, excluſis agnatis tranſverſalibus maſculis; & quando pater plures reliquit filias fœminas, tunc ſi in tali feudo vivitur jure Franchorum, filia major natu non maritata ſuccedit, cum onere maritandi alias ſorores; ità ac ſi eſſet filius maſculus: niſi omnes eſſent maritatę, quia tunc major natu ſuccederet, ut patet ex dicta *Conſtit. In aliquib. ubi Afflict.* Requiritur tamen, quod filia ſit maritata, & dotata de bonis patris, ut excludatur per filiam in capillo, quia ſi non fuit dotata de bonis patris, tunc dicta filia major etiam maritata præfertur minori in capillo, dicta *Conſtit. Ut de ſucceſſionibus.* Si verò ibi vivitur jure Longobardorum, tunc maritata non excluditur, ſed collatis dotibus ſuccedit, *Afflict. l.c.*

Hinc quando in feudo vivitur jure Franchorum, ſi feudatarius relinquat filios, nepotes, pronepotes, vel deſcendentes uſque in infinitū ſivè maſculi ſint, ſivè fœminæ, ipſi ſuccedunt, ſervata tamē ſexus, & gradus pręrogativa: undè maſculus præfertur fœminæ, & primogenitus pręfertur ſecundogenito, & quando moritur primogenitus ſine deſcendentibus, admittitur ad ſucceſsionem feudi ſecundogenitus, ut patet ex *Conſtit.* quæ incipit *Ut de ſucceſſionibus. Bilocta in concl. feudalib. concl.22. n.1. & ſeqq.* & ità in linea recta deſcendentium ſucceſ-

ceſsio eſt in infinitum, *Rovit. in rubric. de feud. n. 49. & 52.* Si verò in feudo vivitur jure Longobardorum, tunc omnes filii maſculi ſuccedunt, dicta *Conſt. Ut de ſucceſſionibus*.

Quando feudatarius in noſtro Regno moritur ſine deſcendentibus, tunc admittuntur collaterales. Sed circa iſtam ſucceſſionem collateralium eſt advertendum, quod virtute *Conſtit. Ut de ſucceſſionibus*. quando collaterales feudatarii defuncti deſcendunt à primo acquirente feudū admittebantur prius uſque ad tertium gradum incluſivè, remoto quarto gradu: itaut ſi quis decederet ſine filiis utriuſq; ſexus, ſolùm ſuperſtite eo, qui eſt in quarto gradu, in feudis ſuccedit Regia Curia, *Afflict. in citat. Conſtit. n. 1. & 4.* ubi dicit, quod in viventibus jure Franchorum, ſi moriatur habens feudum antiquum ſuorum prædeceſſorum, ſuperſtitibus ſibi filio primogenito, & ſecundogenito, ſi poſtea moriatur primogenitus ſuperſtite filio, qui ei ſucceſſit in feudo, quando iſte ultimus feudatarius moritur ſine deſcendentibus, ei ſuccedere non poſſunt filii ex ſecundogenito, licèt deſcendant à primo acquirēte feudum, nam fratres patrueles cum ſint in quarto gradu (dinumeratione facta ſecundum jus civile) ad invicem non ſuccedunt in feudis quaternatis antiquis. Verùm, quia erat difficultas inter *DD.* An virtute dictæ *Conſtit.* patruus, & amita ultimi defuncti feudatarii poterant venire ad feudalem ſucceſſionem, cum etiam in tertio gradu ſint conſtituti, & difficultas oriebatur ex eo, quia aliqui dicebant, quod dicta Cōſtitutio enumerat gradus, non perſonas, alii verò dicebant, quod enumerat perſonas non gradus, ut dicit *gloſſ. in Conſtit. Ut de ſucceſſionibus, verbo Non ſuccedunt, ubi Afflict. nu. 5. Rovit. in prag. 11. n. 7. de feud. & dec. 94. n. 17. & ſeqq.* ideò ad tollendam omnem difficultatem, fuit per Carolum V. determinatū, quod tàm patruus, quàm amita, & fratres patrueles maſculi admittātur ad ſucceſſionem dicti ultimi feudatarii, quando fratres patrueles proveniunt, & deſcendunt per lineam maſculinam à primo domino, ac ſtipite feudi, ut patet ex *prag. 6. 11. & 12. de feud.* & ſic fuit prorogata ſucceſſio uſque ad quartum gradum in hac linea collaterali.

Quando verò feudatarius, qui feudum acquiſivit moritur ſine deſcendentibus ex ſuo corpore, tunc ad illius ſucceſſionem, virtute *Conſtit. Ut de ſucceſſionibus*.

ad-

admittũtur fratres, ſivè ſint utroque latere juncti, ſivè uno tantùm, & ſorores in capillo, excluſo communi patre, & excluſis conjugatis, & dotatis. Undè *Afflict. in d. Conſtit.* in principio, dicit, quod ſi non ſuperſint fratres maſculi, ſed ſolùm ſorores in capillo, ſorores ſuccedunt: Si verò non ſuperſint, nec fratres maſculi, nec ſorores in capillo, ſed ſolùm ſorores maritatę, & dotatę à prædicto fratre defuncto, tunc dictæ ſorores non ſuccedunt in feudo, quando ibi vivitur jure Franchorum, & ſunt dotatæ de bonis fratris, quia ſi non eſt dotata de bonis fratris, admittitur ad ſucceſſionem, ad differentiam juris Longobardorum, ſecundùm quod ſufficit, quod ſit maritata, & dotata à cõmuni patre, vel fratre de paragio, ut excludatur à ſucceſsione fratris, *prag.* 1. *de feudis.* quæ fuit emanata ad declarationem *Conſtit. Ut de ſucceſſionibus.*

Ad ſucceſsionem itaq; iſtius feudatarii, qui feudum acquiſivit pro ſe, & hæredibus ex corpore, quando moritur ſine legitimis deſcendentibus, admittũtur collaterales uſque ad quartũ gradum, ex *prag. 29. & 34. de feudis.* ubi dicitur, quod in dictis feudis novis admittuntur, tàm fratres, & ſorores, quàm filii fratrum, & ſororum, ſivè ſint fratres, & ſorores utroque latere juncti, ſivè uno tantùm, ſemper tamen ſexus, & ætatis prærogativa eſt ſervanda; undè per *d. prag. 34.* ſunt revocatæ omnes aliæ Pragmaticæ, Conſtitutiones, regales, ac municipales leges aliter diſponẽtes circa hanc ſucceſsionem, ut expreſsè habetur in *d. prag. 34.*

Difficultas tamen eſſe poteſt, an patruus, & amita poſsint venire ad ſucceſsionem feudi novi per nepotem acquiſiti, ſicut veniunt ad ſucceſsionem feudi antiqui. Et licet *Biloct. in concluſionib. feudal. concl.* 23. *nu.* 5. aſſerat, quod etiam in feudis novis patruus, & amita admittuntur; tamen *Rovit. dec. 94.* dicit, quod gratia conceſſa patruo fuit ſemper interpretata de feudo antiquo, non de feudo novo, & ſic, tàm patruus, quàm amita à ſucceſsione feudi novi excludũtur.

Advertas tamen, quod licet aliqui dicant, quod jure noſtri Regni in feudo novo frater non poteſt ſuccedere fratri, quando inveſtitura eſſet *pro hæredibus ex corpore*, ut communiter ſolent fieri inveſtiturę; ſi verò non eſſet pro hæredibus ex corpore, ſed pro hæredibus tantùm, tunc frater admittitur in feudo novo, *de Pont. de ſucceſſ. feudi lect.* 12. *n.* 22.

Af-

*Afflict. dec.*293. Et hoc modo dicunt, quod poſſunt cōciliari *DD.* quorū aliqui aſſerūt, quod frater ſuccedit fratri in feudo novo, & aliqui id negant, *de Bottis in Addit. ad Cap. Regni*, incipit *Conſiderantes. verbo Ac ſuis hæredibus*, *ubi de Nigris n.*8.*& ſeqq.* Tamen oppoſitum habetur ex *prag.* 29. *de feudis*, ubi frater, & aliæ perſonæ enumeratæ, admittuntur, etiam ſi in inveſtitura dicatur pro ſe, & hæredibus ex corpore.

Advertas etiam, quod in feudis ubi nō vivitur jure Franchorum, ſed jure Longobardorum filius fratris ſuccedit in feudo ſimul cum patruo, quando feudū eſt antiquum, quia ſi eſt feudum novum, filius fratris non ſuccedit ſimul cum patruo, ſed tantùm patruus, qui eſt defuncti frater ſuccedit, *gloſſ. in Cōſt. Ut de ſucceſſionibus. col.*1.*ubi de Bottis.*

QUÆRES II.

An neptis ex primogenito excludat filium maſculum ſecundogeniti?

AFfirmat *Biloſta in concluſionibus feudalibus concluſ.*23. & hoc, ratione ſubingreſſionis, & repræſentationis, undè *n.*12. *&* 15. dicit, quod ſi in ſucceſſione feudalium concurreret filius maſculus fratris ſecundogeniti defuncti, cum filia fœmina fratris primogeniti, hæc fœmina excluderet filium maſculum fratris ſecundogeniti, vigore primogenituræ, cujus tanta eſt vis, quod naſcendo primogenitus, ſtatim excludit ſecundogenitū, & naſcendes ex eo, & donec ſupereſt aliquis de linea primogeniti, etiam ſi ſit fœmina, non poteſt ſecundogenitus, vel aliquis de linea ſecundogeniti ad primogenituram admitti. Undè *Rovit. dec.*51. dicit, quod ſemper fuit judicatum, quod ubi vivitur jure Franchorum, in ſucceſſione lineæ rectæ nepotē, ſivè neptem ex filio primogenito in ſucceſſione avi eſſe præferendum patruo ſecundogenito.

Idem etiam dicēdum eſt, quādo collaterales ſuccedunt, undè ſi moritur frater primogenitus abſque liberis, nepos, vel neptis ex fratre ſecūdogenito præmortuo, præfertur patruo, ſeù fratre tertiogenito defuncti. Similiter, quando aliquis decedit abſque filiis, & fratribus maſculis, ſed ſolùm relictis nepte ex ſorore primogenita defuncta, & altera ſorore ſecundogenita, ſivè nupta, ſivè in capillo, talis neptis per repræſentationem primogenituræ maternæ præfertur in ſucceſsione, *Rovit. l. c. n.*2. & ità ju-

dicatum refert. Et licet *Andreas de Iſern.in Conſtit. Ut de ſucceſſionibus. in verbo Fratres , ſivè ex utroq;* dicat, quod primogenitura conſideratur , quando ſucceditur patri , non verò quando ſucceditur fratri: tamen opinio *Andreæ*, communiter rejicitur à *DD.* per *Cap. Conſiderantes. ubi de Bottis,verbo Ac ſuis hæredibus, & Sebaſt. de Neap.n.6. Rovit.deciſ.51.n.6.*

Hinc *de Nigris in d. Cap. Conſiderantes.* latè examinat articulum , An filia fœmina primogenita, quæ fuit maritata, & dotata à patre, & cum juramento renunciavit bonis paternis, & maternis , poſsit ſuccedere fratri in feudis habitis à patre , & excludere ſororem ſecundogenitam, quæ tempore mortis patris erat in capillis , ſed à fratre fuit maritata, & dotata . Et poſtquam plures adduxit rationes pro ſecundogenita , tandem ſub *n.23.* concludit pro primogenita, quia ubi vivitur jure Franchorum major natu præfertur minori , & etiam , quia in ſucceſſione fraterna locum habet jus primogenituræ; quod comprobari poteſt ex *prag.* 1. quæ dicitur, *la Filingeria.de feudis.& à n.26.& ſeqq.* reſpondet ad rationes in oppoſitum adductas. Undè in linea collaterali etiam eſt ſervanda prærogativa ſexus , & ætatis; *prag.18.25.& 29.de feud.*

QUÆRES III.

An Feudatarius poſſit ſine conſenſu Domini alienare feudum?

QUamvis Feudatarius non poſſit ſine conſenſu Domini feudum alienare, *cap. Imperialem de prohibit.feud. alienat.per Feder.* itaut alienando feudum ſine licentia Domini, poſſit privari feudo , & quando proceſſit ad realem traditionem feudi , ipſo jure intelligitur privatus feudo, *Jacobin. de S.Georg. de feud.verbo Et cum pacto de non alienando. n.1. & 4.* Tamen iſta procedunt, quādo alienatio feudi fieret in extraneum , ſecus ſi fieret in agnatum proximiorem, ad quem feudum eſſet perventurum , quia iſta propriè non eſt alienatio , ſed quædam feudi refutatio , *Jacobin. de S.Georg.l.cit. num.17.*

Dicunt tamen aliqui , quod quādo Feudatarius alienat feudum novum ſine licentia Domini , tunc feudum acquiritur Domino : quando verò alienat feudum antiquum , tunc acquiritur agnatis, quamvis *Bald. in cap.1. §.fin. in tit. quæ ſit prima cauſa* be-

benefic.amittend. dicat, quod aperitur Domino, quia videtur Dominum contemnere, & ideò, ut habeat injuriæ ſuæ ultionem, tale feudum debet ſibi aperiri, quantumcunque ſit antiquum: dat tamen iſtam cautelam, ut agnati ſe opponant pro eorum intereſſe, ne fiat traditio poſſeſſionis feudi, & quod requirant Dominum directum, ut prohibeat fieri traditionem dicti feudi, *Jacob. de S. Georg. l. c. n. 30.*

Non ſolùm propter alienationem iſtam Feudatarius amittit feudum, ſed etiam ſi committat inceſtum, nam ipſo jure amittit feudum, & quando Domino eſt apertum feudum, ei non præjudicatur, quamvis Papa deindè diſpenſet in matrimonio, *Jacob. de S. Georg. de feud. verbo Dictiq; vaſſalli promiſerunt non committere felloniam. n. 31.*

Ex iſtis apparet, quod ſcientia numerationis graduum, & cognationum eſt neceſſaria pro feudali materia: & licet aliæ multæ poſſent agitari Quæſtiones in materia feudali, tamen iſtæ poſitæ ſufficiunt in præſenti Tractatu pro confirmatione mei dicti.

§. *V.*

De jure Prælationis, & Retractus competente Agnatis.

Quintò, ſcientia cognationū, & graduum neceſſaria eſt pro jure Prælationis, & Retractus debito Agnatis: Siquidem pro retractu Agnatitio faciendo requiritur, quod conſanguineus probet gradum diſtinctum ad victoriam cauſæ, *Urſill. ad Afflict. deciſ. 25. num. 6.* nam Agnatus ſupra decimum gradum non admittitur ad retractum, *Tiraquell. de retract. lignag. §. 1. gloſſ. 9. n. 23. & 24. Peregrin. de fideicom. art. 30. num. 3. Franciſ. Papari in Conſuetud. Cathacenſem juris ſanguinis. Brogn. Cavaſc. part. 2. dec. 20. n. 8.* Licèt autē retractus tribus modis fieri valeat, ſcilicet ratione Sanguinis, ratione Vicinitatis, & ratione Communionis; tamen nos in præſenti aliqua ponemus de retractu ratione Sanguinis tantùm, quia de aliis modis pertractant *Afflict. Baldaſſar. Benedelli, Marcus Mant.* & alii, nec

ad præſentem Tractatum pertinent.

Quando igitur Conſanguineus ratione conſanguinitatis vult retrahere res, quæ fuerunt patrimonii majorum ipſius requirentis retractũ, neceſſe eſt, quod probet cõſanguinitatem, & quod res fuit majorum ipſius, ſcilicet aſcendentium, vel per lineam paternam, vel maternam, vel debet probare per famam, quod res conſueverit eſſe talis cognationis, vel quod res fuerit pro patrimoniali conceſſa, *Dec.conſil.*88.*lib.*1.*Baldaſſar Benedelli in tract.de jure Prothomiſ.in rubric. num.* 45. non tamen requiritur, quod probet ſe proximiorem agnatum eſſe, quia qui contrarium dicit, debet id probare *Cavalcan.dec.*20.*n.*54.

Advertas, quod ex *Conſtit. Regni*, quæ incipit, *Sancimus. de jure Prothomiſ.* alienatio rei immobilis per venditionem, vel emphyteuſim, vel per locationem ad longum tempus non permittitur, niſi prius denuncietur iis, ad quos jus prothomiſeos pertinet: & ſi eis alienatio non denuncietur, nunquam labitur tempus retractus, quod incipit currere à die ſcientiæ, facit *Tex.in l.*2.*C.qui admitti.cap. concertationi. de appellat. in* 6. *Baldaſſar Benedelli ad princip. Conſtit.Sancimus; qui in rubric.d. tract. num.*39. *circa finem;* dicit, quod agnati proximiores, qui ex diſpoſitione legis, vel ſtatuti habent poteſtatẽ revocandi alienata per alios agnatos, perdunt jus ſuum illud non petendo infra tempus à jure ſtatutum, ſtante ſcientia alienationis.

Hinc *Brogn.Cavalcan.in tract. de tutor. & curator. n.*135. dicit, quod ſi conſanguineus proximior noluerit retrahere, vel renunciavit retractui, aut alteri jus retractus ceſſit, non intelligitur in præjudicium alterius conſanguinei, & ſic conſanguineus remotior infra tempus ſtatuti poterit retrahere. Ratio eſt, quia quãdo plures perſonæ ſunt vocatę ſub termino generali, vel indefinito, aut collectivo, puta Familiæ, Conſanguineorum, Poſterorum, & Deſcendentium, intelliguntur vocatę ordine ſucceſſivo, ſcilicet proximior primo loco admittitur, & illo deficiente, vel ceſſante, admittitur ille, qui eum proximè ſequitur, & ſic deinceps ordine ſucceſſivo. facit *Text.in l.*1.*ff.de acquir. hæredit. & in l.ſi plures. ff.de jure deliberand.* Imò ſi tempore contractus quis non erat proximior, quia non erat in rerum natura, ſi tamen naſcatur infra tempus retractus, & eſt proximior, ad- mit-

mittitur *Baldaſſar Benedelli ad princip. Conſtit. Sancimus. nu.* 158. Inſuper filius admittitur ad rem per patrem alienatam retrahendam, *Boer. deciſ.* 12. *Nicol. Everard. in loco de Tanquam, ſeù reſpectivis*; ubi dicit, quod licèt hæres, ut hæres non poſſit venire contra factum defuncti, *l. cum à matre. C. de rei vendicat. l. ex qua perſona. ff. de regul. jur.* tamen hæres venditoris poteſt retrahere rem alienatam per defunctum ſtante ſtatuto, vel conſuetudine admittente retractũ: niſi venditor expresſè promiſiſſet rem tutam, & ſicuram ſe preſtaturum, etiam adverſus retractum conſanguineorum, nam tunc hæres tenetur exonerare conſcientiam defuncti, *cap. ult. de ſepult. Baldaſſ. Benedel. loc. cit. num.* 124.

Ceſſat hoc jus retractus in Nothis, ſeù Baſtardis, quia non habent jura ſanguinis, ſecundùm *Bartol. in l. ult. ff. de verb. ſignific. per Clem. 2. de Bapt.* ubi dicitur, quod baſtardi quantùm ad commoda, & honores non includuntur in diſpoſitione legali. Oppoſitum defendit *Guttier. lib. 2. Canonic. q. 155. n. 2.* & ſolùm excludit natos ex damnato coitu *n. 3.* Similiter ceſſat in filiis baſtardorũ, quia ſunt nati ex infecta radice, *Baldaſ. Benedelli ad princ. Cõſt. Sancimus. n. 190. & ſeq. & n. 207.* dicit, quod fallit etiam in fœminis non ſuccedentibus ex forma ſtatutorum, ſi omninò repellantur à ſucceſſione; quia tunc talis filia, ut extranea reputatur, ſecus verò, quando ſolùm ob exiſtentiam maſculorum. Ceſſat etiam jus retractus in filiis adoptivis, quia iſti propriè non dicuntur filii, ſed fictè, & ideò non comprehenduntur in ſtatutis loquentibus de filiis. Ceſſat in ipſo venditore, qui retrahere non poteſt, *l. poſt mortem. ff. de adopt.* Et tandem cesſat in Monachis, & aliis Religioſis, qui cum ſint mortui mundo ſuccedere non poſsunt, nec retrahere valent.

In retractu igitur conſanguineorum ille tantùm admittendus eſt, qui in re vendita ſuccedere deberet ab inteſtato, nam qui ab inteſtato non eſt ſucceſſurus, extraneus reputatur, *l. hæreditas. C. de pactis convent.* tamen ſi proximiores repudiarent jus retractus, ulteriores in eo caſu admitterentur, ut ſupra dictũ eſt. Ad majorem tamen claritatem Retractus Agnatitii:

QUÆ-

QUÆRES I.

An Agnato proximiori competat jus prælationis adverſus extraneum Emptorem, non ſolùm in feudo ex pacto, & providentia, ſed etiam in feudo hæreditario?

CErtũ eſt apud omnes, Agnato proximiori competere jus prælationis, & jus redemptionis in feudo ex pacto, & providentia alienato. Siquidem duplici jure poteſt agnatus dictum feudum alienatum revocare, vel jure prælationis, ſivè redemptionis, vel jure ſucceſſionis, quod ei per legem inveſtituræ competebat. Jure prælationis, ſi agnatus offerat pretium, ſtatim recuperare poteſt rem feudalẽ à feudatario venditam; nam ſi venditio non dum completa eſt, poteſt agnatus prohibendo inſtare, ne alteri, quam ſibi vendatur; ſi verò jam feudum fuit alienatũ, poteſt pro æquali pretio intra annum feudum ab emptore redimere, *cap.* 1. *§. donare, verſic. Porro. ubi gloſſ. qual. olim feud. cap.1.§.Titius.Si de feudo defunct. milit. fuerit controv. cap.1. §. ſed & res. per quos fiat inveſtitur. Hartm.Piſtor.lib.2.qu.*11. *nu.*21. & alii relati à *Sanfelic. deciſ.*100. *num.*2. *à Capyc. Latro conſult.*27. *nu.*11. *& conſult.*28. *&* 96. Jure ſucceſſionis agnatus poteſt revocare feudum nullo refuſo pretio, non vivo, ſed mortuo alienante; ſiquidem revocatio iſta, quæ fit jure ſucceſſionis, cõpetit agnato ex lege inveſtituræ, & ex providentia Domini, qui voluit providere nedum primo acquirenti, ſed etiam omnibus ejus deſcendentibus ordine ſucceſſivo, & ideò alienatio feudi, etiam ſi ſit aſſenſu Domini vallata, nulla eſt, ſed mortuo venditore poterit agnatus revocare feudum, *Sanfelic.l.c.n.*2. *&* 3.

Certum etiam eſſe dicunt, quod in feudo novo ex pacto, & providentia non competit agnato jus prælationis, quia poſſeſſor poteſt de eo ad libitum diſponere, *de Ponte deciſ.*11. *Surd. conſ.*351.*n.*23. *&* 28.*lib.*3. *Capyc. Latro conſult.*27.*num.*36. *& ſeqq.* Sed de hoc dubitat *Mucci ad Sanfelic. dilucidat.*100.*n.*28. qui ſpecialiter contra *Capyc.Latr.* loquitur.

Tota igitur difficultas inter *DD.* eſt, An jus prælationis competat agnato proximiori, quando eſt alienatum feudum hæreditarium; quæ difficultas noviſſimè fuit examinata à *Capyc. Latro conſult.*27.28. *&* 96. ubi defendit, quod non eſt concedenda

da agnato prælatio, & citat omnes *DD.* pro, & contra tenentes. Ratio hujus ſententiæ eſt, quia jura feudalia ſuperius adducta ſemper fuerunt intellecta de feudo ex pacto, & providentia, & non de feudo hæreditario: inſuper hæres non poteſt venire contra factum defuncti, ſed tenetur illud approbare, & ideò non poteſt revocare alienationem feudi hæreditarii factam à defuncto; aliæ rationes apud citatum Auctorem videri poſſunt. Oppoſitam ſententiam noviſſimè ſuſtinuit *Reg. Sanfelic. deciſ.* 100. *ubi Mucci* adducit omnes rationes, & illas defendit ab impugnationibus factis à *Capyc. Latro*: & ità tenent, quod agnatus in vita illius, qui alienavit feudum, poteſt offerre idem pretium, & revocare alienationē, ſicut poſſet revocare rem allodialē alienatam, quia tunc agnatus non venit ut hæres, ſed ut conjunctus ratione ſanguinis; poſt mortē verò illius, qui alienavit feudum non poteſt venire agnatus, & revocare alienationem. Immò idem *Capyc. Latro deciſ.* 57. *nu.* 2. dicit, quod in noſtris Tribunalibus ſemper fuit deciſum, quod agnato competit prælatio in feudo hæreditario alienato: & tàm ipſe, quàm *Gizzius* ibidem multas deciſiones cumulant, idē dicit *Carol. Anton. de Roſa in Conſuetud. Si quis emit. de jure congr. n.* 53. Undè habes differentiam inter revocationē feudi hæreditarii, & feudi ex pacto, & providentia: quia feudum hæreditarium poteſt tantùm revocari in vita alienantis refuſo pretio; feudum verò ex pacto, & providentia revocari valet, non ſolùm in vita alienantis refuſo pretio, ſed etiam poſt mortē illius nullo refuſo pretio, ut ſupra dictum eſt. Quamvis *Guttier. lib.* 2. *practicar. qu.* 149. defendat, quod proximior cōſanguineus, quamvis ſit hæres venditoris poſſit retrahere rem patrimonii, vel avitam à ſuo teſtatore venditam, niſi vendens promiſiſſet rem tutam, & ſecuram ſe præſtaturum, etiam adverſus retractum conſanguineorum, videas *Carol. Ant. de Roſa l. c. n.* 55.

Rationes pro iſta ſecunda ſententia congerunt *Regens Sanfel. & Mucci l. c.* quas referre potius eſſet laborioſū, quàm utile, cum iſti Auctores paſſim habeantur, ideò illas omiſſas facio, & ſolùm mihi ſufficit oſtēdiſſe agnationem eſſe in conſideratione pro revocatione feudi alienati.

QUÆ-

QUÆRES II.

An in rebus allodialibus alienatis competat agnato jus prælationis?

ALiqui ex diſpoſitione juris communis conantur probare, quod in rebus allodialibus alienatis competat agnato jus prælationis. Primò adducunt *Text. in l. 1. ff. de privileg. credit.* ex quo *Textu* potius oppoſitum eruitur, verba *Text.* ſunt: *Cum bona veneunt debitoris, in comparatione extranei, & ejus, qui creditor cognatuſve ſit, potior habetur creditor cognatuſve: magis tamen creditor, quàm cognatus: & inter creditores potior is eſt, cui major pecunia debetur.* Ex quibus verbis patet, quod tunc cognatus præfertur, quando eſt etiam creditor, quia ſi tantùm cognatus ſit, creditor præfertur. Secundò adducunt *Text. in l. Imperator. 61. ff. de pactis.* qui *Text.* ut ex ipſamet *gloſſa* patet, nihil facit ad præſentem caſum; ſolùm poſſet verificari *Text.* in caſu poſito, quando intelligeretur ſecundùm lecturã *Jaſon.* qui hunc ponit intellectum: *Quidam debitor non exiſtens ſolvendo, habebat multos creditores, & dum creditores vellent facere vendi bona debitoris, comparuit quidam extraneus, qui dixit, quod ſi creditores volebant ſibi remittere partem crediti, quod volebat in ſe accipere bona debitoris, & ſatiſfacere ipſis creditoribus in reſiduo. Iſti creditores fuerunt contenti iſtud conſequi ab iſto extraneo: comparent perſonæ neceſſariæ debitoris, qui volunt iſtud idem facere creditoribus, quod vult facere ille extraneus, dicit iſte Tex. quod iſti neceſſarii præferendi ſunt extraneo, dummodò aliàs ſint idonei.* Tertiò adducunt *Text. in l. ſi in emptionem. ff. de minor.* cujus verba ſunt: *Si in emptionem penès ſe collatam minor additione ab alio ſuperetur, implorans in integrum reſtitutionem, audietur; ſi ejus intereſſe, emptam ab eo rem fuiſſe approbetur, veluti, quia majorum ejus fuiſſet: ità tamen, ut id, quod ex licitatione acceſſit ipſe offerat vẽditori.* Sed hic *Tex.* loquitur in minore, cui competit reſtitutio in integrum, adeoq; non videtur regula generalis, quod Agnato in rebus allodialibus alienatis competit jus prælationis.

Et quidem, quod agnatis non competat jus prælationis de jure communi, facit *Text. expreſſus in l. dudum. C. de contrahenda empt.* ex quo revocantur omnes aliæ leges in oppoſitum facien-

tes, & ſolùm conceditur prælatio, quando aliqua lex ſpecialis, vel ſtatutum id dictaret, verba legis ſunt: *Dudum proximis, conſortibuſque conceſſum erat, ut extraneos ab emptione removerent, neque homines ſuo arbitratu vendenda diſtraherent: ſed quia gravis hæc videtur injuria, quæ inani honeſtatis colore velatur, ut homines de rebus ſuis aliquid facere cogantur inviti, ſuperiore lege caſſata, unuſquiſque ſuo arbitratu quærere, vel probare poſſit emptorem, niſi lex ſpecialiter quaſdam perſonas hoc facere prohibuerit;* alii *Text.* referuntur pro iſta opinione à *Tiraquell. in præfat. de retract. lignager nu.* 30. Undè multi *DD.* relati à *Carol. Anton. de Roſa in Conſuet. Si quis emit. de jure congr. in allegat. n.* 29. tenent, quod retractus ſanguinis, ſivè gentilitius, non juri communi, ſed conſuetudinibus, & ſtatutis locorum eſt adſcribendus, prout etiam loquitur *Text. in cap. conſtitutus. 8. de integr. reſtit.*

Verùm, quod jus retractus militet pro agnatis, & quod per *Text. in l. dudum. C. de contrahen. emptione*, nulla ſit inducta correctio, tenet *Sanfelic. deciſ.* 101. ubi dicit, quod dictus *Text.* annullat conſuetudinem antiquã, quæ prohibebat alienationem fieri extra proximos, & conſortes, non verò tollit ab agnatis facultatem retrahendi, quando res alienata fuit majorum ſuorum; conceditur enim Domino facultas alienandi rem ſuam, cui voluerit per talem legem, ſed non aufertur ab agnatis jus retrahendi rem antiquam, quod jus in maxima æquitate fundatur. Undè *Jo: Baptiſta Mucci ad Sanfelic. obſervat.* 101. dicit, quod *Text. in d. l. dudum;* non habet locum, quando quis alienaret bona antiqua, quæ fuerunt majorum, ſed ſolùm locum habet, quando alienaret bona ſua, ideſt bona ab ipſo noviter acquiſita, quia tunc ceſſat ratio illa affectionis, cum non ſint majorum ſuorum; *de Roſa l. c. n.* 35. *& ſeqq.*

Hinc *Mucci l. c. n.* 2. dicit, quod tunc allodialia ſubjacent retractui, quando illa fuerunt ſubdita fideicommiſſo, quod tandem in aliqua linea finẽ habuit, nam quemadmodũ teſtator ex amore in bonis, fideicommiſſum cõſtruxit pro proximioribus, ità ex eodem amore, quando fideicommiſſum eſt expiratum, poterunt agnati illa bona jure ſanguinis obtinere, ſoluto tamen pretio; & ità ille admittitur ad habendum retractum, qui in re vendita deberet ſuccedere ab inteſtato, ut ſi res pervenit ad venditorem ex latere paterno,

admittitur proximior ex illo latere, ſi ex latere materno, proximior ex tali latere admittitur. *Sanfel.l.c.n.2.* quamvis *cit.Doctor* dicat, quod quęlibet res allodialis, quæ fuit majorum revocari valet per agnatum, idque maximè procedit, quando fuit res ſubjecta fideicommiſso; quia in jure maximè æſtimatur iſta honeſtas, ne bona, quæ fuerunt majorum noſtrorum, ad alienas manus, quàm proximiorum perveniant, ut probat *Rovit.* in quadam *allegat.* relata à *de Ponte* poſt *dec.*11.*n.*58.*& ſeqq.* Ut autem res dicatur majorum, ſufficit, quod ſit res acquiſita à patre, & tranſmiſſa ad filios. Videas *Guttier. lib.2. pract. q.148. Carol. Anton. de Roſa l.c.nu.*24.*& ſeqq.* ubi refert multas auctoritates Sacræ Scripturæ ad favorem agnatorum.

Concludit tamen *Carol. Ant. de Roſa l.c.n.*49. *& ſeq.* quod in hac Civitate, & Regno ſolùm in bonis feudalibus viget retractus gentilitius, ſecus verò in allodialibus, nec *dec.Sanfel.*101. ubi fuit data prælatio agnato in re allodiali, aliquid facit; quia ibi agebatur de territorio ſubjecto fideicommiſſo, in quo & ille, qui prælationem obtinuit, erat vocatus. *Hæc de Roſa.*

QUÆRES III.

An in venditione ſub haſta, & in venditione neceſſaria, quæ ſit à Judice pro executione rei judicatæ competat Agnato prælatio?

PRo hac quæſtione videas *Sãfelic.deciſ.*103. ubi contra alios affirmativam opinionem tenet, & *Jo: Baptiſta Mucci* ibidē dicit, quod de opinione *Sanfelicii* non eſt amplius dubitandum, ideò in occurenti caſu ad prædictos *DD.* recurrere potes, à quibus dubiū jam reperitur examinatum. Solùm adverte, quod in rebus allodialibus agnato cōpetit prælatio ante perfectam venditionem, ſecus verò, quando venditio eſt jam facta, ut deciſum refert *Sanfelic. deciſ.* 104. *n.*19. *& ſeq. Carol.Anton. de Roſa in Conſuet. Si quis emit. de jure congr.n.*52. ſi verò veniret retrahendo ratione ſanguinis, tunc etiam poſt venditionem venire valet, ut dicit idem *loc.cit.n.*55. aliàs eſſet ſibimet contrarius *cit. Doctor*, dum in aliis locis ſupra citatis voluit, quod facta venditione poſſit rem alienatam revocare, adeoque cum iſta diſtinctione tollitur contrarietas.

QUÆ-

QUÆRES IV.

An in venditione cenſus ab antiquo ſuper re aliqua impoſiti, ſit locus retractui ſanguinis?

SEnſus hujus Quæſiti eſt, Si quis habens annuum cenſum ſuper fundo, & aliis rebus immobilibus Petri, vendat hunc cenſum Cajo, an conſanguineus vendentis poſſit dictum cenſum retrahere.

Videtur affirmativè reſpondendum, quia in venditione rei patrimonialis immobilis competit propinquioribus jus retrahendi; ſed annui redditus inter immobilia reputantur, *Clem. ex ivi. §. cumque annui redditus. de verbor. ſignific. l. ſi quis inquilinos. ff. de legat. 1. Auth. de nō alienand. aut permut. rebus Eccleſ. in princ. Balthaſar Benedel. in ſuo tract. de jure Prothomiſ. in princip. n. 62. & ſeq.* ergo in venditione annui redditus competit propinquis jus retrahendi. Ità *Jo: Faber in §. ult. inſtit. de duob. reis. Afflict. de jure Prothomiſ. in princip. Balthaſar Benedel. l. c. Federic. Martin. in tract. de jure Cenſ. cap. ult. num.* 158.

Oppoſitum tamen probabilius judicatur, quando per ſtatutum, vel cōſuetudinem jus retrahendi competit agnatis in bonis immobilibus alienatis; quia annui cenſus impropriè & largè inter immobilia reputantur, cum propriè, nec inter immobilia, nec inter mobilia numerentur, ſed tertiam conſtituant ſpeciem: undè cum agnatis ſit conceſſum jus retrahendi rem immobilem patrimonialem, non poſſunt retrahere cenſum. Ità tenet *Guttier. lib. 2. pract. q. 146. Cencius de cenſib. p. 1. cap. 3. q. 1. art. 2. n. 2.*

Hinc infertur, quod in venditione cōmoditatis uſusfructus, vel habitationis non competit agnato jus retrahendi ratione ſanguinis, quia cum iſta ſint jura incorporalia, propriè loquendo, nec ſunt mobilia, nec immobilia, *Guttier. l. c. q. 147.*

QUÆRES V.

An quando res eſt vendita remotiori conſanguineo, poſſit proximior ab illo rem retrahere?

AFfirma: nam licet in tali caſu res non exeat de familia, tamen quando leges concedunt jus retrahēdi proximiori conſanguineo, intelliguntur in illo caſu, quo res eſt alienata extra ipſum conſanguineū pro-

ximiorem, ergo ſivè in abſolutè extraneum, ſivè in conſanguineum remotiorem ſit alienata, ſemper poteſt venire conſanguineus proximior, quia conſanguineus remotior reſpectu proximioris extraneus reputatur. Vide *Guttier. 2.practicar. qu. 150.* Vide *gloſ.in cap.cōſtitutus.8.verb. Conſuetudinē. de in integr.reſtitut.*

Ex quo citatus *Doctor q.151.* infert, quod ſi res vendita fuerit uni ex multis proximioribus, cęteri ejuſdem gradus poſſunt admitti ad retractum pro æqualibus partibus, quando res diviſibilis eſt, quia omnes dicti conſanguinei æquale jus habent. Videas *Guttier l. cit.* quia habes rationes pro, & contra.

QUÆRES VI.

An Clerico conſanguineo competat jus retrahendi ratione ſanguinis?

HAnc quæſtionē ponit *Guttierez lib.2. practic.q.156.* ubi quatuor caſus diſtinguit pro reſolutione illius, ſicut antecedenter fecit *Marant.diſp.8.n.35.*

Primus caſus eſt, quando Laicus vendit rem laico, & Clericus cōſanguineus vendentis vult illam retrahere, quia erat patrimonialis, vel avita, & in tali caſu indubitanter admittitur, ex *Tex.expreſſo in cap.conſtitutus.8. de in integr.reſtit.* Clericus enim poteſt uti conſuetudine laicorū merè favorabili, & generali, *Marant. diſp.8. n.14. Guttier.l.c.n.2.* cum enim lex retractus (licèt lata à Principe laico) ſit favorabilis, non inducens peccatum, non compulſiva perſonarum, nō contra libertatem Eccleſiæ, non habens Canonem in contrariū, immò approbata per Canonem, ut patet ex dicto *cap. conſtitutus.* poteſt per Clericū ſervari, *Marant.loc.cit. n.47. qui n.35.* ponit optimam rationem, quia quando laicus vendit rem alteri laico, cum ambo ſint ſubditi conditori legis, tenētur illius legem ſervare in alienatione rerū ſtabilium antiquarū, adeoq; Clericus contra ipſos poteſt uti tali lege.

Idem videtur dicendum in materia juris congrui, ubi viget ſtatutum, nam Clericus poteſt retrahere rem venditam laico, quando ipſe habet rem conjunctam cum illa re vendita, ut probat *Napod. in Conſuet. Si Eccleſia emat. num.76. de jur.congr.* Sed quia in hac Civitate Neap. per Ritum 22. Curiæ Archiepiſcopalis, Clericus non tenetur jure congrui; ideò ad ſervandam æqualitatē, Clericus agendo cōtra laicum pro congruo, non po-

teſt obtinere, *Franch.deciſ.135. Carol.Anton.de Roſa in apoſtilla ad dictam Conſuetud.* Similiter licèt virtute Conſuetud. Neap. quando quis decedit ſine filiis, non poſſit diſponere niſi de medietate bonorum antiquorum, quia alia medietas eſt debita agnatis, vel cognatis proximioribus, à quorum lineis bona provenerunt, quòd erat obſervandum à Clerico, tàm activè, quàm paſſivè ratione æqualitatis ſervandę, ut probat *Afflict.dec.310. ubi Urſill.* Tamen quia Clericus teſtando nō poteſt tali conſuetudine ligari, ideò nec ei debetur medietas bonorum antiquorum, quando laicus teſtatur, *Horatius Montan. controverſ.11. Hodiern. ad Surd.deciſ.20.num.10.Gizz.ad Capyc.Latr.obſervat.198. in allegat.n.41. Franch. dec.411. ubi de Luca, qui obſervat.40.* dicit, quod ſi aliquis decederet inteſtatus, tunc poſſent Clerici, & aliæ Eccleſiaſticæ perſonæ petere medietatem bonorum antiquorum, quia conſuetudo jus ſanguinis reſpexit, quo caſu ſi Clericus decederet inteſtatus, etiam laicus poteſt petere medietatem, prout per Conſuetudinem diſponitur.

Secundus caſus eſt, quando Clericus vendit rem patrimonialem, vel avitam laico, & in tali caſu, Conſanguineum, ſivè laicum, ſivè Clericum poſſe illam retrahere, tenet *Guttierez lib.2.practicar. q.156.n.3.* quia lex retractus lata à Principe laico exercetur contra emptorem, qui laicus eſt, adeoque exercetur contra ſubditum, in quo nullum præjudicium Clerici reperitur, *Marant.diſp.8.n.50.*

Tertius caſus eſt, quando Clericus emit, nam tunc maximum dubium eſt, an agnatus proximior venditoris poſſit illā à Clerico retrahere. Et quod poſſit illam retrahere tenent, & probant *Guttier.l.c.n.4. & ſeqq. Marant. diſp.8.n.35.* ubi loquitur de jure congrui, & per numeros ſequentes id confirmat, & reſpondet objectionibus, quæ in contrarium adduci poſſunt. Videas *Guttier. & Marant. l.c.* ubi habes rationes pro, & contra. Ego tamen puto, quod non poſſit illam à Clerico retrahere, ſicut nec poteſt vicinus rem Clerico venditam retrahere per jus congrui, ut ſupra dictum eſt.

Quartus caſus eſt, quando Clericus vendit rem immobilē Clerico, an tunc ſit locus retractui ſanguinis. Et quod non habeat locum retractus ſanguinis, probari poteſt ex traditis per *Marantam loc.cit.nu.51. & ſeqq.* Quamvis oppoſitum defendat

Gut-

Guttier. loc. cit. num.7. quos videas.

Aliæ quæſtiones pertinentes ad retractum ſanguinis videri poſſunt apud *Guttier. l. c. q.137. & ſeqq.* & apud *Brognin. Cavalcan. dec.19. & 20.*

§. VI.

De ſucceſſione in fideicommiſſis factis favore Deſcendentium, Agnatorum, vel Familiæ.

Sextò, jure civili neceſſaria eſt ſcientia cognationũ, & graduum pro regulanda ſucceſſione in prædictis fideicommiſſis, quia nominati præponuntur aliis, & poſt eos admittuntur, qui proximiores ſunt in gradu : undè in fideicommiſſo relicto familiæ, omnes de familia intelliguntur vocati gradatim, & ſic proximiores præferuntur, deindè, qui ex eis deſcendunt, quibus extinctis revertitur ad alios ſecundũ ordinem, qui tunc reperitur in gradu proximitatis, ut patet ex congeſtis per *Peregr. de fideicom. art.19. num.11. & ſeqq. qui n.33.* probabiliter dicit, quod quando res per fideicommiſſum eſt relicta Poſteris, Deſcendentibus, aut liberis ſuis, vel fratris ſui, tunc fideicommiſſum ad omnes propagatur, & comprehendit etiam natos poſt caſum fideicõmiſſi. Idem dicit, ſi fuiſſet relictum illis de Prole, de Progenie, de Poſteritate, de Stirpe, de Sanguine, de Proſapia, de Generatione, de Linea alicujus, aut fuiſſet relictum Familiæ, quia ſemper in his caſibus fideicommiſſum intelligitur *factum* ordine ſucceſſivo : Si verò fuiſſet relictum Agnatis, Cognatis, Conjunctis, Conſanguineis, Propinquis, Agnationi, Cognationi, tunc fideicommiſſum non complecteretur, niſi illos, qui nati erant tempore teſtamenti, aut mortis teſtatoris, vel tempore exiſtentis conditionis, ſervata inter eos prioritate gradus : alii verò, qui poſtea naſcuntur non comprehenduntur; quia non habent jura Agnationis, & Cognationis. De cujus dicti veritate, videas, quæ dicam in ſecunda Parte hujus Tractatus, ubi

de Agnatione, & Cognatione ſermo erit. Nunc:

QUÆRES I.

Quomodò eſt regulanda ſucceſſio in fideicommiſſis?

BReviter dicimus, quod eſt regulanda eo prorſus modo, quo regulatur ſucceſſio ab inteſtato, *gloſſ.* communiter recepta in *l. cum ità. §. in fideicommiſſo. ff. de legat. 2.* Sed hæreditas ab inteſtato tranſit de proximiore in proximiorem, ergo etiam fideicommiſſum. Undè in *l. fin. C. de verb. ſignific.* dicitur, quod legatum factum familiæ, gradatim relictum intelligitur, ſecundùm ordinem ſuccedendi, ſcilicet, qui primò vocatur ab inteſtato, prius etiam vocatur ad tale legatum, ut dicit *Paul. de Caſtr. ibid.* Quādo enim plures vocantur per nomina collectiva, qualia ſunt Familia, Liberi, Sui, &c. tunc ſivè inter eos cadat ordo neceſſitatis, & affectionis, ſcilicet ſint neceſſario inſtituendi, ut ſunt filii, & deſcendentes, ſivè non cadat ordo neceſſitatis, & affectionis, ſemper cenſentur vocati ordine ſucceſſivo, ſcilicet primò intelliguntur vocati proximiores, deindè cæteri gradatim, *Cancer. 1. variar. cap. 1. n. 116.*

QUÆRES II.

An in fideicommiſſo facto Agnationi, & Familiæ ſit admittendus, qui teſtatori eſt proximior, an verò, qui magis attinet Agnato defuncto?

COntroverſa ſatis eſt præſens quæſtio, & pro utráque parte adſunt *DD.* non infimæ notæ, ut videre eſt apud *Surd. vol. 1. conſil. 120.* qui pro utraque parte adducit *DD.* & rationes, & tota cauſa dubii deſumitur, ex *l. cum ità legatur. 33. §. in fideicommiſſo, quod familiæ relinquitur, ii ad petitionem ejus admitti poſſunt, qui nominati ſunt, aut poſt eos omnes extinctos, qui eo nomine fuerint eo tempore, quo teſtator moreretur, & qui ex his primo gradu procreati ſunt; niſi ſpecialiter defunctus ad ulteriores voluntatem ſuam extenderit. ff. de legat. 2.* ex quo *Text.* oritur dubium, an cenſeatur vocatus proximior ultimi poſſeſſoris, & nominati, an proximior ipſimet teſtatori, quando deficiunt deſcendentes gravati: quam difficultatē etiam examinat *Covarr. practicar. qq. cap. 38.*

Prima opinio tenet, quod eſt admittendus, qui teſtatori eſt pro-

proximior; quam opinionem amplectitur *Surd.l.c.n.8. & ſeqq.* & illam probat. Primò, quia quando verba poſſunt ad plures perſonas referri, ſcilicet ad perſonam hæredis gravati, & ad perſonam teſtatoris, in dubio ſunt ad teſtatorem ipſum,& non ad hæredem referenda, *l. ex facto. cum ibi notatis.ff.ad Trebell.* Sed quando teſtator abſolutè poſt lineam finitam vocat proximiores, ſumus in dubio, de quibus proximioribus, & agnatis ſenſerit teſtator, ergo in tali dubio intelligendum eſt, quod de ſuis fuit loquutus teſtator, nàm affectio teſtatoris magis dirigitur ad ſuos proximos, quàm ad proximos gravati, *l.Lucius.in fin. ff. de hæredibus inſtituend. l.cum acutiſſimi. C. de fideicommiſſ.* Secundò probat, quia per fideicōmiſſum ſucceditur teſtatori, non autem gravato, *l. cohæredi. §.cum filio. ff.de vulgar.* ergo debet cōſiderari proximitas reſpectu teſtatoris, cui ſucceditur, & non reſpectu gravati. Tertiò, quia ità videtur dicendum, ex *l. cum ità legatur.33. §.in fideicommiſſo. ff. de legat.2.* ubi in fideicommiſſo familiæ relicto, primò admittuntur nominati, & poſt illos admittuntur, qui defuncto teſtatori proximiores erunt, ibi: *Aut poſt eos omnes extinctos, qui eo nomine fuerint eo tempore, quo teſtator moreretur, & qui ex his primo gradu procreati ſunt.*

Secunda opinio tenet, quod cenſetur vocatus proximior ultimi poſſeſſoris, & gravati, licèt ſit alius proximior teſtatori, vel majoratus inſtitutori. Hanc opinionem primus omnium docuit *Soccinus in l.ſi cognatis.n.40.ff.de reb.dub. in l.hæredes mei. §.cum ità.ff.ad Trebell.* & in ſuis Conſiliis in multis locis, ut dicit *Covarr.practicar.qq.cap.38.num.1.* penès quem ſequaces hujus opinionis habes, quibus addo *Fontanell.tom.1.deciſ.35.nu.22. Cancer.lib.1.variar.cap.1.num.137.* ubi dicit, quod in ſubſtitutione fideicommiſſaria eſt attendenda proximitas reſpectu ultimi poſſeſſoris gravati; in ſubſtitutione verò vulgari, ubi bona adhuc nemini ſunt acquiſita,ſed ab ipſo teſtatore immediatè accipiuntur, attenditur proximitas teſtatoris.

Hanc opinionem probant. Primò ex *Text.in cap.1. de natura ſucceſſ. feud.* ubi dicitur, quod feudorum ſucceſſio defertur, ex proviſione primi acquirentis, poſtquā tamen pervenit ad unū ex filiis, ſuccedunt ſemper illi, qui ex illius linea deſcendunt, excluſis agnatis tranſverſalibus, etiam ſi ſint primo ſtipiti proxi-

mio-

miores, ergo eodem modo dicendum in ſucceſſione fideicõmiſſi agnatitii, & majoratus. Secundò probant, quia in ſubſtitutione pupillari attenditur proximitas pupilli, & non teſtatoris, ut communiter tenere *DD.* refert *Surd. conſil.* 120. *n.* 9. ergo etiam talis proximitas eſt attẽdenda in ſucceſſione majoratus, & fideicõmiſſi familiæ, vel agnationi nomine collectivo relicti. Tertiò, quia in fideicommiſſo familiæ, vel agnationi nomine collectivo relicto, ſucceſſio ex præſumpta teſtatoris voluntate regulanda eſt, ſecundùm quod reperitur diſpoſitũ de jure communi; ſed de jure communi poſt ultimum poſſeſſorem decedentem ab inteſtato admittitur, qui eidem proximior eſt; ergo etiam in ſucceſſione fideicommiſſi.

Ad iſtas rationes pro ſecunda opinione reſpondet *Surd. l. c.* & ad primam dicit, quod id eſt ſpeciale in feudo ex jure feudorũ: quod jus non poteſt trahi ad deciſionem cauſarum in alia materia: præterea in feudo ſucceditur vaſſallo ultimo defuncto, non autem ſtipiti, quando feudum eſt hæreditarium, ſecus verò, quando feudum eſt ex pacto, & providentia, ità *Surd. conſil.* 120. *vol.* 1. *num.* 18. *& ſeqq. Rovit. in pragm.* 4. *de feud. num.* 92. *& ſeqq.* alia etiam ſolutio deduci valet, ex traditis per *Covarr. pract. qq. cap.* 38. *n.* 1.

Ad ſecundam rationem dicit *Surd. l. c. n.* 9. quod id procedit, quia per pupillarem ſubſtitutionem ſucceditur pupillo, & ſubſtitutio pupillaris dicitur teſtamentum pupilli, ideò creditur, teſtatorem eodem modo teſtamentum feciſſe pro filio pupillo, quo pupillus ipſe facturus fuiſſet, ſi teſtandi ætatem habuiſset. Cæterum in fideicommiſso non ſucceditur gravato, ſed teſtatori, *Sanfelic. dec.* 202. *n.* 28. Addo, quod etiã in ſubſtitutione pupillari probabilis eſt opinio, quod attenditur proximitas reſpectu patris teſtatoris, *Cancer. lib.* 1. *var. cap.* 1. *n.* 140.

Ad tertiam rationem reſponderi poteſt cum *Covarr. l. c. nu.* 2. §. *idcirco.* quod ſi in ſucceſſione fideicommiſſi eſt ſervandus modus ſucceſſionis ab inteſtato jure communi conſtitutus, ergo talis ſucceſſio cenſetur, & conſideratur ab inteſtato, reſpectu ipſius teſtatoris, cui ſucceditur, non verò reſpectu ultimi gravati. Undè etiam *Covarr. l. c. n.* 3. eſt pro opinione *Surdi.*

Hæc *Surdi* opinio à fortiori procedere debet, quando teſtator vocavit proximiores agnatos de agnatione ipſius teſtato-

 ris,

ris, nam illa verba, *Ipſius teſtatoris*, non ſolùm reſpiciunt agnationem, ſed etiam proximitatē, & ità faciunt ſenſum, quod non ſolùm debent eſſe agnati teſtatoris, ſed etiam illi proximiores, ità *Surd.loc.cit.n.8. circa fin. & n.13.* Et ratio eſſe poteſt, quia teſtator majorem dilectionem, & affectionem præſumitur habere erga proximiorem, quàm erga remotiorem, *§.ſi plures. Inſtit.de legit.agnator.ſucceſſ. l.3.§.ſi duo.ff. de legit.tut. l.hæredes mei. §.ult.ff.ad Trebell.*

Hinc, quando fideicommiſſum eſt factum familiæ, & ſunt vocati illi de familia ordine ſucceſſivo, & ſalva gradus prærogativa, remotiores non poſſunt venire repræſentativè, repræſentando ſcilicet gradum patris: & ideò frater tanquam proximior teſtatori excludit filium alterius fratris, ex præſumpta voluntate teſtatoris: ſicut quando vocatur ad aliquam rem proximior, nuſquam præfertur nepos ex fratre ipſi patruo, imò patruus erit præferendus nepoti: quamvis enim de jure filii fratris concurrant cum patruo ad ſucceſſionem alterius patrui defuncti, *Auth. de hæreditat.quæ ab inteſtat. §.reliquum. Dec. conſil.1. n.3.& conſil.217.* tamen quando ad fideicommiſſum relictum familiæ vocantur à teſtatore expreſſim proximiores, filius fratris non admittitur cum fratre, & patruo, quia hæc eſt differentia inter legem vocantem proximiores, & hominē; quod quando à lege vocantur proximiores ad ſucceſſionem, filius fratris eſt admittendus in locum patris per repræſentationem ſimul cum patruo, quia tunc agitur de interpretatione legis, quæ per fictionem fecit, quod filius fratris habeat locum patris, & obtineat eundē gradum cum patruo: quādo verò proximiores vocantur ab homine, tunc quia eſt interpretanda ejus voluntas, quæ eſt, quod proximiores admittantur, videntur vocati illi, qui verè proximiores ſunt, & non illi, qui per fictionem juris proximiores cenſentur, cum in fideicommiſſis veritas non fictio ſit attendenda, *l.fideicommiſſum.ff.de condit. & demonſtrat.* Ità in ſpecie tenet *Covarr. pract. qq. cap. 38. ſub n. 4. verſic. Tertiò ad intellectum. gloſſ. & verſic. Quartò ubi fideicommiſſum relinquitur*, ubi alios *DD.* refert.

Similiter infertur, quod quādo teſtator ad fideicommiſſum relictum familiæ certum gradum nominatim vocavit, tunc ſequētes in gradu non admittuntur per repræſentationem in locum pa-

patris præmortui, qui fuerat in gradu priori, & hoc propter rationem ſupra poſitam, ut notat *Covarr. l.c. verſic. Quintò idem erit.* Sicut etiam ex duobus nominatis, & prædilectis à teſtatore, altero mortuo, ejus filius nō poteſt venire ad fideicommiſſum repræſentando locum patris, ſed tantùm alter nominatus admittitur, quia illi nominati cenſentur gravati, ut unus alteri poſt mortem reſtituat, *Covarr. loc. cit. verſic. Sextò conſtat.* Et hoc à fortiori eſt dicendum, quando teſtator ad fideicommiſſum vocavit filias, & nepotes, quia filii ſunt vocati, ut conſtituentes gradum diverſum à nepotibus, & ideò mortuo uno filio, ejus filius non obtinebit per repræſentationem locum patris, nec admittitur ſimul cum patruis, ut dicit *Covarr. verſic. Septimò hinc cōſtat.*

Non tamen mihi videtur ſpernenda annotatio ad *Dec. conſil.* 1. quæ contra *Decii* reſolutionem fundat, quod quando quis ad fideicommiſſum vocat aliquem agnatum, & poſt illius mortem vocat deſcendentes ſalva gradus prærogativa, tunc teſtator habuit reſpectum non ad modū ſuccedendi ſibi, ſed ad modum ſuccedendi primo inſtituto, & vocato ad fideicommiſſum, & ſic intelliguntur vocati deſcendentes inſtituti ſecundū gradus prærogativam, ſecundum quam nepotes etiam intrant locum parentum, & ità ad ſucceſſionem fideicommiſſi, non ſolùm venit filius primi vocati, ſed etiam nepos ex alio filio præmortuo, repræſentando perſonam patris; ut etiam tenet *Gabriel. cōſil. 107.* Sicut quando teſtator fecit fideicommiſſum, & vocavit plures ſub nomine collectivo ſalva gradus prærogativa, admittendos tamen ſervato ordine ſucceſſionis ab inteſtato, vel à jure tradito, tunc filius repræſentat perſonam patris, & in locum ejus admittitur ad fideicommiſſum, *Covarr. d. cap. 38. verſic. Octavò eſt advertendum.* Videas citatum *D.* quia multa pro hac quęſtione ponit, cujus dicta non expedit hic tranſcribere.

QUÆRES III.

An in ſucceſſione fideicommiſſi, in quo vocantur agnati, & cognati jure primogenituræ, & majoratus, gradus vincat lineam, videlicet admittatur, qui eſt defuncto proximior, licèt ſit de linea tertiigeniti, excluſo illo, qui eſt de linea ſecundogeniti?

Quando abſolutè ad ſucceſſionem decedentis ſine li-

 be-

beris ſunt vocati agnati, vel illi de familia ſecundùm prærogativam gradus, tunc certum eſt, quod admittitur proximior in gradu nullo habito reſpectu ad lineam, quia teſtator ad gradũ, & non ad lineam reſpectum habuit, ut ſupponimus. Solùm difficultas eſt, quando teſtator vocavit primogenitos in infinitum, an in tali caſu gradus vincat lineam, an potius è contra, cum videatur habita ratio linearum, ex eo, quod de primogenito facta eſt mentio.

In hac quæſtione aliqui dicũt, quod ſucceſſio primogenituræ in Italia non regulatur, eo modo, quo in Hiſpania; quia in Italia in ſucceſſione primogenituræ, quando ſimpliciter primogeniti vocantur in infinitũ, gradus vincit lineam, & proximior admittitur, & inter proximiores ſecundùm ordinẽ inteſtatæ ſucceſſionis, primogenitus tantùm ſuccedit, ideſt, qui inter proximiores majorem habet ętatem admittitur, idque etiam in linea collaterali, ut probat *Rovit. in prag.*11. *de feud.* In Hiſpania verò linea vincit gradum. Ità *Peregrin.tom.*1.*conſil.*39.*n.*25.*& to.*2. *conſil.*46.*nu.*6. *Manſ. conſult.*98. *nu.* 3. *Molin. de primogen. lib.* 1. *cap.*1.*n.*16.*&* 20. *Gam.deciſ.*174. *n.*13.*& dec.*307.*n.*20. *Gannaver. conſil.*5.*n.*160. *& ſeqq. Torres in tract. de ſucceſſ. in primog.& majorat. p.*1.*cap.*36. §.17.*nu.*217.*& ſeqq.&* §.16.*n.*171.*& ſeq.*

Ratio autem quare in Italia, quando primogeniti vocantur in infinitum gradus vincit lineam, ſecus verò in *Hiſpania*, ea redditur, quia per conſuetudines, & leges Hiſpaniarũ dantur hujuſmodi majoratus, in quibus expreſsè linea primogeniti præfertur lineæ ſecundogeniti, & linea ſecundogeniti præfertur lineæ tertiogeniti, & ità ſemper ac exiſtit aliquis de linea ſecundogeniti, non admittitur ille, qui eſt de linea tertiogeniti, quamvis iſte proximior ſit, quia linea vincit gradum;& ità ſi quis Titio reliquit, vel donavit aliqua bona, ità quod illa obtineat, & habeat titulo, & jure majoratus, quamvis alias conditiones inſtitutor hujus primogeniti nõ adjecerit, habebit nihilominus talis inſtitutio, vel donatio naturam, & proprietatem, ac alios effectus, quos apud Hiſpanos bona primogenitorum, & majoratuum ex conſuetudine, moribus, legibus, & conſtitutionibus habere ſolent, ut dicit *Covarr.* 3.*variar. cap.* 5.*n.*2. Cæterum in Italia licèt poſſet quis majoratũ inſtituere eo modo, & forma, quo in Hiſpania, tamen ſi id ex-

expreſsè non dixit, cenſetur facere inſtitutionem, & ſucceſsionem in tali majoratu, eo modo, & forma, quo per leges Romanorum, & conſuetudines loci reperitur diſpoſitum; ſed per leges tàm Romanorum, quàm Regni nulla habetur ratio linearum, ſed tantùm proximior admittitur excluſo remotiori, qui intantum poteſt ad ſucceſsionē tranſverſalium venire, inquantùm ei competit jus repræſentationis, quod ultra filios fratrū in linea collaterali non extenditur, ut ſupra à nobis dictum eſt; ideò quādo quis in Italia vocat primogenitos in infinitum, intelligitur vocaſſe proximiorem, & ex pluribus eodē gradu proximioribus, intelligitur vocatus, qui primogenitus eſt, *Gabriel. conſil. 107.*

Advertas, quod quando iſti plures proximiores ſunt ab eodem genitore, puta ſunt fratres, tunc optimè verificatur, quod primogenitus ſuccedit; quando verò ſunt à diverſis genitoribus, ut ſunt deſcendentes à diverſis fratribus, tunc propriè non poteſt dici primogenitus, ſed major natu, ut notat *Gannaver. conſil. 5. n. 163.* ibi: *Quoniam verbum Primogenitus dicit relationem ad ſecundo, & tertiogenitum ab eodem, non ab alio genitore; inter eos namq; cadit dinumeratio primogenituræ, & genitorum primò, ſecundo, & tertiò, non inter genitos à diverſis genitoribus, inter quos non poteſt prior natu, primogenitus propriè vocari, ſed major natu, vel ætate;* & infra: *Et ideò ordo primogenituræ ſolùm cadit inter fratres, non inter alios deſcendentes, genitos à diverſis genitoribus, & in diverſo gradu exiſtentes; quoniam inter eos ſolùm cadit ordo gradus, &c.* Idem dicit *Torres in tract. de ſucceſſ. in primog. & major. part. 1. cap. 36. §. 17. n. 218. & 227.* Verùm poteſt inter iſtos deſcendentes à diverſis genitoribus ordo primogenituræ conſiderari reſpectu ſtipitis paterni, à quo deſcēdunt, ut dicit *Pereg. de jure fiſci*, ubi in fine adeſt ejus *conſil. unic. de ſucceſſionibus in regiis dignitatibus. n. 25.*

Ex his deducitur, quod quando non ſunt vocatę lineæ ordine ſucceſſivo, ſcilicet poſt lineam primogeniti non eſt vocata linea ſecundogeniti, & ſic deinceps, ſed ſolùm ſunt vocati primogeniti in infinitum, non poteſt collateralis venire ad ſucceſsionem repræſentando lineā ſecundogeniti, ut excludat aliū collateralem proximiorem, qui eſt de linea tertiogeniti, quia de jure communi repræſentatio non extenditur ultra filios fra-

trum,

trum, *Rimipal. conſil. 371. n. 230.* ibi: *Nihilominus mihi placet inſuper adnectere rationē ſatis pulchram; nam quoties verſamur in aliis ſucceſſionibus collateralium, ſivè tranſverſalium, quàm fratrum, & filiorum fratrum, non habet locum jus primogenituræ, quod per repræſentationem inducitur, ut eſt quando tractatur de ſuccedendo Patruo magno.* Idem dicit *Tiraquell. de jure primogen. q. 41. n. 4. Aguir in Apolog. de ſucceſſ. Regni Portugal. p. 2. n. 202. & p. 3. n. 54. Marta in ſumma ſucceſſion. legal. p. 3. q. 1. art. 2. n. 41.* ibi: *Secundò, quia linearum ratio in primogeniis non poteſt haberi ultra fratrum filios, Cammarota reſponſ. 3. art. 1. vol. 2. n. 103. Robles de repræſent. lib. 3. cap. 4. num. 13. & ſeqq. Molin. Theol. diſput. 626. num. 14.*

Ex hac doctrina aliqui inferunt, quod tam in Italia, quàm in Francia, quando teſtator non vocavit lineas, ſed tantùm primogenitos in infinitum, ſi filius primogenitus dicti teſtatoris, qui fideicommiſſum fecit fuit admiſſus, & poſt ejus mortem reliquit nepotes ex filio primogenito, & filium ſecundogenitum, qui ſit ætate major, quàm dicti nepotes, tunc filius iſte ſecundogenitus eſt admittendus excluſis nepotibus ex filio primogenito, qui nec etiam jure repræſentationis poſſunt excludere ſecundogenitum; quia licèt per ſubingreſſionem valeant repræſentare gradum patris, non tamen poſſunt illius repræſentare ætatem, undè repræſentant primogenituram linealem, non naturalem, quæ per nativitatem ante alios habetur; idque ad differentiam ſucceſſionis, quæ de jure Hiſpanorum habetur, ubi in primogeniorum ſucceſſione non ſolùm continuatur, & admittitur linea recta illius, ad quem ſemel ſucceſſio delata fuit, ſed etiam linea illius, ad quem ſemel jus primogenituræ devenit, quamvis majoratus ſucceſsionem nō acquiſiverit, ut dicit *Molin. lib. 3. cap. 6. n. 33. in fin.* & expreſsius *Molin. Theologus diſp. 626. n. 14. Torres in tract. de ſucceſſ. in primog. & major. part. 1. cap. 36. §. 16. n. 196.* Si verò filius primogenitus erat ſuperſtes tempore ſucceſsionis, & ad fideicommiſſum fuit jam admiſſus, non poteſt patruus excludere filium hujus defuncti à ſucceſsione fideicommiſsi ratione majoris ætatis, ut optimè probat *Manſus conſult. 92.* Verùm, quod in fideicommiſſo facto pro primogenitis ſit admittēdus nepos primogeniti, & non filius ſecundogenitus illius, quamvis ætate major probari poteſt, ex

do-

doctrina *Bald. in l. cum antiquioribus. C. de jure deliberandi*; ubi dicit, quod naſcendo primogenitus ſtatim excludit ſecundogenitum, & ideò dum aliquis ſupereſt ex linea primogeniti, nec ſecundogenitus, nec alius de linea ſecundogeniti ad primogenium illud admittēdus eſt.

Idem proportionaliter de feudali ſucceſsione dicunt, ubi vivitur jure Franchorum, nam in feudo paterno indiviſibili nepos ex filio primogenito præmortuo vivo Avo non excludit Patruum ſuum, & ſic filium ſecundogenitum ipſius Avi à ſucceſsione feudi: quia cum feudum deferatur primogenitis, intelligitur de illis, qui in eodem gradu inveniuntur tempore mortis patris, de cujus ſucceſsione agitur *Petr. de Gregor. de ſucceſſ. feud. p.4. n.*10. *Cujac. de feud. lib.*2. *tit.*11. *de grad. ſucced. in feud. verſic. At in jure primogenituræ*; & quia tempore mortis patris non reperitur primogenitus nepos ex filio præmortuo, ſed ejus patruus, qui eſt filius ſecundogenitus ultimi defuncti, ideò patruus excludit nepotem ex filio primogenito à ſucceſsione feudali. Undè *Andreas de Iſern. in cap.* 1. *de ſucceſſ. feud.* & in aliis locis relatis à *Rovit. in prag.*11. *de feud. n.*63. tenet, quod nedum in ſucceſsione collaterali, ſed etiam in ſucceſsione aſcendentium patruus natu major præfertur nepoti ex primogenito, attenta majori ætate, & primogenitura.

Verùm, quod in feudis indiviſibilibus, ubi vivitur jure Franchorum, Nepos ſuccedat Avo excluſo Patruo, quamvis ejus pater ſit præmortuus, expreſsè tradit *Roland. à Valle conſil.* 39. *nu.*51. ubi id tantùm in ſucceſſione tranſverſaliū limitat, ejus verba ſunt: *Quia in materia primogenituræ ſucceditur, ut in materia feudali teſte Celſ. in conſ.*38. *n.*10. *in qua materia feudali nepos ſuccedit avo, licèt pater præmortuus ſit, excluſo patruo: Non ſic in tranſverſali, ut hìc, quia filius ex patre præmortuo non excludit Patruum*. Sed oppoſitū hujus limitationis probat *Rovit. in prag.*11. *de feud. n.*51. *& ſeqq.* ubi etiam aſſerit, quod jus ſuccedendi cum prærogativa primogenituræ eſt tranſmiſibile ad deſcēdentes ex eis, quamvis ſucceſsio illis realiter delata non fuerit, adeoque licèt ipſa primogenitura, quæ perſonalis eſt, non tranſmittatur, tranſmittitur tamen jus ſuccedendi cum prælatione jure primogenituræ, aut ſecundogenituræ: verba ſunt *Rovit. loc. cit. nu.*54. *& ſeqq.* Undè ſententia *Andreæ de Iſern.* ſemper apud omnes

omnes reprobata fuit, præſertim in noſtro Regno, ut patet ex *prima deciſ. Grammat. & Covarr. lib.3. var. cap.5. n.*18. atteſtatur opinionem pro nepote contra Patruum cõſuetudine totius ferè orbis terrarum receptam eſſe. Videas *Billoct. concl.23. n. 12. & 15. Rovit. dec.*51. & quæ nos ſupradiximus in §.4.

Similiter in linea tranſverſali in noſtro Regno, ſi feudatario defuncto ſuperſit frater conſanguineus tantùm natu major, & frater utrinque conjunctus natu minor, & feudum proveniat à patre, tunc admittitur ad ſucceſſionem conſanguineus tantùm, ſtante prærogativa ætatis, ut dicit *Rovit. in prag.*11. *de feud. n.2. & ſeqq. & nu.* 13. *& ſeqq.* quia jure communi feudorum non conſideratur primogenitura, quę per jus Francorum fuit introducta, ſed ad feudalem ſucceſſionē admittuntur omnes illi, qui eodem gradu diſtant à defuncto, ſivè ſint conſanguinei tantùm, ſivè utrinque conjuncti; cum in tali caſu, agnatio ſit in conſideratione, quæ æqualiter eſt in fratre conſanguineo tantùm, & in fratre utrinque conjuncto, nec vinculum Cognationis, quod ultra Agnationis vinculum eſt in fratre utrinque conjuncto, aliquid additamenti affert in ordine ad dictã feudalem ſucceſſionem. Cum ergo per jus Francorum ſit introducta prærogativa ætatis, ſi conſanguineus tantùm eſt natu major, debet excludere utrinque conjunctum natu minorem, cum in utroque ſit eadem proximitas, & eadem ratio Agnationis: concurrentibus autem multis cum eadem proximitate, & cum eadem ratione Agnationis ad feudalem ſucceſſionem, major natu eſt præferendus, quamvis minor natu habeat aliam rationem Cognationis, quæ in feudali ſucceſſione non eſt in principali conſideratione, *Rovit. l. c. n.*43.

Hæc doctrina vera eſt etiam ſtante *Conſtit. Regni*, *Ut de ſucceſſionibus*, quæ licèt admittat fœminas in linea collaterali, ſcilicet ſorores, non tamen ſequitur, quod jus cognationis eſt in conſideratione; quia fœminæ, ſcilicet ſorores, admiſſæ ad ſucceſſionem, virtute dictæ *Conſtit.* non ſunt Cognatæ fratri, ſed Agnatæ, ex eo, quia ab eodem patre deſcendunt: deſcendentes verò ex ſororibus, quia ſunt Cognati, ideò non vocantur in tali *Conſtitut.* ſed poſt fratres vocantur filii fratrum tantùm, *Rovit. in prag.*11. *de feud. n.6. & 7.*

Hinc ad feudum antiquum quod non provenit à matre, ſed

à pa-

à patre, non admittitur ad ſucceſſionem feudi frater uterinus, quamvis natu major, ſed admittitur Conſanguineus tantùm, quamvis natu minor, quia genus Cognationis, per quod conjungitur uterinus non eſt in cõſideratione, *Rovit.l.cit.nu.*10. *& ſeqq.* Immò, quando ſupereſt Agnatus ulterioris gradus, puta filius conſanguinei tantùm, licèt iſte ſit in tertio gradu, tamen præfertur Cognatis, ſcilicet cõjunctis ex genere Cognationis, quamvis iſti ſint in ſecundo gradu, & ità filius fratris Conſanguinei tantùm excludit fratrem uterinum à ſucceſſione feudi, *Rovit.l.c.n.*18. quamvis *n.*23. dicat, quod hoc eſt verum, quando inveſtitura eſt facta *pro te, hæredibus ex corpore*, nam tunc frater uterinus, quia non deſcendit ex corpore primi acquirentis, ideò nullo modo eſt comprehenſus in inveſtitura; at quando inveſtitura eſſet *pro te, & hæredibus*, ſimpliciter, tunc frater uterinus etiam eſt vocatus in feudo paterno, ſecundùm probabilem opinionem.

Ex dictis igitur patet, quod valdè dubia eſt reſolutio propoſitæ controverſiæ, an ſcilicet in ſucceſſione fideicommiſſi gradus vincat lineam, an verò è contra, nam pro utraque parte ſunt *DD.* & rationes.

Mihi tamen magis arridet opinio, quod in tali caſu linea vincit gradum, & ætatem; iſtamque probo. Primò, dum conſtituens fideicõmiſſum vult, quod bona perpetuò ad unum ſolum devenire debeant, ſine dubio eſt judicandum illum verum primogenium conſtituere voluiſſe, *Fontanell.dec.*32.*nu.*8. *ex Roder. Suar. in l. quoniam in prioribus. ampliat.*10.*nu.*26. *C. de inoffic.teſtam. Surd.conſil.*375.*n.*16. *Fuſar. de ſubſtit.qu.*356.*num.*4. *Gam.deciſ.*224.*n.*10. ibi: *Nam voluit, ut perpetuò duraret, quæ perpetuitas majoratum intrinſecè ſignificat.* Sed natura veri primogenei, etiã in noſtro Regno eſt, quod tantùm primogenitus ſuccedat, & quod linea vincat gradum, & ætatem, ergo dum fideicommittens vult, quod bona ad unum ſolùm perpetuò devenire debeant, ſcilicet ad primogenitũ, & de primogenito in primogenitum, linea vincere debet gradum, & ætatem. Probatur minor. Tum primò, quia primogeniturarũ principalis effectus eſt, & ad hoc ordinatur, ut bona unita, & indiviſa in unum continuentur pro dignitate familiæ, & perpetua bonorum in ea conſervatione, ergo dicta bona ſunt danda illi, qui familiam teſtatoris repræſentat; atqui in noſtro Re-

Regno familia per primogenitum, ejuſque lineam principaliter repræſentatur, ergo, &c. Tum ſecundò, quia ſi aliter in noſtro Regno diceretur, ſequeretur, quod bona ſubjecta fideicommiſſo poſſent dividi contra voluntatem fideicōmittentis: nam ſupponamus, quod fideicommittens relinquat tres filios, & ad fideicommiſſum ab ipſo ordinatum voluit, quod eorum filii primogeniti in infinitum ſuccederent, cum expreſſa prohibitione, quod bona nō dividantur, ſi moriatur unus ex dictis filiis relictis nepote ex filio primogenito, & nepote ex filio ſecundogenito, qui nepotes ſupponamus, quod eodem tempore ſint nati, ità ut majoritas ætatis non habetur, in tali caſu dicti nepotes æqualiter eſſent admittendi ad bona fideicommiſſo ſubjecta, cum ſint in pari gradu, & ita dicta bona dividerētur contra voluntatem teſtatoris: ergo neceſſariò dicendum, quod tantùm nepos ex filio primogenito ſuccedere debet.

Advertas, quod aliter eſt diſcurrendū quando quis ad fideicommiſſum vocavit ſuum filium primogenitum, & primogenitos ab illo deſcendentes in infinitū, ac quando ſingulis ſuis filiis fecit fideicommiſſum diſtinctum, vocando tamen ad bona ſubjecta fideicommiſſo ſemper primogenitos deſcēdentes ab ipſis, & in eorum defectum familiam dicti fideicommittentis: Nam in primo caſu ſemper linea primogeniti præfertur excludendo ſecundogenitum, ejuſque lineam, ſicut de facto à fideicōmittente fuit ſecundogenitus excluſus, & tantùm primogenitus admiſſus; deficiente verò linea primogeniti, eſt admittendus ille, qui primogenitum dictæ familiæ repręſentat, & locum occupat, quia in fideicommiſſis primogeneis primo conſideratur linea, ſecundo gradus, tertio ſexus, & ultimo loco ætas, *Fontanell. to. p. dec. 34. n. 4. & ſeq.* In ſecundo verò caſu eodem modo dicendum, quando quilibet ex dictis filiis ſuos deſcendentes relinquit; ſi verò unus ex dictis filiis, puta ſecundogenitus moriatur ſine deſcendentibus, relictis tantùm deſcendentibus ex ſuo fratre primogenito, & fratre tertiogenito, tunc proximior in gradu præfertur, & ex pluribus proximioribus admittitur ille, qui eſt ætate major: quod ſi tantùm reperiantur duo nepotes ex dictis fratribus, qui tamen eodem tempore ſint nati, itaut de majoritate ætatis nō appareat, tunc dici poteſt, quod ad dicta bona

ve-

veniunt dicti nepotes illa poſſidendo pro indiviſo, juxtà tradita per *Fontanell. to. p. dec. 31. n. 7. & dec. 32. n. 26. & ſeqq. facit tex. in cap. 1. de natura ſucceſs. feud.* ibi: *ad ſolos, & ad omnes, qui ex illa linea ſunt, ex qua iſte fuit,* & ibi: *ſed omnibus ex hac linea deficientibus, omnes aliæ lineæ æqualiter vocantur*; vel poteſt dici, quod deſcendens ex primogenito, vel ab illo, qui primogeniti locum occupat ſit admittendus, ex eo quia ipſe familiam principaliter repræſentat, *Fuſar. in tract. de ſubſtit. q. 356. n. 7. Fontanell. dicta dec. 32. n. 2. 16. & 21. Gratian. diſcept. forenſ. 834. n. 8. lib. 5.* ubi dicit, decorem familiæ per primogenitum conſervari; cum ergo fideicommittens in defectum deſcendentium vocavit ejus familiam, intelligitur vocatus ille, qui familiam conſervat, & repręſentat.

Advertas ulterius, quod valdè notandum eſt, an fideicommittens vocavit proximiores ad fideicommiſſum, an verò primogenitos in infinitum, quia ſi vocavit proximiores, non habetur ratio lineæ in tali caſu, ſed ille, qui proximior reperitur in quacumq; linea admittitur ad ſucceſſionem: quando verò ſunt vocati primogeniti in infinitum, tunc de linea eſt habenda ratio, *Fontanell. to. p. dec. 35. nu. 20.*

Et quod linea vincat gradum non ſolùm in fideicommiſſis, & majoratibus, in quibus ſucceditur jure primogenituræ, ſed etiã in aliis quibuſcumque fideicommiſſis familiæ relictis perpetuo, tametſi abſque qualitate primogenituræ, itaut non admittantur illi, qui ſunt in alia linea, quamvis æquales in gradu, vel etiam proximiores, donec evacuata ſit linea poſſeſſoris, in quam ſemel ſucceſſio intravit, expreſsè tenet *Fontanell. dicta dec. 35. n. p. 6. & ſeqq.* ubi n. 11. dicit, *quod tanti faciunt DD. hanc lineæ prærogativam, ut dicant, quod etiam ſi teſtator declarat ſuam intentionem, quod velit præferre maſculos fœminis, cum ſolita clauſula, maſculos fœminis præferendo, id intelligatur exiſtentibus maſculo, & fœmina in eadem linea, ſi enim maſculus eſt in diverſa, & fœmina in admiſſa, non admittitur maſculus, ſed præfertur fœmina.*

Nec obſtare dicit *tex. in l. cum ita. §. in fideicommiſſo, & in l. peto. §. fratre. D. de legat. 2. cum concordantibus*, ubi diſponitur, quod in fideicommiſſis familiæ relictis abſque primogenituræ qualitate, ſi plures de familia reperiantur in eodem gradu, omnes ſimul, & pariformiter ſuccedunt: Nam id non proce-

dere dicit, quando ſemel ſucceſſio ingreſſa fuit unam lineam, & adhuc ſuperſunt alii de linea admiſſa, quia in tali caſu, ſolus ſuperſtes ex illa linea eſt admittendus, excluſis omnibus aliarũ linearum, quamvis gradu ſint æquales, imò proximiores; Videas *Fontanell. l.cit.n.17.*

Probatur ſecundo, quia dum fideicõmittens vocavit primogenitos in infinitum, videtur illos vocaſſe eo modo, quo ſecundùm leges noſtri Regni ſunt vocati primogeniti ad feudalem ſucceſſionem. Sed in noſtro Regno in feudali ſucceſſione linea vincit gradum, & ætatem, ergo idem dicendum in ſucceſſione fideicommiſſi. Major communiter à *DD.* admittitur, inter quos numerantur, *Bald. in l.cum antiquioribus. C.de jur. deliber. Peregr. conſil.33.n.25. vol. 2. Valanzuol. conſil.69.n.64. Tiraquell. de jure primogen.q.23.n.10.& q.40. n.99. Joan. le Cyrier.de primogen. q.4. n.10. Socc. Sen. conſil.47.n.4. & ſeqq. lib. 3. Cephal. conſil. 27. n.70. conſ.251. n.40. & conſ.252. n.16. Marta in ſumma ſucceſs.legal.p.3.q.p.a.2. n.50. & ſeqq. Pariſ. conſil. 72. n. 74. lib.4. Covar. lib.3. var. cap. 5. n. 5. Roland. à Valle conſil.39. n.51. & alii multi.* Minor etiam patet, quia in noſtro Regno ſemper ac adeſt aliquis de linea primogeniti, excludit ſecundogenitum, non ſolùm in linea deſcendentium, ſed etiam in linea collateralium, ut ſupra dictum eſt, & tradit *Peregrin. in ſuo conſil.unic.de ſucceſſion. in regiis dignitat.* quod impreſſum reperitur poſt tractatum de jure fiſci; & licèt *Andre. de Iſern. in cap.1. de ſucceſs. feud. & in cap. imperialem. §. præterea ducatus. de prohib.t. feud. alienat. per Federic.* & in aliis capitulis fuerit in ea opinione, quòd non ſolùm in ſucceſſione collaterali, ſed etiam in ſucceſſione aſcendentium, patruus natu major ſit præferendus nepoti ex primogenito, attenta majori ætate, tamen talis opinio fuit ſemper apud omnes reprobata, & præſertim in noſtro Regno, ut patet ex *Grammat. dec. 1. & Covarr. lib.3. var. cap.5. n.18.* atteſtatur opinionem pro nepote contra Patruum conſuetudine totius fere orbis terrarum receptam eſſe, idem dicit *practicar. qq. cap.38. n.6. Rovit. prag.11. de feud. n.63. & ſeqq.* ubi pro nepote judicatum refert.

Hinc infertur, quod ſi filius primogenitus, qui ad fideicommiſſum venit, relinquat poſt ſe nepotem majorem natu ex filio ſecundogenito, & nepotem natum minorem ex ſuo filio primogenito,

nito, talis nepos natu minor præferendus eſt in ſucceſſione fideicommiſſi, ſicut præferendus eſſet in feudali ſucceſſione, quia ſemper, ac ſupereſt aliquis de linea primogeniti, nec ſecundogenitus, nec alius de linea ſecundogeniti ad primogenitum illud admittendus eſt, *Molin. de Hiſpan. primog. lib. 3. cap. 6. n. 29. & ſeq.* Videas *Covar. dict. cap. 38. n. 6.* ubi probat, quod id procedit etiam de jure communi ex conjecturata mente teſtatoris, ergo falſum eſt, quod tantùm jure Hiſpanorum eſt regulanda ſucceſſio habito reſpectu ad lineas.

§. VII.

De Conjunctis, qui ad Bonorum poſſeſſionem admitti poſſunt.

SEptimo jure Civili neceſſaria eſt ſcientia numerationis graduum pro regulanda bonorum poſſeſſione; quia bonorum poſſeſſio unde Cognati defertur Cognatis uſque ad ſeptimum gradum tantùm, *l. p. §. hac autem. D. unde Cognat.* Bonorum verò poſſeſſio unde Agnati defertur uſque ad decimum gradum, *§. fin. inſtitut. de ſucceſs. Cognat.* quæ bonorum poſſeſſio etiam hodie neceſſaria eſt in pluribus cauſis enumeratis *à Jo: Dilecto Durante de arte teſtandi tit. 11. cautel. 14. n. 2.* Similiter eſt neceſſaria pro expeditione præambuli in linea transverſali, nam non expeditur, niſi probetur gradus, & quod non eſt alius proximior, *Sanfelic. to. p. dec. 25. n. 5.* Quid autem, & quotuplex ſit bonorum poſſeſſio, paſſim traditur à DD. & Inſtitutiſtis res nota eſt, ideò in illius explicatione non immorandum.

§. VIII.

De Conjunctis citandis in cauſa Forjudicationis, ac de Conjunctis comprehenſis in Banno.

OCtavo jure Civili neceſſaria eſt ſcientia cognationum, & graduum pro aliquo forjudicando, nam jure noſtri Regni

gni ad hoc ut poſſit pronunciari ſententia forjudicationis neceſſariò debet intervenire citatio forjudicandi, quæ neceſſariò eſt facienda in ea domo, in qua habitat familia ipſius forjudicandi, & etiam requiritur citatio omnium Affinium, Agnatorum, & Cognatorum exiſtentium in Civitate, & in locis convicinis, ſpecialiter, & ſigillatim, non autem generaliter, & per proclama, *Rovit. in rubric. de ſentent. forjudicat. n.3. Franch dec.514. & 516. Capyc. latr. dec.74. n.28.* Si verò Agnati, Affines, & Cognati ſint abſentes à Regno, tunc citantur per edictum, *Gizz. ad Capyc. latr. l. cit. n.7.* Iſti Agnati, Cognati, & Affines citantur, quia gravantur ad exfractandum, adeoque relevari, & audiri debent etiam pro citato abſente, & poſſunt excipere de juribus citato competentibus, etiam ſi innocentiam concernant, *Danza de pugn. DD. tom.3. tit. de variar. cognit. cap.4. n.36. & ſeqq. & tit. de ſentent. forjudicat. cap. 2. n.13. & ſeqq.*

Conjunctis autem bannitorũ imponitur pœna exfractationis uſque ad quartum gradum de jure civili *prag. p. tit. de exulibus, Danza de pugn. DD. to.2. tit. de armatione per campaneam cap. 6.* ubi *n.39.* dicit, *quod conjuncti banditorum uſque ad decimum gradum poſſunt etiam gravari pœna hoſpitiorum propriis ſumptibus, & ideo iſti ſunt citandi, quia etiam de eorum intereſſe agitur.*

Sunt ergo citandi tam magis ſtricti, quã minus ſtricti conjuncti quando proceditur ad ſententiam forjudicationis, quia poteſt eſſe, quod unus poſſet allegare aliquas rationes aliis incognitas, ſtrictioribus tamen præcipuè facienda eſt citatio, quibus ſcilicet proxima ſpes eſt ſucceſſionis, & quando iſti fuerunt citati, non poteſt impediri ſententia forjudicationis, quamvis compareant alii conjuncti, & opponant ipſos non fuiſſe citatos; unde ſi filii forjudicandi fuerunt citati, pater verò, & frater forjudicandi non fuerunt citati, non poteſt ex hoc impediri ſententia forjudicationis, ut deciſum refert, *Sanfelic. dec. 225. n.7.*

In ſententia autem Banni, bannito Franciſco, & omnibus de ejus linea, fratres Franciſci non continentur, *Nellus in tract. Bannitor. p.p. primi temporis in 9. q. n.34. & ſeqq.* quia linea alicujus accipitur ſurſum, & deorſum, non verò per tranſverſum, *Peregr. de fideicom. art.22. n.34.* Sicut etiam bannita familia Frãciſci poteſt dici, quod quinta gene-

generatio non comprehenditur, quia familia quartam generationem non excedit, *Bart. in Auth. de reſtit. fideicommiſ. n. 2. & 3.* ubi dicit, quod prohibitio alienationis facta, ut perpetuò res permaneat in familia, & non exeat de nomine teſtatoris, non extenditur ultra quartam generationem, unde ultimus de familia ſuperſtes poteſt rem ad eũ venientem liberè alienare, quæ doctrina *Bart.* limitatur quando teſtator prohibendo alienationem dixit, volo, ut bona perpetuò remaneant apud meos deſcendentes, quia tunc in infinitum illa prohibitio extenditur, *Dec. conſil. 23. n. 4. Covarr. 3. variar. cap. 5. n. 4. verſic. ſecundum quod.*

§. *IX.*

De Pace, & Tregua facienda à Conjunctis.

NOno jure Civili neceſſaria eſt cognitio cognationum, & graduum pro pace, & tregua facienda, *Sanfelic. dec. 25. 27. & 383. Brogn. Cavalc. dec. 22. Jul. Clar. in §. fin. q. 58. verſic. Sed punctus eſt*, ubi dicit, quod licet tranſactio, ſeu remiſſio facta per proximiorem offenſi non impediat, quominus alius ſequens in gradu poſſit accuſare, de jure communi; tamen de conſuetudine ſervatur, quod ubi primus in gradu remittit, non poſſunt alii accuſare, niſi prout poſſet quilibet extraneus, & ita ſemper in practica obſervari vidit, quod remiſſio proximioris, tollit aliis facultatem accuſandi, & verſic. *Viſum eſt*, dicit, quod quando offenſus eſt mortuus, jus faciendæ pacis, ſeu remiſſionis ad ejus proximiores ſpectat, eo ordine, ut qui præfertur in accuſatione, præfertur etiam in remiſſione facienda, *Cancer. variar. reſolut. p. 2. cap. 11. de tregua, & pace n. 62.*

Aliquando remiſſio facta à proximioribus non ſufficit, ſed requiritur remiſſio exiſtentis in ulteriori gradu, puta ſi pater occidat Uxorem, tunc non ſufficit remiſſio habita à filiis communibus ipſius uxoricidæ, & uxoris occiſæ, ſed requiritur remiſſio facta à fratre, & attinentibus ipſius uxoris, *Clar. d. q. 58. verſic. Contigit etiam aliquando.* Videas *Boſſium in tit. de Pace.* Similiter

jus

jus faciendi pacem, ſeu remiſſionem poteſt competere,& ſanguinis, & bonorum hæredibus, & ſic mors defuncti poteſt vindicari jure ſanguinis à filiis, & ipſis deficientibus ab aliis proximioribus defuncto, & etiam vindicari poteſt ab extraneo, qui eſt hæres bonorum,& ſic requiritur,quod remiſſio ab omnibus iſtis habeatur,quando unus eſt hæres ſanguinis, & alter eſt hæres bonorum, *Cancer.l.cit. n.64. & ſeqq.* ubi n. 70. dicit, quod quando plures ſunt hęredes ſanguinis, & bonorum, non ſufficit remiſſió facta à majori parte, ſed omnes in remittendo debent conſentire;idque ſpecialiter reperitur ſtatutum in noſtro Regno, *ex prag. 7. de compoſition. & commutat. pœnar.* ubi omnes,qui ſunt in eodem proximo gradu ſucceſſionis remittere debent, ſed quando remiſſio eſt habita ab hęrede ſanguinis non requiritur remiſſio hęredis extranei, ut dicit *Sanfelię. dec. 27. n.13.* quem videas.

Quando offenſus ſuam remittit injuriam,poſſunt alii conſanguinei accuſare *DD.* communiter in *l.tranſigere. C. de tranſact. Marant. in ſpecul. aur. p.6. verſ. de inquiſitione n. 61.* ubi dicit, quod collateralis, puta frater ſi vult agere civiliter ad ęſtimationem injurię, non poteſt,quia offenſio non eſt ſua propria, nec poteſt proprio nomine agere,ſed tantùm dolet de injuria collateralis, ſcilicet fratris, & aliquod intereſſe pretendit ratione affectionis; poteſt tamen agere criminaliter ad vindictam publicam, & ſic poteſt accuſare, quia ſua intereſt fratrem non offendi, adeoque tanquam proſequens injuriam ſuorum debet admitti, unde in libello debet dicere, quod agit pro injuria conjuncti ratione intereſſe ſanguinis, ad publicam vindictam. Fallit tamen hoc in patre habente plures filios, quorum ſi unus eſt offenſus, actio competit patri,qui poteſt etiam filio invito injuriam remittere, & tunc alii *filii* offenſi non poſſunt pro dicta injuria, agere, nec aliquem accuſare,niſi pater eſset vilis perſona, & filius honeſta, vel *niſi injuria* eſſet illata à perſona conjuncta filio,quia tunc pater illam remittere non poteſt, ut diſcurrit, *Marant. l.cit. n 67. & ſeqq.* Pro iſta remiſſione facienda videas, *Caravit.rit.191.n.9.& ſeqq. Hipolit. de Marſil. ſingular. 653. Sanfelic. dec.26.*

Requiritur igitur in remiſſione facta à conjunctis defuncti, quod probetur gradus conjunctionis, unde eſt neceſse proba-

re ſigillatim ſingulos gradus conſanguinitatis, & clara computatione diſtinguere, quia non omnis conjunctus admittitur, ſed tantum is, qui poteſt ſuccedere, ſi eſt omnium proximus *Sanſelic. tom. 1. dec. 25. & 27. Pragm. 7. de compoſitionibus, & commutat. pœn.*; jus autem remittendi in linea collaterali, uſque ad decimum gradum, in linea verò recta, uſque in infinitum cōpetit, quia ita regulatur ſucceſſio, ut dicitur *Severin. ad Sanſelic. dec. 394. & colligitur ex prag. 7. de compoſit. & commutat. pœnar.* de jure tamen communi Naturalis, ſeù Baſtardus admittitur, tanquam ſuus ad accuſandum, & querelandum pro nece, ſeù injuria in perſonam alicujus de genere *Rovit. dec. 25. ubi Altimar.*

Hinc quando teſtes deponunt ſuper conſanguinitate, debent ſigillatim ſingulos gradus conſanguinitatis probare, & clara computatione diſtinguere *cap, tua nos. 7. de conſanguin. & affinit. cap. licet ex quadam de teſtib. Anna ſingular. 102. Sanfelic. dec. 25. n. 4. Gallup. par. 1. prax. cap. 4. num. 31. & ſeq.*

§. X.

De compromiſſis faciendis inter conjunctos.

DEcimo; cognitio graduum, & cognationum ſpecialiter deſervit in noſtro Regno pro compromiſſis faciendis *ex prag. 1. de arbitris*, nam inter conjunctos, uſque ad quartum gradum conſanguinitatis, vel affinitatis incluſivè (computatione facta ſecundum jus civile) in cauſis civilibus, & mixtis poteſt peti compromiſſum *Marant. in prax. par. 6. tit. de compromiſs. n. 1.* & qui compromiſſum petit debet probare qualitatem conſanguinitatis, vel affinitatis in quarto gradu *Anibal Troyſius in pragm. 1. de arbitris n. 4.* qui enim petit aliquid tanquam talis, debet probare ſe talem *Marc. Ant. Blanci de compromiſſis qu. 3. num. 6. Foller. in pract. crim. in rubric. Audiantur exceptiones proponenda. num. 12.* In aliis verò locis inter conjunctos, uſque ad tertium gradum tenetur judex ad petitionem unius compromiſſum ordinare *Bartol. conſ. 28. & qu. 2. Blanc. l. cit.*

l. cit. qu. 1. num. 16.

Quando ſtatutum dicit, quod cauſæ inter affines compromittatur, mortuo filio, ſi Nurus petit dotem à Socero, talis cauſa non eſt compromittenda altero invito, quia per mortem filii diſſoluta eſt affinitas inter illos de jure Civili, quamvis jure Canonico duret affinitas, quoad prohibitionem matrimonii, ut notat *Paul. de Caſtr. in l. fin. n. 5. C. de verb. ſignif. Uſill. ad Affl. dec. 46. num.* 14.

Advertas, quod quando ſtatum diſponit, quod inter propinquos peti poteſt compromiſſum, & ultra verbum propinquos nihil aliud exprimit, nomine propinquorum non venit Vir, nec Uxor, nec Socer, nec Gener, nec alii affines *l. 1. C. unde Vir, & Uxor*, ubi *Bartol. Alexand. Jaſ. & Dec. l. fin. ubi DD. C. de verb. ſignif. Marc. Anton. Blanci de compromiſſ. qu.* 1. *num.* 11. Quando verò ſtatutum vult, quod inter conjunctos fiat compromiſſum, tunc nomine conjunctorum veniunt Parentes, Liberi, Frater, Soror, Uxor, Socer, Socrus, Gener, Nurus, Vitricus, Noverca, Privigna *Bald. in l. 1. §. fin. D. de poſtuland.* Inſuper conjunctæ perſonæ dicuntur, uſque ad quartum gradum, *l. petitionem §. egredientes. C. de advocat. diverſ. iudic.* & aliquando, uſque ad ſeptimum gradum dicuntur conjunctæ perſonæ, *Bald. in cap. nonnulli. de reſcript. Barb. in l. cum acutiſſimi. C. de fideicommiſ. Marc. Anton. Blanc. l. cit. n. 12. & ſeq.* Cum autem ſtatutum etiam determinet gradus inter quos ſit faciendum compromiſſum, ideò extra illum gradum non poſſunt partes compelli ad compromittendum.

Quando ſtatutum vult, quod inter agnatos in certo gradu poſſit peti compromiſſum, filius emancipatus quando litigat cũ alio fratre exiſtente ſub poteſtate, vel cum alio conjuncto infra gradum à ſtatuto vocatum, poteſt petere compromiſſum, quia licet per emancipationem tollatur Agnatio, *§. fin. inſtit. de legit. agnat. tutel. §. minima. inſtit. de capit. diminut. l. capitis. D. de ſuis, & legitimis l. tutelam. D. de capit. diminut.* tamen quia emancipati habẽt jura agnationis, vel habent utilem agnationem, ideò emancipati largo modo dicuntur agnati, videas *Marc. Anton. Blanc. de compromiſſ. qu. 3. num. 1. & 2.*

Circa filios legitimatos poteſt eſſe difficultas, an comprehendantur in ſtatuto dum agnatos nominat. E quidem certum eſt, quod

quod legitimati per ſubſequens matrimonium comprehendũtur, quia iſti propriè ſunt agnati legitimi, & naturales *Abbas in cap. tanta. qui filii ſint legit.* Secundo legitimati per oblationem curiæ non comprehenduntur in ſtatuto loquente de agnatis, quia iſti tantum patri agnoſcuntur, non verò aliis agnatis *l. communium. C. de natural. liber. ubi Bart. & Bald.* Tertio filios legitimatos per reſcriptum principis poſſe petere compromiſſum virtute ſtatuti tenet *Marc. Ant. Blanc. l. cit. ſub n. 3.* ubi ſolvit rationes aliorum oppoſitã ſentẽtiam defendentium, nam iſti taliter legitimati cõſervant agnationem, & veniunt ad ſucceſſionem agnatorum, & ita legitimati per reſcriptum principis non ſolum agnoſcuntur Patri, ſed etiam aliis agnatis, quamvis illorum conſenſus non intervenerit. Vide quæ diximus ſupra in §. 2. *diſp. 1. qu. 6. & quæ traduntur à Blanc. l. cit.*

Non poſſunt virtute ſtatuti cõpromiſſum petere. Primo perjuri, qui contra inſtrumentum juratum venerũt. Secundo Banniti. Tertio Clerici. Quarto Spurii legitimati, ut dicit *Urſill. ad Afflict. dec. 46. num. 6. & ſeqq.* Quinto illegitimi; ſed quia plures ſunt ſpecies illegitimorum, ideo dicimus quod filius naturalis tantum poteſt petere compromiſſum, ut tenet *Blanc. dicta qu. 3. num. 7.* contra alios oppoſitum aſſerentes, *& num. 8. ac 9.* iſte tamen naturalis, abſque ullo dubio poteſt cõpellere agnatos, & cognatos ex parte matris ad compromittendũ *Blanc. l. cit. num. 10.* Spurii verò qui ſunt nati ex coitu à jure reprobato, ſive talis coitus parentum ſit accuſabilis, ſive non, ut ſunt filii nati ex meretrice, nati ex adulterio, inceſtu, ex ſacrilegio &c. non poſſunt virtute ſtatuti compromiſſum petere, quia agnationis jura non habent, & filii nominari non poſſunt. Videas *Blanc. l. cit. nu. 13. & ſeq. qui num. 15. dicit,* quod ſpurii quando ſunt nati ex coitu non punibili poſſunt compellere propinquos matris ad compromittendum, ſecus verò quando ſunt nati ex coitu punibili. Filii adoptivi adoptione perfecta poſſunt compellere ad compromittendum non ſolum agnatos patris naturalis, ſed etiam patris adoptivi; quod tamen limitatur ſoluta adoptione: adoptatus verò adoptione ſimplici licet poſſit compellere patrem adoptantem; non tamen poteſt compellere propinquos patris adoptivi ad compromittendum *Blanc. l. cit. n. 16. & ſeqq.*

De Clericis agnatis, vel cognatis eſt maxima quęſtio inter DD. an poſſint dicti Clerici petere compromiſſum virtute ſtatuti, vel compelli ad compromittendum, de qua re optimè pertractat *Blanc. dict. qu. 3. num. 32.* ubi negativam ſentētiam tenet, & probat, contra multos; idem tenet *Urſill. ad Afflict. dec. 46. ut ſupra diximus.*

Affines qui ſub ſtatuto comprehenduntur ſunt Sponſus, & Sponſa quando per verba de preſenti contraxerunt, idem probabiliter dici poteſt quando contraxerunt per verba de futuro, quia ſumus in materia favorabili, ut probat *Blanc. dicta qu. 3. nu. 21.* Secundo continetur Vir, & Uxor quando ſtatutum fecit mentionem de affinibus, ſecus verò quando mentionem fecit de propinquis, & conſanguineis *Blanc. l. cit. ſub n. 21. ubi ſub n. 23.* probat, quod ſoluto matrimonio ſuperſtes nō poteſt cōpellere propinquos mortui ad compromittendum, etiam ſi ſuperſtes in viduitate permaneat, faciunt tradita per *Fontanell. tom. 1. dec. 13. n. 1. & ſeqq.*

§. *XI.*

De Accuſationibus inſtituendis.

UNdecimo jure civili neceſſaria eſt ſcientia Cognationum, & graduum pro accuſationibus inſtituendis in delictis privatis, in quibus non admittitur niſi ille, cujus intereſt pro ſua, vel ſuorum injuria *Sanfelic. dec. 394. num. 18. ubi addit. Severin.* ſiquidem inter eos, qui ſuam, vel ſuorum proſequuntur injuriam, proximior præfertur, & quando omnes ſunt in pari gradu, omnes ſimul admittuntur *Jul. Clar. in §. fin. quæſt. 15. verſic. ſucceſſivè quæro.* Similiter omnes illi qui à jure accuſare prohibentur, indiſtinctè admittuntur, quando proſequuntur ſuam, vel ſuorum injuriam *l. bi tamen omnes. D. de accuſat. Jul. Clar. l. cit. quæſt. 14. verſic. Volo etiam*, ubi ponit quinam ſunt illi qui in hoc propoſito veniunt appellatione ſuorum, & dicit, quod veniunt Parentes, & deſcendentes omnes; item Patroni, & Patronæ, ac eorum liberi; inſuper Frater, Soror, Uxor, Socer, Socrus, Gener, Nurus, Vitricus, Noverca, & Privignus. Dif-

Difficultas tamen eſſe poteſt, uſque ad quem gradum conjuncti admitti poſſunt ad accuſandum; in qua difficultate plures ſunt DD. opiniones de quibus *Marant. in ſpecul. aur. par. 6. verſic. de inquiſione. n. 62. Addit. Severin. ad Sanfelic. deciſ. 394.* Primo aliqui tenent, quod veniunt conjuncti, uſque ad quartum gradum. Secundo alii dicũt, quod veniunt conjuncti, uſque ad ſextum gradum, & ſic uſque ad ſobrinos, qui de jure civili ſunt in ſexto gradu, quam opinionem amplectitur *Maranta l. cit. n.° 72.* ubi etiam dicit, quod ſi aliquis cõjunctus ultrà ſextum gradum agere vellet de injuria conjuncti, non deberet admitti, quia non numeratur in numero ſuorum, ut etiam tenet *Caravit. in Rit. M.C.V. 191. n. 2.* Tertio alii aſſerunt quod conjuncti uſque ad ſeptimum gradum admittuntur *Pariſ. vol. 2. conſil. 49. nu. 11.* Quarto alii tenent, quod tranſverſales, uſq; ad decimum gradum admittuntur ad accuſandum, & iſtis deficientibus, admittitur Vir, vel Uxor, ſicut de ſucceſſione dictũ eſt. Videas *Sanfelic. dec. 26. n. 2. & 3.* quam opinionem tenet *Severin. ad Sanfelic. dicta dec. 394. ubi alios DD. refert*. Quando verò injuria eſſet cõtra Divinam religionem, vel contra Patriam, quia propria injuria omnium eſt; quilibet poteſt illam proſequi tanquam propriam *Marant. l. cit. num. 63.*

Iſti conjuncti non admittuntur ad accuſandum niſi probent ſe eſſe tales, quales ſe dicunt, quando pars adverſa inſtaret *Caravit. l. cit. n. 7. ex l. non ignorat. C. de ijs qui accuſare non poſſunt*, quia qui tanquam talis vult admitti, debet probare ſe eſſe talem *d. l. non ignorat. ubi Bàrt. Bald. & Salic.* in omni enim judicio, tam civili, quam criminali prius de perſona querendum eſt *l. ſi queramus. D. de teſtam.* unde fit, quod ex defectu perſonæ minus legitimæ, tam rei, quam actoris, proceſſus, etiã criminalis redditur nullus, & quando deficit legitimus accuſator non eſt defatigandus reus *cap. 1: de accuſat. Sanfel. dec. 394. num. 12. & ſeq. Foller. in pract. crim. in rubric. Audiantur exceptiones proponendæ num. 12.*

Difficultas etiam eſt an fœmina ſit admittenda ad quærelandum cõcurrentibus hęredibus maſculis in eodem gradu, præſertim in noſtro Regno *ex prag. 7. de compoſition. & commutat. pœnarum*, ubi illi tantum admittuntur ad accuſandum, & remittendum, qui ad ſucceſſionem admittuntur

tur,fęmine autem per Conſtitutionem. *In aliquibus* excluduntur à ſucceſſione, & tantum paragium eis competit.

Hanc quæſtionem examinat *Reg. Sanfelic. dec.*27. & concludit, quod jus remiſſionis competit jure ſanguinis, & jure hæreditario, & utraque qualitas requiritur ex dičta *prag.* 7. non tamen requiritur quod actualiter ſit hæres, ſed ſatis eſt ſi hæreditas delata ſit, & delata dicitur quando quis adeundo illā conſequi poteſt, *l. delata. D. de verb. ſignif.* & quia fęminæ in Regno, ſtantibus maſculis ſuccedere non poſſunt, ideò illis non defertur hæreditas, & ſic nō habent jus remittendi,quando concurrit maſculus,& hęres, unde ſi nullus maſculus hæres concurreret,tunc fœmina accuſare, & remittere poteſt, hæc,& alia ad id facientia traduntur a *Sanſel. l. cit.* ubi habes rationes pro utraque parte. Si verò mulier non eſſet dotata, ſed concurret ad ſucceſſionem cum fratribus, tunc etiam ad ipſam ſpečtaret jus faciendi remiſſionem, *ita Mucci ad Sanſel. l. cit. nu.6.* de qua re iterum egit *idem Reg. Sanſel. dec.*401. ubi dicit, quod id remittendum eſt arbitrio judicis inſpectis qualitatibus in caſu occurrentibus.

Ex hac determinatione plura inferūtur. Primo quod inſtituto per defunčtum aliquo extraneo hærede, jus remittendi competit proximiori, licet non ſit hæres,quia quoad ſe dicitur hęreditas delata, cum poterat ſuccedere *Mucci ad Sanſelic.dec.*27. *num.3. ex Francb. dec.* 611. Secundo infertur quod illegitimi, & naturales, quibus non defertur hæreditas defunči non habent jus remittendi de jure Regni *Mucci l.cit. n.*8.Tertio infertur,quod filio repudianti hæreditatem competit jus remittendi, quia quoad ipſum hæreditas dicitur delata *Mucci l. cit. n.* 9. *& 10.*ubi idem dicit de filiis exhęredatis, ex ea ratione, *quia* licet quis inſtituat *hæredem* extraneum, non ex hoc frater occiſi non habet jus remittendi, ergo pariter, licet filius ſit exhæredatus, non proindè non debet jus remiſſionis habere. Sed hæc ratio valida non eſt, quia jus remiſſionis primario competit proximioribus cōjunčtis, ſuperadditur tamen qualitas hæredis jure noſtri regni,unde quando adeſt hæres qui etiā eſt conjunčtus, iſte præfertur conjunčto non hæredi, quando verò hæres eſt extranus, & conjunčtus non eſt hæres, tunc conjunčtus præfertur hæredi, &

ideò

ideo ſi unus ex filiis ſit exhæredatus, & alii ſint inſtituti hæredes, jus remiſſionis non competit exhæredato, ſed competit aliis, qui ſunt inſtituti hæredes, eo proportionali modo, quo de fœmina dictum eſt. Quarto infertur, quod mater quoties eſt habilis ad ſuccedendum filio, habet jus remittendi *Mucci l.cit. n.13.* Quinto infertur, quod ſoror, quæ renunciavit ſucceſſioni fraternæ habet jus remittendi, attento jure Regni, aliter tamen eſt de jure cõſuetudinario hujus Civitatis, quia fęmine per Conſtitut. *In aliquibus*, ſunt excluſę per exiſtentiam maſculorum à ſucceſſione aſcendentium, non verò a ſucceſſione Collateraliũ, per conſuetudines verò Neapolitanas ſunt excluſæ tam a ſucceſſione aſcendentium, quam Collateralium, idem *Mucci l.cit. n.* 14. alia ad iſtam materiam pertinentia videri poſſunt apud citatos DD. eorumque addentes.

His tamen minimè obſtantibus poteſt optimè defendi, quod fœmina etiam in noſtro Regno habet jus remittendi, quamvis exiſtant maſculi hæredes, quia per Conſtitut. *In aliquibus*, fœminæ non ſunt excluſæ a ſucceſſione per exiſtentiam maſculorum, nam in tali Conſtitut. dicitur, *quòd Patre mortuo, tam filios, quam filias puberes, aut majores, minoreſque ad parentum ſucceſſionem, abſque ſexus diſcretione vocari*, ſi enim eſſent èxcluſæ per exiſtentiam maſculorum, ſemper ac maſculus exiſtit, non poſſet fœmina ſuccedere, quod tamen falſum eſt; tantum igitur per dictam Cõſtitutionem conceditur maſculis prælatio, quando uti volunt dicta prælatione, tenētur tamen in tali caſu dotare ſororem de paragio, undè ſi maſculi vellent ſororem admittere ad ſucceſſionem, poſſent *Afflict. in dicta conſtit. num. 8.* & dictæ fœminæ quamvis excluſę per fratres, faciunt tamen partem, & numerum in legitima *Peregr. de fideicom. art.38. n.17.* Cum igitnr nõ ſint abſolutè excluſę à ſucceſſione, videtur quod eis hæreditas ſit delata, adeòq; habent totum id quod requiritur per dictam *prag.* 7. de qua ſupra. Tu tamen cogita circa iſtam rationem.

§. XII.

§. XII.

De Perſonis quæ pro alio agere valent ſine mandato.

DUodecimo jure civili ſcientia cognationum, & graduum neceſſaria eſt ad cognoſcendum quando aliquis poſſit pro alio ad agendum admitti ſine mandato. Siquidem conjuncta perſona admittitur ſine mandato ad agendum pro alia conjuncta perſona *l. ſed & hæ. 35. D. de procurat. ubi DD. l. 1. in fin. & l. 3. D. de poſtuland.* Jaſ. *in l. maritus. 22. & in l. exigendi. n. 3. C. de procurat.* Quamvis autem lex admittat conjunctum pro conjuncto, & concedat quãdam facultatem experiendi, non tamẽ facit illum procuratorem, aliàs non requireretur cautio Rati, & actus conjunctæ perſonæ præjudicaret Domino, etiam ſi non haberet ratum; quod tamen falſum eſt *Felin. in cap. nonnulli, §. ſunt, & alij. n. 16. verſic. Addatis Bald. de reſcript.* Pro majori intelligentia.

QVÆRES I.

Vſque ad quem gradum conjunctus admitti valet pro Conjuncto.

VAriant inter ſe DD. in determinando quinam dicantur conjuncti, & uſque ad quem gradum poſſunt admitti. Aliqui enim requirunt, quod ſit in tali gradu, quod ſecundum conſuetudinem patriæ reputetur conjunctus, *quia poteſt* conſanguineus de ſtilo patriæ non reputari conjunctus, unde dicunt, quod nomine conjuncti veniunt conſanguinei, uſque ad tertium gradum incluſivè, non ultrà; Quando verò non conſtat de conſuetudine Curiæ, vel patriæ, tunc cenſentur conjuncti uſque ad quartum gradum, & ultra illum eſt arbitrariũ uſque ad quem gradum dicantur conjuncti. *Cancer. par. 2. var. cap. 14. num.* 167. Alii dicunt, quod in agendo, nomine conjuncti veniunt uſque ad quartum gradũ in-

incluſivè; in impetrando verò literas ad lites, veniunt conſanguinei uſque ad ſeptimum gradum. Rationem diverſitatis aſſignant, quia actus agendi eſt maioris ponderis, cum Conventus Monachorum poſſit impetrare ſine conſenſu Abbatis, ſed non poteſt agere, quia agere eſt ſpecies alienationis, & qui prohibetur alienare, prohibetur rē in judicium deducere; non ita eſt in impetratione literarum ad lites; quia nihil perire poteſt abſenti per impetrationem: Ultramontani verò dicunt, quod conjuncta perſona dicitur uſque ad decimum gradum in agnatione, & uſque ad ſeptimum in cognatione. Videas *Felin. in cap. nōnulli. §. ſunt & alij, n. 21. & ſeq. de reſcript. Magon. dec. Lucenſ. 6. num. 14.*

Opinio *Iaſon. in l. maritus. 21. & in l. exgendi. C. de procura tor.* eſt, quod in linea collaterali admittuntur cōjuncti uſque ad decimum gradum. Sed *Bald.* & alii relati *à Pariſ. vol. 2. conſ. 49. nu. 10. & ſeqq.* tenent, quod nomine Attinentium veniunt illi, qui poſſunt accuſare tanquam proſequentes ſuorum injuriam, & talis nominatio videtur æquipollere nominationi conjunctorum, quorum appellatione veniunt conſanguinei, tam maſculi, quàm fœminæ uſque ad ſeptimum gradum. *Bartol.* verò arbitrio Judicis relinquit, quæ dicantur conjūctæ perſonæ & Attinentes. *Pariſ. loc. cit. Magon. l. cit.* qui dicit, quod nomine cōjunctorū cōprehenduntur tranſverſales ſaltem uſque ad quartum gradum incluſivè.

Addo, quod *Bald.* non uno modo loquutus eſt de conjunctis, nam *in l. 1. §. fin. D. de poſtulando*; dicit, quod conjuncti ſunt illi, qui enumerantur in eo *Text.* vt ſunt Parentes, Liberi, Frater, Soror, Vxor, Socer, Socrus, Gener, Nurus, Vitricus, Noverca, Privignus, Privigna; *in l. petitionem. §. egredientes. C. de advocat. diverſ. Judic.* dicit, quod conjunctæ perſonæ dicuntur uſque ad quartum gradum; *in l. fœmina. C. ad Turpill.* dicit, quod conjunctæ perſonæ dicuntur, quæ non coguntur invitæ teſtimonium dicere; & tandem *in cap. nonnulli. col. 1. verſ. quæro. de reſcript.* concludit, quod conjuncti ſemper dicuntur uſque ad ſeptimum gradum. *Hippolyt.* verò *de Marſil. ſingul. 133.* dicit, quod affinitas repellens à teſtimonio, & admittens ad agendū ſine mandato debet eſſe per lineam aſcendentem, vel deſcendentem, non tamen ſufficit eſſe per lineam tranſverſalem; unde

*addit. ad Iaſon. in d. l. maritus, num.*2.dicit,quod affines admittuntur ſine mandato,ſi ſint aſcẽdentes, ut gener pro ſocero,ſocer pro genero: ſed affines collaterales non admittuntur, ut Sororius, ideſt habens ſororem in uxorem.

Ex his patet quam variè loquuntur DD. in hac re. Tu tamen dicas, quod nomine conjunctorum in odioſis, veniunt conjũcti uſque ad quartum gradum, in alijs verò uſque ad gradum ſucceſſibilem, & ſic uſque ad decimum gradum; quod in odioſis veniant conjuncti uſque ad quartum gradũ, tradit *Barbat. in repet. l. cum acutiſſimi. C. de fideicommiſſ. ex l. lex Cornelia. D. de injurijs*; quod in favorabilibus veniant uſque ad decimũ gradum, tradunt *Imol. & Abb. in cap. nulli. de reſcript. Bartol. in l. 2. in princip. D. de accuſat. & in l. ſed hæ. D. de procurator.* quamvis aliqui velint,quod debeant venire cõſanguinei uſque ad ſextum gradum. *Rovit. deciſ.* 25. *num.* 2. alii uſque ad ſeptimum. Videas *Annibal. Troyſium in pragm. Odia. de compromiſſ. n.* 13. & 46.

QVÆRES II.

An in omnibus cauſis Conjunctus poſſit admitti pro Conjuncto?

NEga. Primo enim non poteſt admitti in cauſis requirentibus ſpeciale mãdatum, puta ad Proteſtandum, Denunciandum, & Interpellandum, *Surd. dec.* 115. *num.* 1. & 2. vbi *num.* 4. dicit, quod licet conjunctus non poſſit pro conjuncto proteſtari in iis, quæ animi declarationem requirunt, tamen poteſt agere pro conjuncto, & creditum petere. *Cancer. par.* 2. *var. cap.* 14. *num.* 152. ubi tenet, quod conjunctus poteſt facere proteſtationem,quæ à quolibet fieri poteſt,ut eſt proteſtatio, quæ fit ad finem, ut quis non faciat id, quod facere non tenetur, vel quando proteſtatio fit tantum ad notificandum, ut quis conſtituatur in mala fide.

Secundo, conjunctus non poteſt pro conjuncta perſona deferre juramentum, niſi habeat ſpeciale mandatum, vel niſi ratificetur delatio. Item conjuncta perſona non poteſt petere reſtitutionem in integrum pro conjuncto, niſi pro prodigo, vel furioſo, uel niſi veniat tanquam legitimus adminiſtrator. *Cãcer. loc.*

*loc. cit. n.*153. *& ſeqq.* ſimiliter admittitur ad impetrandum reſcriptum, & hic eſt unus ex his caſibus, in quibus perſona conjuncta poteſt ea, quæ requirunt ſpeciale mandatum, nam regulariter, ut conjūcta perſona poſſit agere pro conjuncto, requiritur, quod caveat de rato, & quod caſus non requirat ſpeciale mandatum. *Felin. in cap. nonnulli. §. ſunt & alij. num.* 16. *de reſcript.* ubi addit, quod conjuncta perſona admittitur in caſibus requirentibus ſpeciale mādatum, quando agit pro minore, & prodigo ſimul, ſecus pro minore tantùm, vel prodigo tātùm. Videas *Cancer. loco cit. nu.* 153. *& ſeqq.* præterea admittitur in cauſis requirentibus ſpeciale mandatum, quando talis conjuncta perſona agit pro ſuo intereſſe: & ubi agitur de modico prȩjudicio, admittitur conjunctus in requirentibus ſpeciale mandatum, quia geſta per conjunctum nunquam nocent, niſi ſequatur ratihabitio. *Felin. loc. cit. & in cap. coram. num.* 5. *de offic. delegat.*

Tertio, non admittitur in cauſis ſpiritualibus ſecundum aliquos, quia in dictis cauſis requiritur ſpeciale mandatum. Quarto, conjuncta perſona non admittitur ad jurandum in litē; verum *Magon. deciſ. Lucenſ.* 6. *num.* 19. dicit, conjunctum habentem mandatum à lege ad agendum, etiam ad jurandum de calumnia fore habilitatum. Vide *Surd. volum.* 2. *conſil.* 190. Quinto, conjunctus admittitur pro conjuncto in his, quæ reſpiciūt cōmodū, & vrilitatē cōjuncti, alias ſecus, *Cācer. l. cit. n.* 156. Sexto, licet conjunctus admittatur pro cōjūcto ad agēdū, nō tamē admittitur ad ſolutionē recipiendam ſine ſpeciali mandato, poteſt tamen cogere debitorem ad deponendam pecuniam. *Ricc. ad Iaſon. in l. exigendi. C. de procurat. Cancer. par.* 2. *variar. cap.* 14. *num.* 147. *& ſeq.* videas *Franciſ. Bentivog. in nouis addit. ad Iaſon. in d. l. exigendi*, ubi *Ricc.* ponit alios caſus, & dicit, quod conjunctus non poteſt reſpondere poſitionibus, & articulis pro conjuncto. Septimo, fœmina pro conjuncto agere nō poteſt. *Cancer. loc. cit. num.* 162. *& ſeqq.* Octavo, in criminalibus conjuncta perſona non admittitur, etiam cum cautione de rato. *Capyc. deciſ.* 5. *num.* 6. verum *Ricc. loc. cit.* dicit, quod in criminalibus poteſt admitti procurator, ergo etiam conjuncta perſona; ſed hoc intelligitur de illis cauſis criminalibus, ubi de intereſſe tātùm pecuniario agi-

tur, nam in iſtis admittitur procurator, ſecus verò in cauſis criminalibus, ubi agitur de ordinaria criminis punitione. *Cancer. loco cit. num. 168. & ſeqq.*

QVÆRES III.

An omnis Conjunctus valeat pro Conjuncto agere?

NEga, ſed proximior præfertur remotiori, & ſi ſunt pares conjunctiones, Judex magis idoneum admittet. *Felin. in cap. coram. num. 4. in fine de offic. delegat. Alex. lib. 1. conſ. 26. n. 8.* Secundo, quando coniuncta perſona agit ut procurator, nec poteſt de mandato docere, non poteſt deindè judicium validare tanquam agitatum à conjuncto, quia allegando mandatum fecit ſe alienum à proviſione legis. *Cancer. par. 2. variar. cap. 14. n. 141. & ſeqq. ubi num. 144.* id limitat, niſi conjunctus peteret, ut procurator conjuncti, & omni alio meliori modo. Tertio, conjuncti conjunctione ſpirituali non admittuntur, ſed tâtùm conjuncti carnaliter ſecundum *Iaſon. in l. exigendi. num. 10. C. de procurat.* ſed quia idem D. *nu.* 4. dicit, quod amicus non levi amicitia cōjunctus poteſt agere pro amico, videtur, etiam, quod coniunctus cognatione ſpirituali agere valeat, quia inter iſtos non levis amicitia ſupponitur: poſſet tamen admitti ſententia Jaſonis, ſi intelligeret de coniunctione ſpirituali, quæ datur inter Canonicos, nam tunc dici poteſt, quod Canonicus non poteſt pro Canonico agere; poteſt tamen Epiſcopus pro Capitulo, etiam in bonis diſcretis, cum cautione de rato, agere, ratione coniunctionis ſpiritualis, ſicut Capitulum poteſt pro Epiſcopo agere ratione dictæ coninnctionis. *Felin. in cap. edoceri. num. 5. de reſcript.* quod clariùs explicatur ab eodem *Felin. in cap. nonnulli. §. ſunt, & alij. nu. 17. de reſcript.* vbi multa ponit, quando coniunctus poſſit pro cōiuncto agere. Quarto, coniuncti illicita coniunctione non admittuntur pro coniuncto, unde filius inceſtuoſus, vel ſpurius non admittitur ſine mandato. *Iaſ. in l. exigendi. nu. 9. & ſeqq. C. de procur. Felin. in cap. nonnulli. §. ſunt, & alij. num. 17. verſ. Limita quinto. de reſcript. ubi num. 19.* limitat in ſpurio agente pro illis, quibus ſuccedere poteſt, & dubitat de filio naturali an poſſit admitti pro coniuncto, nam dicit, quod eſt quæſtio inter DD. Admittitur tamen iſte ad accuſandum

dum pro nece defuncti. *Rovit. dec.* 25. Quinto, coniunctus non admittitur pro coniuncto habẽte tutorem, vel curatorem, quia ad eos ſpectat agere, & mandatum expreſſum facit ſilere tacitum, nec venientes iure ſpeciali admittuntur, niſi conſtituantur in mora illi, qui de iure cõmuni veniunt. *Iaſ. loc. cit. Felin. in cap. coram. num. 3. de off. deleg.* Et ſexto, coniunctus non admittitur pro coniuncto, quando iſte cõſtituit ſibi procuratorem, quia per hoc videtur prohibuiſſe coniunctum, qui non eſt admittendus etiam contra voluntatem tacitam coniuncti. *Felin. loc. cit.* ubi dicit, quod in iſtis duobus caſibus poſſet admitti coniunctus, quando tutores, curatores, vel procuratores eſſent negligentes. Alia ad iſtam rem pertinentia videri poſſunt apud citatos Authores.

§. XIII.

De *Conjunctis ad teſtimonium admittendis.*

DEcimo tertio requiritur iure civili ſcientia cognationum, & graduum, ad hoc, ut cognoſcatur, quãdo coniunctus poſſit cogi ad teſtificandum cõtra coniunctum, & quando poſſit repelli à teſtimonio faciendo ratione coniunctionis; Siquidẽ in criminalibus, cognatione cõiuncti non poſſunt cogi ad teſtificandum contra coniunctum. *l. lege Iulia. 4. D. de teſtib. Bartol. de reprobat. teſtium, verſ. vigeſimo quarto. Io: à Royas ſingul.* 42. ubi dicit, quod in cauſa hereſis cogi poſſunt ad teſtimoniũ ferendum, & fidem faciunt. Inſuper in cauſis criminalibus non admittuntur ad teſtificandum pro coniuncto; unde in cauſa iniuriarum quilibet de generatione, & caſata venit uſque ad quartum gradum repellendus. *Petrus Advenas regul. 383. ampliat. 1. Hippol. de Marſil. conſil. 68. & Nicol. de Milis in ſuo repertor.* dicit, quod teſtes de una caſata, ſive parentela non poſſunt teſtificare pro conſorte de eadem caſata offenſa, in loco ubi eſt conſuetudo, quod offenſa facta uni de Genere imputetur omnibus aliis de illo Genere, ſicut eſt in Italia, quia videtur in re propria teſtificari. *Cyn. in l. 1. C. de rapt. virg.*

QVÆ-

QVÆRES I.

Vſque ad quem gradum repelluntur teſtes coniuncti in cauſis tàm civilibus, quàm criminalibus?

Aliqui volunt, quod tàm in cauſa criminali, quàm civili non poſſunt cogi cognati etiã tranſverſales uſq; ad quartum gradum ad deponendum contra coniunctum, nec pro cõiuncto probant *Petr. Advenas regul. 384. Nellus à S. Gemin. de teſtib. num. 8. & ſeq. Bonifac. de Vitalinis in tit. de teſtib. & qui repelluntur à teſtimonio, n. 48. Fontanell. dec. 12. num.* 10. Alii dicunt, quod uſque ad ſeptimũ gradum repellendi ſunt, quia ut dicit *Bartol. in tract. de reprobat. teſtium, num. 36.* teſtes reprobantur ſuſpicione qualibet, qua Judex recuſatur, ſed Judex conſanguineus etiam in ſeptimo gradu recuſari poteſt, ut ſuſpectus ex *Gloſſ. in cap. poſtremo de appellat.* & nos dicemus in ſeq. §. ergo etiam teſtes in ſeptimo gradu conſanguinitatis poſſunt repelli. Ita *Gigas de crimin. læſæ Maieſt. lib. 2. rubric. quomodo, & per quos. q. 1.* & alii relati à *Maranta in ſpecul. aureo par. 6. verſ. de inquiſit. num. 62.*

Quamvis autem coniunctus non ſit integer teſtis pro coniũcto, tamen admittitur, quando teſtimonium dicit contra pariter coniunctum, ſicut odioſus admittitur, quando eadem odii ratio militat pro eo, ad cuius favorem deponit, & Judæus admittitur ad teſtificandum contra Chriſtianum pro Chriſtiano, licet non pro Judæo. *Surd. vol. 1. conſil. 112. num. 78.* Ratio huius habetur in *l. non ſolum 67.* ibi: *Quia paris affectionis cauſa ſuſpicionem fraudis amovet. D. de rit. nuptiar.*

In linea verò recta, aſcendentes, & deſcendentes utriuſque ſexus uſque in infinitum repelluntur à teſtimonio ferendo. *Bart. de reprobat. teſtium nu. 57. Nellus de S. Gemin. loc. cit. nu. 7. Boſſius in tit. de oppoſit. contra teſtes num. 62.* Vnde pater, & mater, nec pro filio, nec contra filium poſſunt eſſe idonei teſtes, ſicut nec è contra, quod etiam currit in filio baſtardo, qui propter naturalem affectum nõ poteſt eſſe teſtis pro patre. *Addit. ad Chriſtophor. Porc. in tit. de teſtam. ordinand. §. in teſtib. lit. C.* Hoc tamen limitatur in cauſa matrimoniali, in qua teſtes conſanguinei præferuntur. *cap. quoties.* ubi *Innocent. de teſtib.* quia pater, & alii conſanguinei pluſquam

quam alii intersunt matrimoniis filiorum, & ideò ipſi poſsũt ferre teſtimonium non ſolùm ſuper cõſanguinitate, ſed etiam ſuper matrimonio, niſi ex aliqua alia cauſa ſint ſuſpecti. *Innocent. loc. cit.* videas *Guttier. de matrim. cap. 44. nu. 68. & ſeqq.* Vnde *Nicolaus de Milis in ſuo repertorio, verbo Teſtes idonei*, dicit: Teſtes idonei ſunt pater, & mater ad probandum matrimonium per filium, vel filiam contractum, niſi propter potentiam, vel excellentiam alterius coniugum teſtimonium eorũ ſit ſuſpectum, puta, quia vir, vel mulier, quem pater, & mater teſtificantur cum filio contraxiſſe, excedit in divitiis, vel nobilitate generis, vel potentia amicorum, vel honore, quia fortè eſt Judex, vel Doctor, vel Conſiliarius alicuius magni viri, vel niſi filius, vel filia dicatur prius cum alio contraxiſſe, vel votum emiſiſſe, vel opponatur de ſpirituali cognatione; dicit etiam idem *de Milis loco cit.* quod quãdo *Speculator* dicit, patrem, & matrem eſſe idoneos, quando duo contendunt, quorum unus dicit ſe prius altero cum muliere contraxiſſe, debet intelligi, quando ille, pro quo pater, vel mater mulieris deponerent, non excederet alium in diuitiis, nobilitate, vel potentia, vel honore, quia tunc habet locum ratio, *cap. ſup. eo. 72. de teſtib.* At *Ioan. Andr.* dicit, quod licet vir mulierem excedat in divitiis, nobilitate, potentia, vel honore, tamen ſi pater, & mater sũt valdè honeſti admittuntur in teſtes, *cap. videtur nobis. 3.* ubi *Gloſſ. qui matrim. accuſar. poſſunt.* Huius tamen occaſione;

QVÆRES II.

An Pater in certis caſibus ſit teſtis idoneus pro filio?

AFfirma, quamvis enim regulariter pater non poſſit eſſe teſtis pro filio, tamen id fallit in multis caſibus, de quibus *Chriſt. Porcius in tit. de teſtam. ordinand. §. in teſtib.* Primo fallit, quando pater eſſet teſtis inſtrumentarius, quia tunc ad infringendam depoſitionem patris nõ poteſt ab adverſario opponi exceptio inhabilitatis, ex eo quia, fides ſua fuit ſemel ab illo approbata; ſicut licet non credatur teſti, tanquam non fide digno, creditur tamen quãdo eius fides fuit probata ab adverſario. Idem dicitur de teſtibus privilegiatis, qui licet non poſſint cogi ad teſtificandum, coguntur tamen quando ſunt in-

inſtrumentarii, quia videntur ſe obligare ad teſtificandum.

Secundo fallit, quando tractatur de cauſa, cuius notitia naturali quadam ratione non magis pertineret ad patrem, quàm ad filium, qua ratione pater, & mater admittuntur ad teſtificandum pro ætate filii, eodem modo admittuntur ad probandum gradum conſanguinitatis; quia notitia gradus, & ætatis magis pertinet ad parentes, quàm ad alios. *Capella Toloſ. q.3. num.4.* ſicut etiam pater admittitur pro filio in cauſa religionis. *Capell. Toloſ. l. cit. n.5.*

Tertio fallit, quando tractatur de his, quæ aguntur inter proprios parentes, quæ facilè per alios probari non poſſunt, quia teſtes alias inhabiles admittuntur in his, quæ ſunt difficilis probationis. *Guttier. de matrim. cap. 44. num. 20.* Quarto fallit, quando pater teſtificaretur in cauſa filii, cuius commodum, vel incommodum ad eum non pertinet. Et quinto fallit in cauſa matrimoniali, ut in præcedenti quæſito dictum eſt.

Ex quo infert *Porc. loc. cit. n.4. & ſeqq.* quod Pater per Prælaturam, qualis eſt Epiſcopus reſpectu Capituli, Abbas reſpectu Monaci poteſt eſſe teſtis pro Capitulo, pro Monacho, niſi bona eſſent connexa; immo *Nicel. de Milis in ſuo repertor. verbo Teſtis poteſt eſſe Prælatus*, dicit, probabile eſſe Prælatum poſſe teſtimonium ferre in cauſa ſuæ Eccleſiæ, etiam ſi cauſa ſpectaret ad menſam ſuam. *Similiter* Pater ſpiritualis poteſt eſſe teſtis pro filio ſpirituali. Pater verò per nutrituram durante nutritura repellitur; ea verò finita poteſt eſſe teſtis. *Addit.* verò *ad Porc. lit.* C. dicit, quod an iſti propter nimiam familiaritatem ſint repellendi, arbitrio Judicis relinquitur.

QUÆRES III.

An Frater poteſt eſſe teſtis pro Fratre?

IN cauſis civilibus frater poteſt eſſe teſtis pro fratre, aliquantulum tamen ei minus creditur. In cauſa verò criminali repellitur, ſicut quilibet de caſata uſque ad quartum gradum repellitur, quia illis intelligitur etiam facta iniuria: idem eſt in cauſa civili omnium bonorum, vel maioris partis, quia talis cauſa, criminali comparatur, niſi frater admitteretur ad meram, & puram defenſionem fratris. *Porc. loco ſupra cit.* Frater tamen

non

non poteſt compelli contra fratrem teſtificari in cauſa civili, niſi veritas aliter haberi non poſſit. *Nicol. de Milis in repert. verb. Teſtis licet poſſit frater.* ubi aliorum opiniones ponit. In cauſa verò matrimoniali frater pro fratre non facit fidem, niſi deponat pro valore matrimonii. *Guttier. de matrim. cap. 44. nu. 15.*

QVÆRES IV.

An Affines etiam repellantur à teſtimonio?

AFfirma, *Guttier. conſ. 39. nu. 3.* & 4. ſed debet eſſe affinitas per lineam aſcendentem, vel deſcendentem, nec ſufficit eſſe per lineam tranſverſalem. *Hippol. de Marſil. conſil. 68. n. 20. & ſingul. 133.* unde quia Socer habetur pro Patre, & Gener pro Filio non poſſunt eſſe teſtes. *Boſſ. in tit. de oppoſit. contra teſtes, nu. 105.* ubi etiam dicit, quod affinis poteſt eſſe teſtis pro affine, quia non reperitur prohibitum, eſt tamen ſuſpectus, & ei diminuitur de fide, quia levis macula facit, ut teſtes non ſint omninò integri; qua ratione licet maritus ſororis meæ poſſit eſſe teſtis pro me, tamen diminuitur ei de fide, ſicut licet Monachus poſſit teſtificari pro Monacho, tamen ei diminuitur de fide, tanquam amico, *Gloſſ. in Auth. de Monacis. §. cogitandũ. verb. Teſtes*. Iſta vera ſunt in cauſis civilibus, quia in criminalibus nullus affinis pro alio affine poteſt eſſe teſtis, nam in criminalibus quælibet levis ſuſpicio ſufficit ad repellendos teſtes. *Boſſ. loc. cit.* Tantum igitur Affines primi generis repelluntur à teſtimonio ferendo. *Gregor. Rhamnus. in tract. de affin. nu. 36. & ſeq.* quinam dicantur affines primi generis, & quinam ſecundi generis, habes infra in ſecũda parte huius tract.

Advertas, quod quando actus geri poteſt ſine ſollemnitate teſtium, ſi teſtes adhibentur, nunquam poteſt opponi exceptio inhabilitatis. *Chriſtoph. Porc. in tit. de teſtam. ordinand. §. in teſtibus. num. 2.* Sicut etiam non poteſt repelli teſtis ratione perſonæ, niſi tempore quo producitur excipiatur; vel fiat proteſtatio de excipiendo, vel niſi nova cauſa ſuperveniat, vel niſi iuret poſtea, quod non excipit cauſa malitiæ. *cap. præſentium de teſtib.* ubi DD.

Vxor pro marito teſtificari nõ poteſt, nec è contra, quia domus vxoris, & mariti una dicitur. Idem dicas de ſponſa, vel concubina, quia ut dicit *Addit.*

ad Chriſ.Porc. loc.cit. lit.H. concubina in animo non differt ab uxore, ſed ſolùm in honore. Videas *Cappell.Tholoſ. q. 3.* ubi dicit, quod maritus poteſt cogi ad teſtificandum contra uxorē. Primo, quia non invenitur prohibitus. Secundo, quia non eſt domeſticus uxoris: Et tertio, quia ceſſant rationes, propter quas mulier non poteſt teſtificari contra maritum, quæ rationes ponuntur *in l. 2. C. de teſtib. per Cyn.* Verùm maritus non poteſt cogi ad teſtificandum contra uxorem, niſi in defectum probationis, ſicut etiam mulier in defectum probationis cogitur teſtificari, quia teſtes à iure privilegiati, qui non compelluntur inviti teſtimonium ferre, poſſunt compelli in ſubſidium, ſi aliundè veritas probari nō poſſit. *Capell. Tholoſ. loc.cit. nu. 6.* Sed hoc verū eſt de Iure Canonico, ſecus de iure civili, ut dicit *Nicolaus de Mil. in ſuo repertor. verb. Teſtes à iure privilegiati.*

QVÆRES V.

An ultra conſanguineos, & affines repellantur etiam à teſtimonio ferendo Familiares, & Domeſtici?

AFfirma, niſi de voluntate partium admittantur. *can. conſanguinei. 3. q. 5.* Vnde Dapiferi, & famuli actuales non non poſſunt eſſe teſtes pro Domino, ſecus ſi in actuali ſervitio non ſint; & ideò conſuluit *Siculus in cap. ex literis. de teſtibus. Bartol.* & alii relati *à Capell. Tholoſ. q. 4. num. 2. & 3.* quod ſi vis aliquid probare per famulos tuos, ipſos prius expellas à domo, quia ita expulſi poterunt pro te teſtificari, nam inſpicitur conditio teſtis pro tempore, quo deponit, niſi per fraudem fuiſſet expulſus, ideſt, animo ipſum reaſſumendi, ideò dicit *Bald. in cap. ex literis. de teſtib.* quòd famulus eſt interrogandus, quare fuit expulſus, & an ſit reverſurus. Nullatenus tamen ſunt admittendi famuli, quando ſunt vilis conditionis, & abiectæ vitæ; unde *Bald.* dicit, quod licet Birruarii non poſſint teſtificari pro Poteſtate, nec Dapiferi pro Dominis ſuis, Cancellarius tamen Poteſtatis, item Scriptor, & Scholarius poſſunt teſtificari, quia ſunt laudabiles, & probatæ vitæ; Domeſtici verò ſcholarium, artificum, & officialium; quia famuli non ſunt teſtes idonei. *Andr. relatus à Capell. Tholoſan. quaſt. 4. numer. 7.*

Circa teſtificationem familiarium eſt advertendum, quod qua-

quatuplex familiaritas datur. Prima eſt familiaritas naturalis, quæ conſiſtit inter eos, qui ſunt de eadem caſata. Secunda eſt familiaritas ſubiectiva de facto, quæ cōſiſtit inter Nobiles, & familiares de domo. Tertia eſt familiaritas ſubiectiva de iure, quæ conſiſtit inter patrem, & filium, dominum, & ſervum, maritum, & uxorem. Et quarta eſt familiaritas ſocialis; hæc ultima familiaritas non repellit ſocium à teſtificando pro ſocio, niſi quando ex tali teſtimonio poteſt lucrum provenire ad ſociū teſtificantem; ſicut etiam amicus pro amico poteſt eſſe teſtis, quia verus amicus non vult pro amico, niſi ea quæ ſunt bona, & æqua, adeoque non eſt veriſimile, quod deponat falſum; & licet ratione amicitiæ aliqui dicunt, quod diminuitur eius fides, tamen conſideranda eſt qualitas perſonarum, & cauſa amicitiæ, utrum iuſta, vel iniuſta, nam vera amicitia non poteſt conſiſtere niſi inter bonos; Vnde *Chriſtoph. Porc. in tit. de teſtament. ordinand. §. legatarijs n. 7. & 8.* vbi *Addition. lit. A.* dicit, quod legatarius in cauſa ſui legati non poteſt teſtificari, ſed in cauſa vertente inter hæredem, & alium benè poteſt teſtificari, quia ad ipſum legatariū ſpectat ſecundariò cōmodū ſui legati, ſi teſtamentū valebit, nō verò univerſale cōmodum; ſicut quādo correus debēdi petit primo cōveniri illum correum, qui pecunias habuit (quod facere poteſt. *l. unde quæritur. D. commod.*) poterit alium correum inducere in teſtem ad probandū, quod tota pecunia pervenit ad illum, quia ad correū teſtificātē nō ſpectat cōmodum principaliter, cū ipſe in cōſequētiā obligetur, de quo ego dubito, quia ad propriā utilitatem primario deponeret.

Quamvis domeſtici non ſint idonei teſtes pro domino, tamen ut dicit *Alexand. vol. 1. conſil. 5. nu. 6.* id fallit primo quoad probandam innocentiam domini, puta quod dominus ad ſui defenſionem Titium occiſit; familiares enim, & cubicularii in iſto caſu ſunt idonei teſtes. *Duegn. regul. 383. Capel. Tholoſ. q. 4.* Secundo fallit, quando teſtis eſſet honeſtæ perſonæ, & magni domini, quia non eſt veriſimile famulum deiaturum, quando etiam ipſe eſt honeſta perſona. *F. Vmbert. Locat. in iudiciale Inquiſitorum, tit. de teſtib. num. 4.* Tertio fallit, quando eſſet probanda æſtimatio rerum ablatarum, nam familiares admittuntur. Quarto fallit in cauſa matrimoniali, nam ad probā-

dum coiunctionem matrimonii admittuntur familiares, qui tamen non admittuntur ad probādum fornicationem ad finem ſeparationis thori, quod ſpeciale eſt, ut illa quæ domi acta eſſe dicuntur, per familiares probari non poſſint. *Capell. Tholoſ. l. c.* Et quinto fallit, quando eſſet famulus honeſtæ vitæ, & non ſalariatus. *Iacob. Novell. in pract. cauſar. crim. tit. de teſtib. num. 13. & ſeq.* videas *Gig. de crim. læſ. majeſt. lib. 2. rub. quomodo, & per quos crim. læſ. maieſt. probet. q. 9.*

Affictuales non dicuntur teſtes domeſtici, & ideò à teſtimonio repelli non poſſunt, nam tunc teſtes familiares, & domeſtici repelluntur, quando ſunt tales domeſtici, quibus poteſt imperari ratione dominicæ, vel paternæ poteſtatis. *Bartol. Cepol. conſil civil. 3. n. 7. l. idonei 6. D. de teſtib.* Coloni aſcriptitii, & neceſſarii, qui non poſſunt pro libito recedere, non poſſunt eſſe teſtes etiam in teſtamento, ſecùs verò coloni noſtri temporis, qui poſſunt pro libito recedere. *Addition. ad Chriſtophor. Porc. loco cit. litt. K.* oppoſitum tamen tenet *Capell. Tholoſ. q. 4. num. 4. & ſeqq.* præſertim quando vivunt ad unum panem, & vinum.

QVÆRES VI.

An Conſanguinei, vel Affines poſſint cogi ad teſtificandum in cauſa hereſis?

NOn poſſunt cogi niſi in ſubſidium. *Genuenſ. in prax. cap. 18. num. 9. Antonell. de regim. Eccleſ. lib. 6. cap. 19. num. 4. in fin.* & quando non agitur de bono publico, non poſſunt compelli ad teſtificandum conſanguinei, & alii affines uſque ad quartum gradum. *Antonell. loc. cit. num. 10.* Vnde ſecundum iſtos Doctores tunc conſanguinei, & affines tenentur denunciare conſanguineum, vel affinem hæreticum, quando hæreſis tenderet in publicam perniciem. Oppoſitum tamen tenet *Dian. part. 1. trac. 5. reſol. 4. 5. & 6.* quem videas; ubi abſolutè vult, quod tenetur illum denunciare, idem dicit *p. 3. tract. 5. miſcell. reſol. 63.* Non tamen videtur admittenda opinio *Gabriel. Periera tract. de manu Regia, cap. 10. num. 36.* vbi dicit, quod illi teſtes, qui non tenentur revelare crimen ſui coniuncti propter naturale debitum, quo inter ſe coniunguntur, vt ſunt illi, de quibus in *lege Iulia. 4. D. de teſtib.* non poſſunt adſtringi ad teſtificandum, etiam

etiam quando deficiunt alii teſtes, ne inter coniunctos tollantur officia pietatis, quæ innituntur rationi naturali; illi verò teſtes, qui non tenentur teſtimonium ferre non ob naturale fœdus, ſed ob alias rationes minus iuri naturali conſonas, de quibus in *l. inviti.8. & 19. D. de teſtib.* poſſunt cogi ad teſtimoniū ferendum deficientibus aliis. Ita *Periera*. Quæ opinio reiicitur *à Diana loc. cit.* & contra eius doctrinam tenet *Dueg. reg. 383. limit. 2. & regul. 384. limit. 1.* Vnde *Gigas de crim. læſ. maieſt. lib. 2. rubr. quomodo, & per quos crimen læſ. maieſt. probetur, qu. 9.* dicit, quod in defectum aliorū admittitur frater cōtra fratrem in crimine hæreſis, vel læſæ maieſtatis humanæ.

§. *XIV.*

De *ſuſpectione Iudicis ratione conjunctionis.*

DEcimo quarto, ſcientia cognationum, & graduum deſervit prò recuſando Judice, ut ſuſpecto ratione conſanguinitatis, vel affinitatis. *Fontanel. deciſ. 11. num. 3.* nam *in l. qui iuriſdictioni. D. de iuriſdict. omn. Judic.* habetur: *Qui iuriſdictioni præeſt, neque ſibi ius dicere debet, neque uxori, vel liberis ſuis, neq; libertis, vel cæteris, quos ſecum habet*; & licet in *l. in privatis. D. de judiciis.* dicatur: *in privatis negotiis pater filium, & filius patrem Judicem habere poteſt*, tamen *Coraſ. lib. 4. Miſcellan. cap. 9.* dicit, quod ſolum in privatis negotiis pater filium, & filius patrem judicem habere poteſt, & privata negotia dicit, quod ſunt negotia domeſtica, ut quod filius emancipetur, vel detur in adoptionem. Ego tamē dico, quod in cauſis criminalibus filius non debet, nec poteſt jus dicere reſpectu ſuorum affinium, & conſanguineorū, etiam tranſverſalium, uſque ad decimum gradum, de jure civili *l. lex Cornelia. 5. D. de injur. & famoſ. libell.* prout hunc tex. explicat *Rovit. in prag. 1. de ſuſpit. Official. nu. 95. & ſeqq.* In cauſis verò civilibus poteſt filius jus dicere in cauſa patris, vel è contra. *l. in privatis. D. de judiciis. l. quin etiam. 6. D. de recept. arbitr. can. infames. §. filius etiam in re patris arbiter eſſe poteſt*;

nam

nam, & judicem eum eſſe poſſe plerisque placet. 3. qu. 7. ſed de honeſtate non debet jus dicere *l. qui juriſdictioni. D. de juriſdict. omn. judic.* Undè infertur quod pater hæres inſtitutus, & gravatus de reſtituenda hæreditate, ſi recuſet prædictam hæreditatẽ adire, poteſt per filium judicem compelli, ut illam adeat, quia in muneribus publicis, prout eſt munus judicandi non curatur de patria poteſtate. *l. ille a quo. §. fin. D. ad Trebell.*

Judex ergo conſanguineus litigantis, ſive ſit conſanguineus ex parte patris, ſive ex parte matris recuſari poteſt ut ſuſpectus, etiam ſi ſit judex delegatus, datus a Papa cum clauſula *Appellatione remota cap. poſtremo. 36. de appellat. ubi Gloſ. verb. conſanguineus.* dicit, quod conſanguineus, uſque ad ſeptimum gradum repelli poteſt, quia falſum eſt, quod hodie conſanguinitas ultra quartum gradum non extenditur, ſiquidem *tex. in cap. non debet. de conſang. & affinit.* tantum reſtringit cõſanguinitatem, uſque ad quartum gradum quo ad copulam conjugalem contrahendam, non verò quoad alios effectus, alias ſequeretur quod quinto gradu diſtantes non eſſent conſanguinei, & ſic ad ſucceſſionem non venirent; idem habetur *in can. ad Sedem Apoſtolicam. 35. qu. 5.* Cum igitur ſacri canones conſanguinitatem, uſque ad ſeptimum gradum antiquitus numerabant, non debet lex correctoria reſtringens impedimentum conſanguinitatis, uſque ad quartum gradum, tollere alios effectus conſanguinitatis in vulterioribus gradibus, nam lex correctoria, expreſſe corrigens in uno caſu, non debet extendi ad alium caſum non expreſſum, ſed caſus omiſſi remanent in diſpoſitione juris communis *Petrus Pecbius in cap. quæ a jure communi. de regul. iuris.*

QUÆRES I.

Uſque ad quem gradum recuſari valet Judex ratione Conſanguinitatis?

Lis inter DD. eſt, uſque ad quem gradum recuſari poſſit ut ſuſpectus judex Conſanguineus; nam aliqui ſuſpicionem extendunt, uſque ad ſeptimum gradum, ut dictum eſt; alii uſque ad decimum; alii ad quartum gradum reſtringunt, alii ad ſecundum, ut tradit *Fontanell. to. 1. dec. 11. n. 6. Menoch. de arbitr. judic. caſu 152. num. 5.* qui amplectitur opinionem *De-*

cij

cij in l. qui juriſdictioni. D. de juriſdict. omn. jud. & in cap. poſtremo. de appellat. quod uſque ad decimum gradum extenditur ſuſpicio, ultrà verò eſt judici arbitrarium, perpenſa qualitate perſonarum; *Gallupp. prima par. prax. cap. 4. n. 31.* verùm in iſto caſu eſt attendenda obſervantia Curiarum, nàm Curia Tholoſana obſervat, quod uſque ad quartum gradum conſanguinitatis, & affinitatis poſſint repelli *Fontanell. dec. 11. num. 7.* in Cathalonia verò, uſque ad ſecundum gradum affinitatis tantum, & non ultra repelluntur *Fontanell. l. cit. n. 10. & ſeqq. & deciſ. 13. n. 15. & ſeq;* ſicut etiam licet in hac materia recuſationis computatio graduum cõſanguinitatis, vel affinitatis ſit facienda ſecundum jus civile, & non ſecundum jus Canonicum, ut tradit *Fontanell. dec. 12. num. 7. & ſeqq.* tamen in Cathalonia talis computatio fit ſecundum jus Canonicum *Fontanell. l. cit. n. 12.* Teſtes autem deponentes de conſanguinitate, debent etiã de ſtipite deponere *Anna ſingul. 102: Gallupp. l. cit.* Tollitur autem iſta ſuſpicio, quando reperitur conſanguinitas in pari gradu utriuſque partis, dummodo non poſſit cognoſci in quam partem magis incliner judex videas *Gallup. n. 32.*

Non ſolum ratione cognationis, ſed etiam ex cauſa affectionis, à cognatione proveniẽs, poteſt recuſari judex, ut eſt caſus relatus à *Sanfelic. dec. 83.* ubi fuit recuſatus judex, qui cognatione ſpirituali non erat conjunctus cum litigante, ſed cum illius patre, idem dicit *in prax. ſect. 22. n. 4.* ſicut etiam ex compaternitate cõtracta cum viro, fuit recuſatus ut ſuſpectus judex in cauſa uxoris, non ex capite cognationis ſpiritualis, ſed ex capite affectionis, quæ reſultat ex gnatione ſpirituali, videas *Mucci ad Sanfelic. dilucidat. 83. n. 5. Gizziũ ad Capyc. latr. obſervat. 164. n. 7. Gallup. l. cit. num. 32.* Unde à fortiori dicendum, quòd ratione Cognationis ſpiritualis poteſt recuſari judex ut ſuſpectus, quia compater eſt loco ſuorum *Marant. in ſpecul. aur. par. 6. de appellat. actu. 2. n. 71. Rovit. in prag. 1. de ſuſpit. official. n. 35. Fontanell. to. 1. dec. 15. n. 22. & ſeqq. Gizz. l. cit. nu. 6.* & habetur *in prag. 15. §. 17. de ſuſpitionib. official.* quà ratione commater admittitur ad accuſandum occiſorem ſui compatris *Caravit. rit. 191. num. 3.* Hoc tamen non videtur contra *Alex. lib. 6. conſil. 237. n. 8.* ubi *Addent. & lib. 3. conſil. 42. n. 18. & lib. 4*

con-

conſil. 125. num. 4. aſſerentem, quod compater non poteſt recuſari, ut ſuſpectus in teſtificando: quia facilius recuſatur judex, quam teſtis *Dec. in cap. poſtremò. de appellat. de Ponte dec. 30. n. 16. in fin. Verd. ad Gallup. par. 1. prax. cap. 4. nu. 60. Capic. latr. tom. 1. conſult. 101. nu.* 40. imo Judex qui non eſt conjunctus parti, ſi ut talis ſe exiſtimat, poteſt recuſari ut ſuſpectus *Sanfelic. dec.* 224. ſecus verò teſtis.

QUÆRES II.

Uſque ad quem gradum recuſari valet Judex ratione Affinitatis.

EX dictis in præcedenti quæſito, patet quod ſecundum diverſitatem Curiarum variatur praxis: nam in Curia Tholoſana, uſque ad quartum gradum repellitur; in Cathalonia, uſque ad ſecundum, & in S. C. Neapolitano, uſque ad ſeptimum gradum affinitatis fuit recuſatus judex, ut junctis aulis deciſum refert *Gallup. par. 1. prax. cap. 4. num.* 34. *& ſeq.* ubi idem dicit, quando eſſet affinis in ſecundo genere affinitatis, quamvis de tali genere nulla ratio habeatur de jure Canonico in ordine ad matrimonia, idem refert *Rovit. in prag. 1. de ſuſpit. Official. n. 27. 33. & 86.* verum citat. D. tenet, & probat, quod quia ſuſpicio judicis regulatur à ſucceſſione ab inteſtato, itaut qui eſt in gradu ſuccedendi ab inteſtato, eſt etiã ſuſpectus in judicando *ex gloſſ.* paſſim recepta *in cap. poſtremò. de appellat.* ideò affinitas, quæ tangit conſanguinitatem exiſtentẽ infra gradum ſuccedendi, eſt ſufficiens ad repellendum judicem, cum affinitas per ſe non habeat gradus, ſed ſibi mutuentur a conſanguinitate cui adhæret, unde tenet, quod uſque ad decimum gradum affinitatis repellitur, quia licet affinis non habeat ex propria perſona intereſſe in ſuccedendo, cum ipſe non ſit conſanguineus, illud tamen habet, inquantum eſt maritus conſanguineæ, quæ eſt in gradu ſucceſſibili. *Videas Rovit. l. cit. a num. 86. uſque ad 97.*

QUÆRES III.

An diſſoluta affinitate per mortem Uxoris ceſſet ſuſpicio?

NUlla difficultas eſt, quod affines unius litigantis nõ ſunt idonei judices, propter præſumptam in eis affectionem ad res affinium, *Fontanell. dec. 11. n. 3. Marant. in prax. par. 6. de*

appel-

appellat. actu 2. n. 30. licet oppoſitum teneat *Franc. Mar. par. 1. dec. 725. n. 3.* Solum difficultas eſt an diſſoluta affinitate per mortem Uxoris remaneat etiā cauſa ſufficiens ad recuſandum judicem.

In hac difficultate duę reperiuntur ſententię. Prima quod non remanet cauſa ſufficens ad recuſandum judicem etiam ſi ſuperſint reliquiæ, puta filii, vel alii deſcendentes *Additionat. ad Reg. Sanfelic. dec. 343.* ubi dicit, quod diſſoluto matrimonio per mortem Viri, vel Uxoris cenſetur extincta cautio de nō offendendo affines; ſicut nec tenetur exfractare affines diſſoluto matrimonio, quamvis bannum loquatur de conſanguineis, & affinibus. Ratio eſt, quia diſſoluta cauſa affinitatis, eſt diſſoluta ipſa affinitas; cum tollatur omnis effectus qui poterat cauſari ex ipſa affinitate, & ita apud *Fontanell. dec. 13. nu. 1. & ſeqq.* tenent multi DD. Secunda opinio tenet, quod quando remanent reliquię, militat ſuſpicio, ſecus verò quando reliquię non remanent, atque ita obſervari in Senatu Cathaloniæ tradit *Fontanell, l. cit. n. 8.* & quando judex recuſatur, ut ſuſpectus ex cauſa affinitatis, licet deinde diſſolvatur affinitas, nec remaneant reliquię, non poteſt amplius in illa cauſa ſe intromittere, quando jam recuſatio fuit ſortita effectum *Franc. dec. 719. Rovit. in prag. 1. de ſuſpit. Official. num. 48.*

Ego tamen dico, quod diſſoluta cauſa affinitatis, ſive remaneant reliquię, ſive non, ſemper poteſt recuſari judex, quia diſſoluta cauſa affinitatis non eſt diſſoluta affinitas, ſed remanet, ratione cujus matrimonium contrahi non poteſt *can. fraternitatis veſtræ. 35. qu. 10.* ſed recuſatio judicis admittitur ratione affinitatis, ergo ſemper ac remanet affinitas, remanet ſufficiens cauſa recuſationis. Præterea iudex affinis in ſecundo genere affinitatis poteſt recuſari ut ſuſpectus, ut pluries deciſum per S. C. refert *Gallup. par. 1. prax. cap. 4. n. 35. Rovit. in pragm. prima de ſuſpit. Official. num. 27. 28. 33. & ſeq. Regens Sanfelic. tom. 2. dec. 254.* Ergo a fortiori iudex affinis in primo genere affinitatis, etiam ſi cauſa affinitatis non exiſtat; cum affinitas in primo genere ſit in conſideratione, & non affinitas in ſecundo genere, ex quo, in hoc genere permiſſum eſt matrimonium, *ut in 2. par. hujus tract.* dicemus. Tandem affinis recuſatur propter præſumptam affe-

ctionem, ſed hæc affectio etiam diſſoluta cauſa affinitatis remanet, vel ſaltem in concurſu litigantium habetur maior affectio ad affinem, quam ad extraneum, ergo etiam diſſoluta cauſa affinitatis, adhuc remanet motivum ſufficiens recuſandi iudicem; *Unde Bald. in l. ſi mulier. C. de adult.* dicit, quod ſi Officialis ſtuprum commiſit cum vidua, quia iniuriantur etiam conſanguinei viri defuncti, ideò eſt iuſta cauſa inimicitiæ, & ſuſpicionis, ergo diſſoluta cauſa affinitatis, etiam remanet motivum ſufficiens recuſandi; faciunt tradita à *Proſdocim. de Comitib. in arbore affinitatis n.17.* Videas dicta ſupra *cap.1. §. 1. diſput.2. qu. 4.*

QUÆRES IV.

Uſque ad quem gradum recuſari valet Judex ratione inimicitiæ?

NOn eſt dubium, quod iudex inimicus recuſari valet ut ſuſpectus *l. ſi pariter. 9. D. de liberal. cauſa. de Ponte dec. 30. Capic. latro. to.2. conſult.101. n. 5. Gallup. par.1. prax. cap.4. num.46. Fontanell. to. 1. dec.14. Capic. dec.137. & 138. Caravit. rit.265. n. 33.* & non ſolum iudex inimicus, ſed etiam quando inimicitia eſt cum aliquo de domo, & parentela iudicis, recuſari valet ut ſuſpectus, ſive ſit inimicitia vera, ſive præſumpta, videas de *Pont. l. cit. num. 3. & ſeq. Caravit. l. cit. & alii DD.* relati; unde de iure communi, inimicitia indifferenter extenditur ad omnes de domo, & familia *Jaſon in l. apertiſsimi. n.7. Cod. de iudic. Gallup. l. cit. n. 48. in fine, & patet ex l. unic.* ibi; *confeſtim conteſtatione propoſita, cum ſua ſuarumque domo iuriſdictionem eius evitare. Cod. ſi quacumq; prædit. poteſtat.* adeoq; aliqui extendunt iſtã ſuſpicionem iudicis ex capite inimicitiæ, uſq; ſeptimum gradum de iure communi *Carol. de Graſ. de except. except. 24. nu. 26. & ſeq.* Alii verò illam limitant ad quartum gradum de iure civili. *Capic. latr. l. cit. n.8. 36. & ſeq.* familia enim quartam generationem non excedit *Bartol. in autb. de reſtitut. fideicommiſ. n.2. & 3. Alexand. ad Bartol. in l. Lucius. 93. §. ſempronia. verb. an corrigatur. D. de legat. 3.* ſicut etiam ſuſpicio ex capite inimicitiæ extenditur, uſque ad quartum gradum affinitatis *Jo: Botta. conſ. 1. num.18. relatus à Rovit. in prag.1. de ſuſpit. Official. n.26.* Hoc tamen intelligitur in linea col-

collaterali, quia cauſa inimicitiæ in linea aſcendenti, & deſcendenti extenditur uſque ad infinitum *Rovit. in prag. 1. de ſuſpic. Official. nu. 22. Capic. latr. d. conſult. 101. n. 37.*

De iure tamen noſtri Regni aliter reperitur ſtatutum per Regias pragmaticas circa recuſationem officialium ex capite inimicitiæ; ſiquidem in *prag. 15. n. 15. de ſuſpic. Official.* reperitur diſpoſitum, quod non recipiatur recuſationes ex capite inimicitiæ niſi exprimatur cauſa, & ſpecies inimicitiæ, quæ ſi erit talis, ut offendat totam cognationem, & parentelam; tunc recuſatio ex capite inimicitiæ extenditur uſque ad quartum gradum conſanguinitatis incluſive, & uſque ad tertium gradum affinitatis, numeratione facta ſecundum ius Canonicum: ſi verò inimicitia non offendit totam familiam, & cognationem, ſed ſolum inducit capitalem inimicitiam, tunc ſuſpicio ex capite inimicitiæ ſe extendit ad tertium gradum conſanguinitatis, & ad ſecundum gradum affinitatis *Rovit. in prag. 1. de ſuſpit. Official. n. 97. in fine. Capic. latr. tom. 2. conſult. 101. n. 9. Gallup. par. 1. prax. cap. 4. n. 48.*

Hinc quando iniuria eſt illata conſanguineo, vel altero coniuncto Baroni, non poteſt ipſe Baro iudicare, poterit tamen baro eligere iudicem parti non ſuſpectum, quando iniuria non eſt gravis, quia ſi eſſet gravis, & dubitaretur de electione iudicis, tunc electio fit per M. C. vel per S. C. ut tradit *Reg. Sanfelic. dec. 63. num. 32. & ſeqq.* nam licet regulariter judex ſuſpectus in judicando, non ſit ſuſpectus in delegando *Capic. latr. deciſ. 90. num. 4.* tamen id limitatur quando eſſet ſuſpectus ex capite inimicitiæ. Nec obſtat dicta deciſ. *Capic. latr.* ubi fuit determinatum, quod cauſa remittatur ad Baronem, qui eligat judicem ſecundarum cauſarum in hac Civitate, data prius notitia S. R. C. ſive D. cauſæ Commiſſario: Nam id procedit quando inimicitia non eſt gravis, quia exiſtente gravi inimicitia, nec etiam delegare valet, imò ab ipſo avocatur cauſa, ut deciſum refert *Sanfelic. l. cit. n. 34. in fin.* Vide citatos DD. & præſertim *Sanfelic. l. cit. ubi n. 1. & ſeqq.* ponit, quod Officialis erit judex competens pro injuria ſibi illata prætextu dignitatis, & officii, ſecus verò ſi injuria ſit illata perſonæ, ut privato, ſicut etiam Epiſcopus poteſt cognoſcere cauſā, quæ non reſpicit perſonam, ſed dignitatem, & jura Eccleſiæ:

imò quando injuria eſt illata prætextu dignitatis, & officii, poterit judex procedere, etiam ſi alias non eſſet competens; & ſic prorogatur ejus juriſdictio, quod procedit non ſolum quando offenditur judex, ſed etiam quando offenditur eius familia. Verum idem *Reg. Sanfelic. in addit. ad dictam dec. 63.* dicit, quod tunc judex poteſt punire illum qui ſibi injuriam fecit, quando pœna eſt clarè pro tali iniuria a lege indicta, ſecus tamen ſi pœna eſſet arbitraria, quia ipſemet iudex, qui paſſus eſt injuriam, non poteſt pœnam arbitrari; Melius tamen erit uti conſilio tradito à Xamarra in *tract. de Offic. Judic. & Advocati*, relato ab eodem *Sanfelic. l. cit.* videlicet, quod eveniente caſu, quo officii, & dignitatis abtentu offenditur, capta informatione, & carcerato delinquente, ſi fugæ timor ſit, illum puniendum remittat ad Iudicem ſuperiorem, vel competentem.

An autem Baro in proprio caſtro poſſit Officialem ſibi conſanguineum eligere, videas *Reg. Sanfelic. dec. 63. num. 35. & dec. 316.* ubi affirmativè *reſolvit*, & ſolum limitat, quando inter Baronem, & vaſſallos adeſſent lites, vel quando principaliter ageretur de intereſſe Baronis, quo caſu etiam Officialis extraneus procedere non valet. Vides etiam. *Sanfelic. dec.* 244.

Quod ſi cupis ſcire quænam ſint capita inimicitiæ ratione quorum recuſari valeat iudex, & an Advocatus Fiſcalis poſſit ratione inimicitiæ recuſari ut ſuſpectus, videas *ſupracitatos* DD. qui *de hac re* ad ſatietatem pertractant, *& Hier. Gigan. de crimine læſæ maieſt. lib. 2. rubr. quomodo, & per quos crimen læſæ maieſt. probetur. qu. 2.*

§. XV.

De Conjunctis qui intervenire debent in Inſtrumentis minorum, vel Mulierum.

DEcimo quinto, deſervit ſcientia Cognationum, & graduum, adhoc ut valida conficiantur inſtrumenta minorum, & mulierum, quando extat ſtatutum (ut communiter ſunt ſtatuta per Italiam) quo cavetur, quod non valeat contractus mi-

norum, & mulierum in quibus non interſunt duo coniuncti, vel affines ipſorum minorum, vel mulierum, quia ut dicit *Hippolit. ſingul.* 678. multoties Notarii non advertunt, an coniuncti, & affines qui in dictis contractibus interveniunt ſint de proximioribus, an de aliis non ita proximioribus, nam ſtante tali ſtatuto, non ſufficit, quod adhibeatur affines, & coniuncti, ſed etiam requiritur quod adhibeatur illi qui ſint de proximioribus minoris, aut mulieris, alias contractus eſt nullus, idem dicit *Cavalcan. to.* 1. *deciſ.* 30. *num.* 5. Quando verò dicti Conſanguinei, vel affines proximiores ſunt inhabiles ad conſentiendum, tunc ſunt vocandi alii conſanguinei, vel affines habiles gradatim poſt illos ſequentes, ut tradit *Cavalcan. loco citat. & in tract. de tutor. & curator. nu.* 133. *& ſeqq.*

§. XVI.

De Perſonis, quæ Fiſcum excludunt à bonis damnatorum, ſeù proſcriptorum.

DEcimo ſexto, ſcientia cognationum, & graduum deſervit pro coniunctis, qui venire poſſunt ad excluſionem fiſci à bonis damnatorum, ſeu proſcriptorum; ſiquidem hodie, bona damnatorum non confiſcantur, ſed debentur aſcendentibus, & deſcendentibus in infinitum; iſtis verò non exiſtentibus, debentur ex latere venientibus uſque ad tertium gradum. Vxor verò damnati, debet recipere dotem, ſi dedit, & antenuptialem donationem; ſi verò dotem non dedit, debet accipere tertiam partem bonorum mariti, adeoque deficientibus aſcẽdentibus, deſcendentibus, & collateralibus modo dicto, fiſcus venire valet, ſicut abſolutè ad fiſcum bona pervenirent, quando eſſet damnatus ex crimine læſæ maieſtatis. *Auth. Bona damnatorum. C. de bonis proſcript ſeu damnat. Auth. Vt nulli Judic.* §. *fin.* videas *Capyc. deciſ.* 140. *num.* 18. *&* 33. *Gig. de crim. læſ. maieſt. lib.* 2. *in rubric. de pœnis committentium crimen læſæ maieſtatis.*

§. XVII.

§. XVII.

De effectibus Conſanguinitatis, & Parentelæ.

VIſum eſt uſque modo, in quibus caſibus requiritur ſcientia cognationum, & graduum, nunc pro coronide huius primæ partis, breuiter enumerabo caſus, in quibus ſpecialis ratio habenda eſt de cognatione, & parentela, de quibus etiã mentionem facit *Afflictus in Rubric. de Iur. prothom. num.* 13. *& ſeqq. Reg. Sanfelic. dec.* 343.

Primo igitur ſpecialis ratio de conſanguinitate habenda eſt, quando quis vult vendere aliquam rem, nam tenetur magis ſuo conſanguineo, quàm extraneo illam vendere, facit *Text. in cap.* 1. *de alienat. feud. & in cap.* 2. *§. ſed & res. per quos fiat inueſtit. Andr. de Iſer. in cap.* 1. *de alienat. feud. pater.* Videas quæ diximus ſupra *cap.* 2. *§.* 5.

Secũndo non dicitur facta alienatio, quando res transfertur in coniunctum. *l.* 1. *D. de priuileg. creditor.* Vnde prohibitus alienare, non intelligitur prohibitus alienare ſorori. *l. voluntas. C. de fideicom.* ſicut prohibitus alienare, poteſt teſtari inter ſuos. *Gloſ. in l. fin. verb. Alienare liceret. C. in quib. cauſ. Colon. cenſit. domin. accuſ. poſſunt. lib.* 11. & feudum poteſt in coniunctum alienari ſine conſenſu domini. *cap. p. de alienat. feud. patern.* quod intelligitur, quando feudum eſt antiquum, ſecùs verò ſi eſt nouum. *cap. p. §. cum verò. de his, qui feud. dare poſſunt.* Videas dicta ſupra *in cap.* 2. *§.* 4. *quæ.* 3.

Tertio, donationes inofficioſæ ſi fiunt in coniunctum, revócãtur pro parte, ſi in extraneum, revocãtur in totum. *l. ſi unquam.* 8. *ubi gloſ. verbo quicquid. C. de revocand. donat.*

Quarto, licet tutor regulariter cogatur accipere iudicium pro pupillo. *l fin. C. de adminiſt. tutor.* non tamen tenetur defendere pupillum contra ſuum conſanguineum. *l. humanitatis. D. de excuſat. tutor.*

Quinto, ſi cõcedatur emphyteuſis uſque ad tertiam generationem, finita tertia generatione, ille qui eſt de quarta, poteſt dicere, quod ſibi potius detur, quàm alteri, aliàs appellare poterit. *Bart. in l. p. §. permittitur. D. de*

D. de aqua quotidiana, & aſtiva. & in l. p. D. de privil. credit. & in l. ſi mihi, & Titio. D. de verbor. obligat.

Sexto, Officialis in loco ſui officii non poteſt emere niſi neceſſaria ad victum. *l. p. C. de contract. Iudic.* tamen poterit emere ea, quæ fuerunt ſuorum anteceſſorum. *l. qui officii. D. de contrahen. empt.*

Septimo, infamis non poteſt poſtulare, ſed pro conſanguineo non prohibetur. *l. p. §. fin. D. de poſtul. Can. infames. 3. quaſt. 7.* Eſt autem poſtulare, & deſiderium ſuum, vel amici ſui in iure apud eum qui iuriſdictioni præeſt exponere, vel alterius deſiderio contradicere. *dict. can. infames.*

Octavo, Religioſi non poſſunt pro aliis advocare. *cap. 2. de poſtul.* pro coniunctis tamen poſſunt. *cap. fin. eod. tit.*

Nono, hoſtibus denegantur alimenta, ſed cõſanguineo hoſti licitum eſt dare alimenta, ut notatur *in auth. inceſtæ. C. de inceſt. nupt. l. mutus. §. manente. D. de iur. dot.* quia licitum eſt occidere hoſtem, non tamen hoſtem conſanguineum. *Bart. in l. ſi adulterium cum inceſtu. §. liberto. D. de adulter. & in l. poſtliminiũ. §. ſi filium. D. de capt. & poſtlimin. rever. l. minimè. D. de religioſ. & ſumptib. funer.* ſicut non licet receptare rebellem, tamen receptans conſanguineum rebellem, non punitur pœna capitis, ſed mitiori pœna, ut dicit *Gigas de crim. læſæ maieſt. lib. 3. rubr. de plurib. & variis quæſtion. qu. 10.* ubi plura circa hanc materiam ponit *Sanfel. dec. 343. n. 3. & 9. cum aliis ſeqq.* qui etiam loquitur de receptante conſanguineũ delinquentem, vel qui furtum commiſit, vbi in *addit.* habes, quod licet *per pragm. 4. ſub tit. de recept. bannit. non poſſit impunè quis receptare conſanguineum bannitum*, tamen id corrigitur *per pragm. 5. ſub eod. tit.* videas dictam additionem, quia multa ponit pro iſto caſu receptationis bannitorum, quæ utilia ſunt.

Decimo, ut loquitur *Afflict. de iure protbomis.* Ambaſciator non poteſt facere ambaſciatam per ſubſtitutum, poterit tamen per eius filium ex *l. ſciẽdum. §. legatis. D. de legationib.*

Vndecimo, relictum Prælato ab aliquo ſuo cõſanguineo, præſumitur ſui contemplatione relictum, & non Eccleſiæ, ſecus ſi ab extraneo, quia tunc præſumitur relictum contemplatione Eccleſiæ. *cap. requiſiſti. de teſtam.*

Duodecimo, qui decedit ſibi non electa ſepultura, prẹſumitur ele-

elegiſſe illam, quæ eſt ſuorum conſanguineorum. *cap. is qui de ſepult. in 6.*

Decimotertio, regulariter volens doctorari, debet ſolvere Collegio, filius tamen Doctoris collegiati ſi vult doctorari, non tenetur ſolvere, & ut dicit *Afflict. in rubr. de iure prothom. nu.* 17. ita per Doctores Collegii Neapolitani fuit intellecta *gloſſ. in l. iubemus. C. de advoc. diverſ. Iudic.* & de hoc factum fuit ſtatutum in dicto Collegio.

Decimoquarto, regulariter non licet cum excommunicato vitando converſari, tamen cum conſanguineo excõmunicato licet. *cap. inter alia de ſent. excom. Roveſcallenſ. ad Decium in l. iura ſanguinis. ff. de regul. iur. Hippol. de Marſil. ſingul.* 210. *Coraſ. de iur. civil. in artem redigend. par.* 2. *cap.* 21. *Sanfelic. dec.* 343. *n.* 4. de qua re videas, quæ dixi ſup. *cap.* 1. §. 5.

Decimoquinto, regulariter percutiens laicũ non eſt excommunicatus, tamen percutiens conſanguineum clerici intuitu ipſius clerici, eſt ipſo facto excommunicatus. *cap. ſciunt cuncti. de elect. in 6. cap. quicumque. de ſent. excomm. in 6. cap. quoniã. de immun. eccleſ.*

Decimoſexto, quando teſtes deponunt de ætate alicuius, magis creditur coniunctis, quàm extraneis. *Bald. in l. de tutela. C. de integr. reſtit. minor. Iſern. in cap.* 1. *de nat. ſucceſſ. feud.*

Decimoſeptimo, revocatio procuratoris nõ poteſt fieri poſt litem conteſtatam, procurator tamen conſanguineus partis adverſæ poteſt revocari. *cap. quamvis. de procur. in 6.*

Decimo octavo, regulariter tutor ſuſpectus removeri poteſt, tamen ſi tutor erit conſanguineus pupilli, non removetur ut ſuſpectus, ſed datur adjunctus. *l. tutor ab aliquo. D. de ſuſpect. tutor.*

Vigeſimo nono, ſi duo ſunt fratres habẽtes feudum, ut præſtent auxilium Domino in prælio, & unus aufugit, & dimittit dominum in prælio, licet ex hoc debeat perdere feudum, tamen ratione coniunctionis, quam habet cum illo, qui dominum defendit, non debet feudum amittere, *argum. Text. in l. is qui duos. D. de liber. legat. Bald. in cap. p. in 3. q. quib. mod. feud. amit. & in cap.* 1. §. *præterea ducatus. de prohibit. feud. alienat. per Frideric.*

Vigeſimo, privilegium patris doctoris, vel decurionis, quod non poſſit torqueri. *l. omnes Iudices. C. de Decurion. lib.* 10. vendicat ſibi locum in dependenti-

bus uſque ad nepotes. *l. fin. C. de profeſſ. & medic. lib. 11.*

Vigeſimoprimo, ſecuritas data patri, intelligitur data filio. *l. ſi ita ſtipulatus fuero. D. de verbor. oblig. l. 1. C. de muner. & honorum non continuand. lib. 11.*

Vigeſimo ſecundo, ratione coniunctionis inter patrem, & filium valet patris teſtamentum inter liberos, licet deſint iuris ſolemnitats *l. hac conſultiſſima. §. ex imperfecto. C. de teſtam.*

Vigeſimo tertio, licet regulariter vir manens cum muliere, ſolus cum ſola preſumatur luxuriare, attamen, ſi vir conſanguineus ſteterit cum conſanguinea, ratione ſanguinis non præſumitur exercuiſſe libidinem. *cap. cum iuventute. de præſumpt.*

Vigeſimo quarto, licet regulariter teſtimonium conſanguinei pro conſanguineo non faciat multam fidem, tamen in probanda ipſa conſanguinitate, & parentela præfertur alijs. *cap. ex conquæſtione. de reſtit. ſpoliat. cap. videtur. qui matrim. accuſ. poſſunt & 35. qu. 6. per totam cauſam.*

Vigeſimoquinto, quando Judex eſt conſanguineus utrique parti in æquali gradu, nō poteſt recuſari ut ſuſpectus ab una parte ratione conſanguinitatis. *l. in arena. C. de inoff. teſtament.*

Vigeſimoſexto, quando legatum eſt factum Titio, ſi ſunt duo Titii, & unus eſt conſanguineus teſtatoris, in dubio præſumitur factum conſanguineo, ut probatur *ex l. ſi fuerit. D. de reb. dubiis.*

Vigeſimoſeptimo, injuria facta uni de agnatione, videtur omnibus facta. *l. unic. C. ſi quacunque prædit. poteſt. Bart. in l. lex cornelia. D. de injur.*

Vigeſimoctauo, præſentia cōſanguinei facit ceſſare præſūptionem doli, fraudis, ſecus verò ſi interveniſſent extranei. *Bart. & alii in l. tranſactionem. C. de tranſact.* Videas dicta ſupra *cap. 2. §. 15.*

Vigeſimonono, ſi conſanguineus fecit expenſas conſanguineo, illas repetere non poteſt, niſi proteſtetur, quod animo repetendi illas facit, aliter tamen eſt in extraneo. *l. Neſennius. D. de negot. geſt. l. alimenta. C. eod. titul.*

Trigeſimo, ſi conſanguineus leget rem alienam cōſanguineo, valet legatum, ſecus ſi extraneo. *l. unum ex familia. §. ſi rem. D. de legat. 2. l. cum alienam. C. de legat.*

Trigeſimo primo, ſi teſtator rem hæredis legavit Titio, non liberatur hæres dando æſtimationem, quando res legata alias

fuit anteceſſoris Titii, ſed tenetur præcisè illam tradere. *l. poſſeſſionem. C. commun.utriuſque iudic.*

Trigeſimoſecundo, in accuſando, conſanguineus præfertur alijs. *l. qui autem. §. ſi verò. D. de his qui deiecer. vel effu.* ſicut etiam in matrimonio coniungẽdo, vel diſiungendo depoſitio conſanguineorũ, præfertur *can. conſangnineos.& can.videtur nobis. circa finem 35. qu. 6. Petr. à Placa lib. 1. epitom.deliƈt.cap.39. num. 4.*

Trigeſimotertio, regulariter ſi primum teſtamentum eſt validum, ſecundum invalidum, ſecũdum non rumpit primum; tamen ſi in primo eſſent inſtituti hæredes extranei, & in ſecundo eſsẽt inſtituti venientes ab inteſtato, non valet primum, ſed ſecundũ, & hoc ratione ſanguinis. *Bartol. in l. milites. §.veterani. D. de teſtam. milit. l.ſi filius. D. de liber. & poſthum. l. hac conſultiſſima. §. fin. C. de teſtam.*

Trigeſimo quarto, ſi apparent duo teſtamenta eodem die facta, & non appareat quodnam eſt primum, quodnam poſterius, illud teſtamentum valet, in quo ſunt inſtituti venientes ab inteſtato. *Cyn. in l.fin. C. de ediƈt. Diu.Adrian. tollend. Bartol. in l. p. §.ſi quis duobus. D. de bonor. poſſeſſ. ſecundum tabul.* quia major affeƈtio eſt ad agnatos, quã ad extraneos, & in dubio teſtator magis habet reſpeƈtum ad jus hæreditarium, quàm ad perſonam. *Bartol.in l. Titia. D. de legat.2.*

Trigeſimoquinto, ratione cõiunƈtionis perſonarum, cum taciturnitate longi temporis præſumitur remiſſio debiti, quod ſecus eſt in extraneis. *l.procula. D. de probat.*

Trigeſimoſexto, ratione conjunƈtionis perſonarum præſumitur conſenſus ob taciturnitatem unius anni, ſed in extraneis requiritur taciturnitas trium annorum, ut notatur *in cap.Titius. ſi de feud.fuer. controuer.*

Trigeſimoſeptimo, quãdo cõpoſitio occiſi eſt aſſignanda parti, & occiſus habet hæredem, & filium, talis compoſitio potius eſt aſſignanda filio, quàm hæredi, ratione coniunƈtionis ſanguinis, quia potius habetur ratio conjũƈtarum perſonarum, quam extranearum *argum.tex.in l. antepenult. D. de paƈt. l.2. D.de priuil. credit. Iacob. de Adriz. in ſum. de pace tenend. §. ſed ſi poſt compoſitionem. Petr. à Placa. lib. 1. epitom.deliƈt.cap.39.num.10.*

Trigeſimoƈtavo, regulariter unus pro alio ſtipulari non poteſt, id tamen fallit in conjunƈtis.

ctis. *Bartol. in l. ſtipulatio iſta habere licere. §. ſi ſtipuler. D. de verb. oblig.*

Trigeſimonono, licet hæreditas non adita regulariter non tranſmittatur. *l. unic. §. in noviſſimo. C. de caduc. tollend.* tamen hæres ſuus tranſmittit, quia continuatur quodammodo in eum poſſeſſio.

Quadrageſimo, fideiuſſor pauper non eſt idoneus, tamen ſi eſt conſanguineus, idoneus dicitur. *l. 1. & 3. D. in ius vocat. ut eant.*

Quadrageſimoprimo, licet bona Clericorum debeant ad Eccleſiam venire, tamen ſi habent conſanguineos, ad ipſos veniunt, excluſa Eccleſia. *Bald. in l. unica. §. ſi is ita. C. de caduc. tollend.*

Quadrageſimoſecundo, ſi aliquis dixit alicui injurias, præſumitur animo injuriandi dixiſſe, ſecus ſi conſanguineus levem injuriam dixit, quia præſumitur, quod animo corrigendi fecit. *Bartol. in l. ut vim. D. de iuſtit. & iur. gloſſ. in l. p. D. de ſucceſſor. adict.*

Quadrageſimotertio, extraneus non præſumitur ſcire facta extranei, conſanguineus tamen præſumitur ſcire. *l. octavi gradus. D. unde cognat. Bart. in l. p. D. ſi cert. petat.*

Quadrageſimoquarto, Vaſſallus tenetur dominum adiuvare, ſed non contra ſe, vel ſuos conſanguineos. *Iacob. de Adriz. in ſum. quib. mod. feud. amit.*

Quadrageſimoquinto, Clericus in ſacris non poteſt adoptare extraneum, conſanguineum tamen poteſt, ſecundum *Bartol. in l. qui uxorem. D. de adopt.*

Quadrageſimoſexto, inter cōjunctos ceſſat ratio furti, & datur actio rerum amotarum, *ut in tit. DD. rerum amotarum.*

Quadrageſimoſeptimo, Prælati poſſunt res Eccleſiæ infeudare extraneis, non tamen conſanguineis *Auth. quibuſcumque cod. de Epiſcop. & Cleric. Clem. 1. §. Abbates. de exceſſib. Prælat.*

Quadrageſimooctavo, Clericus nec volens poteſt teſtamentariam tutelam extraneorum ſuſcipere, tutelam verò legitimam jure agnationis, vel cognationis, & etiam teſtamentariam talium agnatorum, & cognatorū ſuſcipere poteſt, ſi vult. *can. Ciprianus. 21. quæſt. 3. can. pervenit. diſt. 86. can. neque apud altare. diſt. 88. can. generaliter ſancimus. 16. qu. 1. l. generaliter. 50. & auth. presbyteros. Cod. de Epiſcop. & Cleric. auth. de Sanctiſs. Epiſc. §. Deo autem amabiles,* & deciſum per M. C. V. & S. R. C. refert *Altimar. ad Rovit. dec. 20. ad n. 16.* Clericus

igitur volens poteſt eſſe tutor conſanguineorum, uſq; ad quartum gradum, cum licentia tamen Ordinarii, ut dicit *Verde lib. 1. inſtit. civil. n. 799.*

Quadrageſimo nono, quamvis regulariter frangens exilium puniatur, tamen excuſatur quādo quis acceſſit ob affectionem viſitandi parentes infirmos; ſicut non tenetur pœna fracti carceris, qui patrem viſendi gratia diſceſſit, nam talis cauſa diſceſſus tollit contemptum, & facit præſumere animum redeundi, non fugiendi *Regens Sanfelice dec. 343. n. 1. 6. & ſeqq.*

Quinquageſimo, quamvis Fiſci patronus adverſus fiſcum cauſam defendere non poſſit *l. 1. Cod. de advoc. fiſc.* tamen licitè poteſt patrocinium præſtare contra Fiſcum pro parentibus, & filiis *l. penult. §. fin. D. de poſtul. Sanfelic. l. cit. n. 5.*

Quinquageſimo primo, quando aliquis non eſt de ſedili hujus Civitatis, ſi habuit ſuos aſcendentes qui fuerunt de ſedili, poteſt abſque ulla difficultate petere reintegrationem: ſi verò non habuit aſcendentes de ſedili, ſed ſolum Collaterales, tunc etiam aggregatio eſt concedenda, quando non apparet aggregatio facta in perſonam Collateralium, quia tunc præſumitur, quod talis nobilitas ab anteceſſoribus ſit tranſmiſſa. *Capic. latr. tom. 2. conſult. 128. n. 9. & ſeqq.* Quando verò quis aſcendentes, vel Collaterales ſuos de ſedili fuiſſe, probare non poterit, ſed tantum probaverit ſe eſſe de *illa familia* quæ in ſedili reperitur, tunc licet declaretur eſſe de illa familia, non tamen admittitur ad ſedile *Capic. latr. l. cit. n. 41.*

Quinquageſimo 2. quādo cōtra Defunctum proceditur pro damnanda illius memoria ratione criminis læſæ majeſtatis, ſunt citandi filii, cognati & ſucceſſores defuncti, ut veniant ad contradicendum, ne memoria defuncti damnetur, idq; tam quando contra *defuncti* memoriam tale *judicium* cœpit eo jam mortuo, quam quando defunctus fuit in vita accuſatus, & pēdente accuſatione deceſſit. *Gigas de crim. læſ. Maieſt. lib. 1. rubr. qualiter in crim. læſ. maieſt. procedat. q. 21.* Videas quæ diximus ſupra *in cap. 2. §. 8.*

Quinquageſimo tertio, ratione cōjunctionis frater fratrē nō accuſat. *l. magnū. C. qui accuſ. nō poſſunt.* tamen id limitatur. Primo, quando frater proſequeretur ſuam, vel ſuorum injuriam. Secundo limitatur in crimine læſæ maieſtatis *Gigas de crimin. læſ.*

læſ. maieſt. lib. 2. rubr. qui accuſare poſſunt, in crim. læſæ maieſt. qu. 3. Similiter filius non poteſt accuſare patrem *l. iniquum. Cod. qui accuſare non poſſunt*, tamen in crim. læſæ maieſt. admittitur, ut tenet *Gig. l. cit. qu. 8. quem videas*. Sicut è contra pater ſecundum probabilem ſententiam poteſt filium ſuum accuſare de crim. læſæ maieſt. ut tenet. *Gig. l. cit. qu. 9. num. 4. & n. 6. & 7.* dicit antiquos Romanos filios ſuos contra patriam machinantes non ſolum denunciaſſe, ſed & ad mortem damnaſſe; defendit tamen quæſtione 15. uxorē non teneri denunciare, & accuſare maritū de crim. læſ. maieſt. quia non invenitur in iure, quod conjux teneatur denūciare maritum, ſicut invenitur de patre, & filio. Videas dicta ſupra *cap. primo.* §. 8. & quando filius qui crim. læſ. maieſt. commiſit, pro quo eſſet decapitandus, ſi per patrem ſponte præſentatur Principi, non debet decapitari, ſed mitiori pœna punitur, idem eſt ſi pater præſentetur per filium *Gig. de crim. læſ. maieſt. lib. 3. rubr. de pluribus, & varijs quæſtionibus. qu. 6.* Tertio limitatur quando accuſatur matrimonium nullum ratione conſanguinitatis *can. conſanguineos, cum alijs ſeq. 35. qu. 6.*

Alii effectus conſanguinitatis, & parentelæ habentur ex ſupra poſitis quæſtionibus; Unde patet, quod ſcientia cognationum, & graduum utilis, & neceſſaria eſt, tam de jure Canonico, quam de jure Civili, & ita expedita remanet prima pars hujus tractus ad laudem Sanctiſsimæ Triadis.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

ERRATA PRÆCIPUA,

Quæ in hac prima parte irrepſerunt.

1. numerus Paginam, 2. Columnam, & 3. lineam indicat.

			ERRATA	CORRIGE
12.	2.	20.	illum.	illud.
40.	1.	15.	& Eccleſiæ.	& Eccleſiæ ſine nuptiis, & ex copula.
73.	1.	11.	naſcatur.	naſcitur.
95.	1.	20.	riritans.	irritans.
321.	1.		*quær. 4.*	*quær. 6.*
335.	2.	15.	*l. Papinianus. §. ſiquis impubes. & l. arrogator. D. de injuſt. teſtam.*	*l. Papinianus. §. ſi quis impubes. D. de inoffic. teſtam. & l. ſi arrogator. D. de adopt.*
364.	1.	15.	feudi, qui à patre	feudi, quod à patre.



Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google